Alferecia que quiere decir mal que corre como de cabrillas porque este animal es frequente a ello

morbus sacer
morbus caducus
morbus Herculeus
morbus lunaticus
morbus regius
morbus sonticus
morbus puerilis
morbus comitialis
epilepsia
morbus arrepticius
morbus insputatus
vulgo gota coral sed hoc non semper sed cum fluxiones cerebri cadunt in cor

PRAELECTIONES VALLISOLETANAE, IN LIBRVM MAGNI HIPP. COI DE MORBO SACRO.

AVCTORE D. ANTONIO PONZE SANCTA CRVZ, Max. Reg. Philippi Tertij, & Quarti à cubiculo Protomedico Generali. Primario Vallisoletano, Abbate Cobarrubiensi.

AD EXCELLENTISSIMVM HEROEM inter Principes Maximum Comitem Ducem D. D. Gasparum de Guzman.





Camil. falconer aggreg. Lugd.

CVM PRIVILEGIO

Matriti apud viduam Ludouici Sanchez Regni Typographam.

Anno M.DC.XXXI.

LECTORI MEO
S. D.



RODIT In lucem Liber de Morbo Sacro, ante quadraginta annos prælectionibus Vallisoletanis (ostentationes vocant, in nostra Vniuersitate) illustratus. Multa pro tyronibus repetita (vt est mos in Scholis) Alia pro humanarum literarum professoribus; aliqua pro Theologis, & Ecclesiasticis; plura pro antiqua inuenies Medicina. Condonandum erit iam Aridæ nostræ ætati, vt subodoratis diuersis eruditionis floribus reparato spiritu animosius, in studiorum deficiat certamine. Practicas doctissimas de Hoc Morbo, non percurrimus. Quia solum Hippocratis mentem perscrutari intendimus. Viuas vtraque fœlicitate beatus Lector charissime. Matriti ex nostro Musæo 14. Chalend. Iunij 1631.

Suma

Suma del priuilegio.

TIene priuilegio por diez años el Doctor Antonio Ponze Sancta Cruz, Medico de Camara de su Magestad, Protomedico general, Abad de Còuarrubias, Catredatico de Prima en la Vniuersidad de Valladolid, para poder imprimir este libro de Diuino in morbis, sin que otra persona le pueda imprimir, como mas largamente consta de su original. Su fecha en 8. de Iunio de 1627.

Errata correcta.

FOl.1.col.2.conoan. lege consonant. Fol.128.col.2 relinqui. le.relinquit. Fol.12.col.1.oqutus.lege-loqutus. Fol.178.col. 2.distantia.le.distantiam. Fol.181,c.1.consensu.le.consensum.

Liber inscriptus de Morbo Sacro, & de Diuino in morbis correspondet suo exemplari, demptis his mendis. Datum Matriti 19. die Maij, anno 1631.

Lic. Franciscus Murcia de la Llana.

Suma de la tassa.

ESTA Tassado este libro, intitulado, *De morbo Sacro, & Diuino in morbis*, a quatro marauedis y medio cada pliego, el qual parece tener cincuenta pliegos y medio, que a este precio mōta docientos y veinte y siete marauedis, y a este precio, y no a mas mandaron se venda en papel, como consta de su original. Despachada en el oficio de Lazaro de Rios Escriuano de Camara de su Magestad. En Madrid a 21. de Mayo de 1631.

INDEX

EXCELLENTISSIMO DOMINO DON GASPARI DE GVZMAN, COMITI de Oliuares, Duci de S. Lucar, inter Principes Maximo. Equili Præfecto. M. Philipp. IV. Cubiculariorum Primario. Noui Orbis Chancellario. A Status Belliq; Consilijs, &c.



HILOSOPHIA Hippocratica (inter Principes Maxime) superioribus annis tibi dicata, exultans non in doctrinæ splendore, sed Magnitudine, & Excellentia tuæ protectionis, acclamitat per Orbem nomen tuum Augustum, vt (quod placuerit doctis. & cohibuerit inuidos) tibi redantur gratiæ cui debentur. Et aduocat sororem suam (lucubrationem de Sacro morbo,) vt sub eodem glorioso Stemate, sequatur vestigia, ijsdem honoribus condecoretur: Et in Biblioteca illa oppulẽtissima, quam ad leuamẽ tantorũ onerũ parasti, inter antiquissima, & selecta scripta, simul viuant primitiæ vetustatis. Acceptam, spero, tuæ humanitati iuxtam postulationem Hippocratis: Præsertim, si mores, & actiones illius inspitias, adeo similes tuo muneri, & viuendi instituto, vt existimare quis possit, vel Hippocratem tuã præuidisse, & imitaturm vitam, vel inter Antiquos quibus operam dedisti, hunc Antiquiorem, & Sapientiorem adlectum moralis, & naturalis Philosophiæ Magistrum. Externa relinquam, insinuabo propria, quibus vera laus illucescit. Diuino quodam circulo vir iste Asclepij germen, descendebat ad humanas calamitates subleuandas, & statim ascendebat ad Diuinarum causarum contemplationem, ibi morbos corporis curabat; hic, animi perturbationes tranquila æquabat serenitate, errores confutabat, Atheismum destruebat, animæ immortalitatem defendebat, Dæmones, & illorum fallacias demonstrabat. Quam fuerint necessariæ actiones istæ, ante sanctum Domini aduentum, ad pellendas Græcorum tenebras, ad excitandum Platonem, ad dirigendam subtilitatem Aristotel. quorum laboribus postea vsa est mater Ecclesia, mediocre ponderauit

derauit

derauit iudicium. Hic circulus quo Hippocrates Diuina, & Humana connectit. Tu vero Principum Decus, & virtutũ exemplar, primam partem temporis, fortitudinem ſcilicet tuam, cum Rege Propheta, Diuinæ conſecras orationi, Sacra veneraris, Diuinum addis conuiuium, & luce ſancta perfuſus, puriori, & viuidiori radio deſcendis ad negotiorum caligines illuſtrandas, ad grauiſsima conſilia diſponenda, nec difficultates adminiſtrandæ Reipublicæ ingrederis, quin egrediaris Diuinis eloquijs inſtructus. Quid boni non ſperandum, ſi à conſortio Dei tranſis ad conſortia humana? Et à quiete Diuina, ad motus, & quærelas humanæ fragilitatis pacandas? Quod ſi oblectamentum aliquod neceſſarium eſt, (eſt quidem) philoſophicas amplecteris diſputationes, excitas, ſuades:

Animuſque viciſsim,
Aut curam impendit populis, aut otia Muſis.

Si ergo ſimilitudo vnionem parit, & amorem: Hippocrates qui Diuina, & humana profitetur, te primum in hac ſacra profeſsione inuocat tutelarem. Iam accedit ad reconditum cubiculum, iam cuſtodes exagitat Bibliotecæ, in hac locum, in te gratum animum, & beneficientiam deſiderat, vt ſi primum opus hilari vultu ſuſcepiſti, & honoribus decoraſti; quod nunc tuæ Præcellentiæ litamus, ſub claritudine nominis tui, humanioribus protegatur auſpicijs. Valeas Max. Philippo. Valeas Regno, & bonis ſpiritualibus munitus, humana fœliciter modereris, Diuinis æternum fruaris.

LECTO.

INDEX RERVM

quæ in hoc opere continentur.

A

Cœli

INDEX

F

G

H

I

Isido

Mor.

INDEX.

Præ

FINIS



IN LIBRVM AVREVM MAGNI HIPPO. COI. DE MORBO SACRO.

DIFFICILLIMVM Librum, & Reipublicæ vtilissimum, & necessarium, à nemine hucusq; quem viderim, aut legerim elaboratum, diuisis textibus aperiam; difficultates disoluam; literales quæstiones diluam; pro eruditis aliqua misceam, quæ licet ad textus explicationem sint necessaria; laboriosas tamen controuersias varietatis suauitate demulcent. Et in secunda parte, de Caussis diuinis sermonem attingam.

LIBER HIPP. COI.

SCIO Quam sit difficile antiquorũ libros vera censura distinguere; nunc aliqui sunt eruditi, qui affirmant libros de Physico auditu, & aliquos alios non esse Arist. quamuis sub eius nomine circunferantur, quid dicerent de libris Hippocratis, quos plures ante annos scripsit quando Græcia bellorum perturbationibus iactabatur? Equidem potuerũt mutationem, aut incendium pati, sed prouidentia diuina factum est, vt inter mundanas varietates magnorum virorum labores fixi, & immobiles ad posteritatis vtilitatem persisterent. Igitur librum istũ Hippocratis, esse mihi semper persuasi, quoniam citatum inuenio à se ipso, in epistola de Insania, & à Galen. lib. de Articulis, & in proœmio Prognosticorum, & à Celio Aureliano libro 1. tardarum Passionum cap. 4. Sententias aliquas huius libri inuenio in lib. de Aere, Aquis, & Locis, in lib. de Flatibus, & Aphoris. Consonant præterea omnia, quæ hic docet suæ doctrinæ, & Phylosophiæ, quã professus est. Dialectus Ionica Medicorum Principi (vt notum est] familiarissima. Foësius genuinum Hipp. fœtum agnoscit, Galenumque, & Herotianũ, & alios in partes adducit. Quod si aliquis legat,

1. Probatur ab antiquis.

Secundo à doctrina.

Tertio ab stilo, & modo scribẽdi

Quarto vt Hippoc. recipitur à Neotericis.

quæ scripsimus in procemio lib. de Hipp. Philosophia acquiescet nostræ censuræ; sed doleo maximè illos, qui spuria esse dicunt, quæ nõ intelligũt. Quin, & Mercurialis damnat, vt falsa. Quis talia audit? in suo cap. de Epilepsia inter alias rationes, ob quas existimat hunc librum non esse Hipp. ea est potissima, quod dixerit locum affectum in Epilept. esse cor. & nõ cerebrum. Certè audeo dicere, non Mercurialem, sed aliquem Tyronem eius discipulum, nec verbum huius lib. attigisse, cum contrarium omnino probet Hipp. ex professo, testem adhibeo, legant docti. Aliqui non probant istas nostras vigilias, quia putant non pertinere ad curationem. Dolendum certè quam sit antiquitatis studium auaritiæ, & lucri oculis infestum. Toruo vultu aspiciunt, aut ridiculo, parui pendentes pretiosos lapides, & thesauros Hippoc. Photiones sunt, omnibus aduersantur, vt Plutarchus ait. *Plutarch.*

LIBRI SCOPVS. TOSTATVS temperatur Hipp. Laus.

HVius operis excellentia maximè elucet inspecto fine, quem Hippoc. prosequitur. Intendit rem publicam à quibusdam seductoribus liberare, Magis, incantatoribus, superstitiosis, pecuniæ auidissimis, qui dicebant morbum hunc à solo Deo proficisci, & ideo Diuinum, & Sacrum esse, neque medicamentis indigere, sed expiamentis, sacrificijs, & oblationibus Deos esse placandos; præceptisque superstitiosis populum in admirationem rapiebant, quæ omnia efficacissimis rationibus destruit. Causas morbi, differentias, & partem affectam enarrans, & curationem insinuans. Vnde miror Tostatum virum eruditissimum non cognouisse solidum, pium, & vere Philosophicum Hippocratis ingeniũ, de quo *Macrob.* Macrobius dicebat: *Neque fallere, neque falli*, quæ sententia (solo Deo digna) in hoc diuino libro maxime elucet: vbi pro bono publico contra superstitiosos Magica deliramenta euertit. Quid ergo Tostatus 2. part. in Eusebium cap. 136. Magicam vanitatem à Zoroastre inuentam exclamat, à Democrito excultam, & ab Hippocrate erectam? Sed non attente legit sanctum Isidorũ, quem citat, (& nos text. 6.) ab illo enim accepit primam partem suæ sententiæ, sed non vltimam.

DE MORBO SACRO.

Quare de morbo Sacro, si probat non esse Sacrum? Arrogantia Sacra. Os sacrum mulieris Dijs offerebatur. Herculeus. Tonantes cœli, & Epilepsia Comitia dirimebant. Lunaticus. Lunium. Luna. Arreptitius. Sonticus. Insputatus. Opinio morbus Sacer.

LEmma, siue inscriptio nostri libri aliqua postulat animaduertenda. Quare non inscripsit de morbo Puerili, aut Comitiali, an fallit dicens in frõte quod intus negat?

Respondeo Hippocr. non ex propria sententia morbum Sacrũ dixisse, sed (vt alibi solet) vsum communi nomine, quod inter Magos, & populum inualuerat, vt melius patriam vindicet ab errore; videamus inquit, an morbus iste, quem Sacrum aut diuinum Magi nuncupant, re vera Sacer dicendus sit; nam vt eleganter dicebat Seneca lib. de Vita Beata cap. 1. Nõ quid vulgo veritatis pessimo interpreti probatum sit, sed quid veritas doceat inuestigandum. Atq; hoc fuisse Hippocr. institutum colligo ex primis verbis; ait enim: *De morbo Sacro appellato, sic res habet.* Quasi dicat morbũ, de quo dicere instituo, quem alij appellant Sacrũ. Eisdẽ verbis vtitur lib. de Aere, Locis, & Aquis, recensens morbos populares ciuitatis expositæ aductos frigidos inter Occasum Solis æstiuũ, & Orientẽ æstiuũ, inquit: *Seneca.*

Morbos etiam Sacros appellatos, paucos quidem

quidem virum vehementes, & lib. de Flatibus, *Videtur autem mihi amplius, & Sacrũ appellatum morbum, ab ipsis flatibus gigni*; Neque solum in Hippoc. libris animaduerto hunc esse morem (vti scilicet nomine communiter recepto) sed ex opinionibus antiquioribus sumere consueuit aliqua, vt late manifestaui in Philosophia Hippoc. vbi, & Democriti, & Anaxagoræ, & Empedoclis, qui tempore illo floruerunt, sumit modum dicendi.

Igitur non iuxta proprium sensum inscriptio constituta est, sed iuxta aliorũ; sic enim facit librum acceptabilem, vt melius veritatem è tenebris erutam demonstret lectoribus. Tantus fuit nostri Senis patriæ iuuandæ ardor; quem morẽ frequenter seruat Clem. Alexandrin. in Exhortat. ad Græcos, vt rectè notat Gentianus. Alij Græci, & Latini res magnas, aut admirandas sacras nuncupant: viam Sacram, ciuitatem, muros, silentium. Et cum viderent morbum hunc magnum, & animæ domicilium occupantem Sacrum appellarunt. Placet etiam sententia Plutarchi lib. de Industria animalium ante finem: qui postquam cum Homero dixit Sacrum pro magno vsurpari, & ob id Comitialis Sacer. Addit: *Quidam vero cõmuni ratione* (loquebatur de Anthia pisce, quem appellabãt Sacrũ) *quod liber sit, & ab omnibus dimittatur dictum Sacrum putant*. Equidem Epilepsia hac ratione potest dici Sacra, quia omnes ab illa fugiunt, dimittentes Epilepticum solum, vt fiebat in Comitijs (vt statim dicam.) quin, & morbos animi Sacros dicebant, nam diuitiarum cupiditatem Sacram famem dixit Virgilius, & Heraclitus pulchre arrogantiam Sacram vocauit ægritudinem, quia tam magna, & insuperabilis est, vt sola morte finiatur.

Clement. Alex.

Plutarch.

Virgil.

Heraclit.

Inuenio tamen scelestum, & detestabile Sacrum fuisse appellatum, vt ex Aphranio refert Nonius. *O Sacrum scurrã, & malum*. Turpilius, *etiam mei rides pessime, ac secerrime?* Vnde existimo Latiniores vocasse Sacrum morbum, non vt Diuinum, sed vt detestabilem.

Nonius.

Turpilius

Quare Medici os Sacrum appellant, quia magnum; cum ossa capitis multo maiora, & sacram arcẽ regentia Homoplatum, & alia multa in humano corpore maiora inueniantur? Cur ergo os tam moderatæ magnitudinis; & infima; & turpi parte locatum, Sacrum appellatur? Admirabilis est humanus partus, vt miraculum iudicatur ab Augustino, sed viluit, inquit, præassiduitate, finis Diuinus & admirabilis, ergo os quod in partu mirabile se præstat Sacrum debet appellari; cum enim ita durum sit, & diuisioni resistat, tamen tempore partus libenter cedit, & curuum ad externam, ad internam cauum, viam exhibet fœtui (adiutorio Dei excelsi præparante, & disponente, vt Auicenæ verbis vtar.) Atque ob hanc causam puto Sacrum appellari proprissime in fœminis, improprie in viris. Vnde meritò Dijs offerebatur, (vt colligitur ex Menandro) quasi res mirabilis.

D. August.

Herculeus dicitur, quia putant Herculem isto morbo fuisse oppressum, sed falluntur, non enim Epilepsia, sed insania laborauit, quando trucidauit filios suos, quos ex Megera susceperat. At quando indutus veste exarsit, potius igne Sacro comburebatur, & nõ morbo, de quo hic agit Hippoc. ergo dictus Herculeus, quia fortis, & insuperabilis.

Aristoteles vocat hunc morbum herculeum problemate 1. sect. 30. vbi aliqua de materia

Dictus etiam fuit Comitialis ab Hippocrat. lib. 2. Apho. 45. & lib. de Ratione victus in morbis acutis, & alibi, quoniam Comitia derimebantur casu alicuius Epileptici. Quintus Serenus.

Serenus.

Est subiti species morbi, cui nomen ab illo,
Quod fieri nobis suffragia iusta recusat,
Sæpe, etenim membris acri languore caducis.
Consilium populi labes horrenda diremit.

Non solebat accidere in concilijs, sed in Comitijs (vt notat Rosin. de Antiquitatib. Romanorum) Quoniam concilium erat paucorũ consultantiũ; Comitijs vniuersus popul⁹, & Gubernatores simul aderant. Quod si in tanta solemnitate, & concursu Epilepticus aliquis cadebat.

Rosinus.

 diem

diem illum tanquã infestum, & Dijs displicentem fugiebant, & omnia negotia relinquebant, vnde Comitialis morbus dictus. Similiter dirimebantur Comitia, si cœlum tonaret, si tonitrua, si fulgura apparerent, ita Rosinus lib. 6. c. 14.

Rosinus.

Lunaticus dictus est iste morbus, imo ob hoc etiam Diuinus, quia vel ipso Hippocrate attestante, causæ cœlestes vocantur Diuinæ, & morbi Diuini qui ab illis oriuntur. Sunt tamen alij morbi etiam Lunatici, vt insania, quã videmus exacerbari ad motum Lunæ, & aliquando per quædam interualla desinentem recurrere, imo in Hispania cum aliquẽ videmus non mente securum, licet quietum, & placatum, dicimus habere lucida interualla, quia ad Lunæ certas conuersiones, ad quadraturas, aut coniunctionem, aut plenilunium excitatur cerebri affectio.

Supponendum præterea, esse aliquos Lunaticos arreptitios, sic nuncupatos, quia à Dæmone arrepti vexantur; qualis fuit Lunaticus, quem refert sanctus Matthæus, cap. 17. sanatus à Domino nostro: ille certe vexabatur ab spiritu immundo, sed temporibus determinatis Lunæ, quæ rectè obseruat Dæmon, vt cum mouetur humor à Luna, moueat ille ad tormentum, & quasationem humani corporis: sic melius fallit homines, & occultè latitat, dum alij credunt solam esse stellam causam tanti mali. Itaque erat Lunaticus, & arreptitius, quod constat ex Sacro textu: *Et exiuit ab eo spiritus.* Quod nõ diceret, nisi à Dæmone vexaretur, & nõ à sola Luna, aut à solo morbo: quod animaduerto in Sacris literis, & præcipue in Diuo Luca; qui vt magnus Medicus facit differẽtiã inter infirmos, & vexatos ab spiritibus immũdis; ait: *Infirmi, & qui vexabãtur ab spiritibus sanabãtur omnes.* Itaque Epilepsia, aut alius morbus poterit dici Lunaticus, quia excitatur motis humoribus à Luna; & Dæmoniacus, qui à Dęmone sumẽte occasionẽ ex humore moto tempore Lunæ, & talẽ humorem etiam mouente ad hanc, aut

S. Matth.

D. Luc.

illam partem: iste vero insanabilis est, nisi exeat Dæmon præcepto Diuino; ille autem habitualis, [si per ętates maiores misit radices] iuxta Hippocr. decreta insanabilis etiam est, & à solo Deo expectare potest medellam. Et quis dubitat quin inter infirmos, qui vexabantur ab spiritu essent etiam Epileptici aliqui à solo morbo interno habituali, & sanabantur omnes [vt dicit sanctus Lucas à Redemptore nostro.

Sed cum antiqui illi Lunã Deam venerarentur. Licet Carreni non Deam fœminam, sed Lunũ masculum adorabãt, vt refert Cœlius, non mirum quod morbum à suis Dijs inflictum diuinum appellarent, contra quos Hippocr. disputat in isto libro. Sed quãdo de Luno mentionẽ fecimus, rationem exhibet Cœlius lib. 20. cap. 7. quare Lunũ, vt masculum colebant: quoniam scilicet fuisset à prudentissimis traditum, esse mulierosos, & muliebribus mãcipatos delicijs eos, qui Lunam, vt fœminam suscipiebant, illos vero, qui vt masculum à mulierum insidijs esse liberos.

Cœlius Rodig.

Quando hic morbus causatur à Dæmone solo (ab aliquibus Ecclesiasticis autoribus) vocatur Arreptitius, ille scilicet, qui talem morbum patitur, quasi arreptus fuerit.

Insputatus ab antiquis etiã dictus, quia aut viso ægro, aut eius nomine audito statim spuebant, quasi aborrentes, aut sic dicebatur ab sputo oris quod apparet in Epilepticis, cum exeunt ab accessione.

Igitur Puerilis ab ætate cui familiaris est. Comitialis à loco. Herculeus a fortitudine. Caducus à casu. Sacer à magnitudine, à pernitie, ab admiratione. Epilepsia à comprehensione potentiarum. Lunaticus à conuersione Syderis.

Sonticus (ab aliquibus antiquis) quia maxime sua pernitie hominem omnino reddit impeditum ad optimas actiones, vt ad iudicium cogi non possit. Quamuis enim aliqui morbi magni Sontici dicebantur, scilicet, qui impediebant, ne personaliter quisquam laborans coram

+ vide legem morbus 113. ff. de verborum signif. et citatis in glossa

iudice citaretur, tamen iste legitime inter omnes talis dicebatur, à quo in comitijs fugiebant. Ergo multo magis non admitteretur ante iudicem, sed alter pro illo.

Vnde existimo (vt explicem illam legẽ adductam ab Aulo Gellio lib. 20. c. 1. quã nobis obtulit Eruditissimus Cõsiliarius Regius, omni laude Maior D. Alphõsus Ramirez de Prado) quod morbus Sonticus ille solum intelligitur in illa lege, qui hominem impedit continuo ad comparendum ante iudicem: vt Paralysis crurium, aut febris Hectica, Hydrops confirmata, Tabes, Podagra, & similes alij. Isti enim ęgrotãtes, ita debiles redduntur, & ita languentes, vt indigeant iumento (vt dixit lex, aut alio vectabulo, vt dixit Gellius. At Epilepsia, cum fiat per interuala relinquit hominem liberum ad ambulãdũ, sicut quartana. Hac ratione nõ posset excusari infirmus à comparendo coram iudice, sicut alij prædicti, qui continuo impediti sunt. *Aul. Gel.*

Dicendum, quod Epilepsia vocatur Sonticus, nõ solũ quia magnus, sed quia circunstantes nocet; solet siquidem eos vexare, & arripere. Et ideo placet nobis autoritas Auli Gellij, magis quam Mercurialis. Solum loquitur lex de valde senibus, vel propter infirmitatem debilitatis: vt nisi veherentur, non possent cõparere; non tamen de alijs infirmis, quibus morbus prorsus intermittens nõ infert ambulandi impedimentum. Ergo Sõticus dicebatur iste morbus Comitialis, quia fruebatur præuilegio legis, nõ quia imbecilles ad ambulandũ reddebat infirmos, sed ob mali terrorem. Prouidẽs etiã lex, vt qui Epilepticum citaret, teneretur illũ iumento ducere, & reducere. Ne forte in actu publico morbo correptus dissolueret iudiciũ, sicut Comitia; & maneret solus, sine adiutorio, quo reduceretur in domum.

Heraclytus, vt refert Laertius in eius vita dicebat opinionem, siue æstimationẽ esse morbum Sacrum. Ignoro ob quid, nisi dicamus opiniones, & iudicia hominũ quibus tenaciter hęrent, nulla habita fundandæ veritatis ratione morbos esse animi; male quidem solet affici intellectus, sicut voluntas.

TEXT. I.

DE morbo Sacro vulgo appellato, sic se res habet: Nulla re mihi alijs diuinior esse morbis; neq; sacratior, verum naturam habet, quam etiam reliqui morbi, vnde fiunt.

GRauitate, & breuitate, qua solet, quid sentiat de nomine huius morbi insinuat: nam dicens: *Qui Sacer nominatur.* Sapientium iudicio relinquit quantũ soleat discedere à veritate opinio populi, quod Seneca lib. de Beata vita cap. 2. eleganter dicebat; *Quæramus quid optimẽ factum sit, non quid vsitatissimum, &c.* Et vt supra dicebam, vocabat Seneca vulgum pessimũ veritatis interpretem, quã obrem pro veritate defendenda proponit in ipso limine vnica conclusione suã sententiam. Morbum Comitialem generari, vt alij morbi, à causis præternaturã, neque habere aliquid peculiare Diuinũ, per quod constituatur, & ab alijs distinguatur. Hanc probabit multipliciter, detectis erroris causis. *Comment.* *Seneca.*

TEXT. II.

HOmines vero naturam, & causam eius Diuinam esse existimarunt, ob inexperiẽtiã, & admirationem; propterea quod reliquis morbis nil habeat simile, & per inopiam quidem cognitionis Diuinitas ei ipsa cõseruatur.

DETEGIT Causas tres falsæ opinionis. Inexperientiam, admiratio- *Comment.*

nem, & scientiæ defectum. Quod in experti admirentur nouũ non est, sed quod admirati non quærant rationem, neque philosophentur circa causas talis effectus, hoc ab homine prorsus alienum: vide quam strictè incipiat comprimere opinionem illam Magorũ; propter istas tres causas inquit. Conseruatur nomen Diuinitatis huius morbi. Inexpertos vocat illos, quia neque experientiam habere poterant fallacis curationis; neque veræ Medicinæ, nam experientia, vt ait Plutarchus, ex mente Historicorum lib. 4. de Placitis cap. 11. est, eorum quæ eiusdem speciei sunt multitudo, quam definitionem, cum D. Thom. late explicaui opusc. in Auic. At illi impostores, cum nullis medicamentis vterentur, nũquam experti sunt efficaciam illorum: promissa igitur Magorum fallacia, & mendacij plena in sano circuitu oberrabãt. Quid igitur expectandum, quando deficit experientia, & scientia? Respondeo breuiter, expectare debemus arrogantiam (vt statim videbimus cum Hippocr.)

Plutarch.

TEXT. III.

SEcundùm facilem vero, & parabilem modum sanationis medentur, expiationibus, aut incantamentis.

Commen. QVasi dicat inopiam intellectus supplẽt facilitate remediorum, scilicet incantamentorum, & expiationum. Expiationes vocabant purgationes peccatorum per sacrificia, vt Deos placarent, qui morbos inferebant: incantamenta dicebantur, quãdo aut verbis, aut signis, & rebus quibusdam adiunctis aliquid supra naturam moliri tentabant, ad medelam huius morbi. De quibus Seneca lib. 1. Quæstionum naturalium cap. 35. *Quid ergo expiationes? procurationesque quo pertinent? si immutabilia sunt fata? Permitte mihi illam rigidam sectam tueri eorum, qui excipiunt ista, & nihil aliud esse existimant, quàm ægræ mentis solatia.*

Senecæ elegans sententia.

Cleomenes apud Plutharcum in Apote. Huius sectæ rigidæ, quam dixit Seneca videtur esse: *Nam cum expiatoribus, & vatibus (non antea solitus) mentem adhiberet; longa ægritudine detentus illos vocãs, respondens amicis, qui mirabantur, quid mirum, inquit, neq; enim nũc idem sum, qui tũc eram, sed cum idem non sum, neq; eadem probo.*

Cleomen. Plutarch.

TEXT. IIII.

SI vero propter admirationem Diuinus censetur, multi morbi Sacri erunt, & nõ vnus, quem admodum ego demõstrabo, etiam alios non minus admirabiles, neque minus monstruosos, quos nemo Sacros esse censet. Primum etenim febres quotidianæ, & tertianæ, & quartanæ, nihil mihi minus Sacri esse videntur, nec minus à Deo fieri quam hic morbus etiã si nihil admirabile habeant.

Commen. EFficax argumẽtũ Hipp. Si Epilepsia vocatur morbus Diuinus, quia admirabilis, & prodigiosus, quare alij multi tam admirabiles non dicentur, Diuini? quales sunt febres prædictæ, & si Epilepsia secundũ opinionem Magorũ à Deo fit, quare non & isti morbi? ergo etiam omnes vocari poterũt Diuini, aut nullus.

Fundamentum huius argumenti stat, in hoc, quod causa circuitus febrium, tã admirabilis sit, vt ab Hipp. vsque ad hęc tempora magnos Philosophos exercuerit [tam est abdita istius ratio, quamuis apud vulgares, nullã habeat admirationẽ] nullus tamen dixit has febres esse sacras. Non certè minus admirabile est, quod quarto quoq; die febris inuadat, quã quod homo cadat, & iactet se sine sẽsu. Cõtẽplari oportet vtriusq; morbi causas

ſas,&admirabimur. Vbi abſconditur ille humor qui certa hora,& die mouetur, inceditur, & cauſat febrim? vbi latitat humor, qui ſecreto curſu ad caput aſcendit,& hominem ad concuſsionem ſubitam agit? Certè omnes iſti effectus ſimilem habent admirationem, ſed nō ob id Diuini nuncupandi. Vnde conſtat, gentem illam fuiſſe ignorantiæ tenebris inuolutam, ſiquidem admirabilia putabat, quæ non magis quam alia talia dicenda erant. Neque vocem audierant Pythagoræ, dicentis. *Ex Philoſophia, mihi contingit, vt nullius rei admiratione capiar.* Secundo probat, quia febres prædictæ etiā à Deo cauſari poſſunt, quare non etiam dicantur Diuinæ?

Pythagor.

TEXT. V.

DEinde vero furore correptos, ac deſipientes multos ex nulla manifeſta cauſa, cum multa, tum etiam intempeſtiua facere videntur, quin etiam multos in ſomno lugentes, & vociferantes vidi, quoſdam etiam ſuffocatos, quoſdam exilientes, & fugientes ac deſipientes, quo ad excitarentur, poſtea vero ſanitati reſtitutos: & vt antea reſipiſcētes, quāuis pallidos, & debiles. Idq; non ſemel, ſed ſœpius contingere vidimus, quin, & multa ſunt, & varia, quæ ſigillatim, ſi enumerare velimus, prolixa fuiſſet oratio.

Comment. PROPONIT Alios morbos mirabiles,& accidentia aliqua monſtruoſa, in quibus nunquam aliquod myſterium, vel Diuinitas inuenta eſt à Magis. Primo furioſos,& delirantes nulla præcedente cauſa manifeſta. Illos intelligit, qui aut Mania, aut Melancholia, aut alia ſpecie delirij laborant. Quod vt clarius pateat, notandum eſt, quod furor,& deliriū, ſiue deſipientia habēt ſe tanquam ſuperius,& inferius; omnis enim furioſus, ſiue Maniacus delirat, ſed non omnis delirans eſt furioſus; nam Mania eſt feruidū quoddam delirium,& turbulentum, ſine cerebri inflammatione: Alij verò delirantes phrænitici, alij Melācholici, aut quomodolibet deſipientes, non ſemper furioſi ſunt, quod ob cauſæ diuerſitatem contingit. In his autem ſunt aliqua mirabilia, tam quo ad cauſas, quam quo ad accidētia. Mirabile eſt, quod inſaniat aliquis, ſine cauſa manifeſta. Equidem cauſam manifeſtam intelligimus [prout pertinet ad hunc textum] multis conſpicuam, aut ſenſu cognitam; at magnos iſtos morbos vidimus ab occultis promanare principijs, vt ab amore plures in Melancholiā,& deſipientiam inciderunt, aliquando in furorem, de quo puncto eleganter,& eruditè ſcripſit Venerandus Parens D. Alphonſus Sancta Cruz in ſuo libro aureo de Melancholia, quem nos in bonum publicum noſtro primo tomo adiunximus.

Alphonſ. de Sancta Cruz.

Mirandum profectò quod animus, cuius naturam, vt diuinam ſemper admiratur Hippocrat. tam longè eleuatus ſupra brutalem cōditionem à ſe ipſo per ſuas actiones,& appetitiones, ita diſcedat:& qui antea portio diuina vocabatur, iam infimi bruti imago ſit.

Sed neque ſolus amor, tam amarum malum producit, ſed alij etiam affectus interni, quos aut pudor ſimulat, aut impoſsibilitas detinet, cohibiti in corporis pernitiem prorrumpunt, cuius rei plura exēpla apud antiquos reperies.

Sed accidentia furoris mirabilia referat, Seneca lib. 1. de Ira, c. 1. *Nam vt furentium certa indicia ſunt, audax, & minax vultus, triſtis frons, torua facies, citatus gradus, inquietatæ manus, color verſus, crebra, & vehementius acta ſuſpiria.* Nos addere infinita poteramus, quia tantum malum non habet numero determinata ſymptomata. Ad inordinata

Seneca.

cogit, nam ægri sibi manus iniiciũt, alios vexant, & fugant, in faciem expuunt, plorant, vociferant, suffocantur, & nisi cautè custodiantur, per publicas vias nudè exeunt, & quod mirabilius est, futura solent prædicere, & aliqua grauiter & sententiose loqui. Si igitur ista tam admiranda sunt, vt excedant ea, quæ in Epilepticis apparent, quare omnes isti morbi nõ dicuntur diuini? Hæc ratio Hipp.

Sed dubitabis, quomodo dicit Hippocrat. delirant, donec à somno exeant? si enim delirabãt ante somnum, & in ipso somno, quare non delirant post somnũ? Prętereadubitas, quę admiratio, aut quę diuinitas causarum latitat in simili casu?

Ad prim. Respondeo. Hoc etiam tanquam mirabile referri, quia non caret admiratione, quod somnus quo mitescit delirium prodigiosa accidentia admittat. Tamen cum in eo sint duo tempora, siue partes in primo occursu, cum omnia liquida, & spirituosa retrocedant ad interna, & grauetur caput, perturbatur inæqualiter æger; at cũ iam secundò natura per somnũm humidas reddit partes ex vigilia aridas, proculdubio delirium arcet, & ob id dicebat Hippocrates in Aphorism. *somnus delirium sedat.* Vnde non habemus aliam meliorem viam curationis, quam somnum delirantibus aliquibus conciliare, post causæ influentis, siue antecedentis ablationem. Dixi aliquibus, quia excipio læthargicos.

Sed quando Hipp. lugentes, vociferantes, exilientes, desipientes in somno vidit; admirationem insinuat, & aliquid supra communem naturam. Dico esse mirabile, quod dormiẽtes lugeant. Tristia somniare, & lamentabilia vidimus, sed lachrimare in somno, qui omnes retinet vacuationes præter sudorem, videtur admiratione dignum; forsan per luctum intellexit Hipp. gemitũ quasi plorantis.

Ad secun. Tales autem (cum euadunt) pallidos, & debiles videmus (vt inquit textus) quasi convalescentiam agentes à magnis morbis liberatos. Quod autem de vaticinio diximus, eleganter differitur à nostro Vallesio in sacra Philosophia.

TEXT. VI.

CÆterum, qui primi hunc morbum ad Deos retulerunt, aut diuinum dixerunt, tales esse videtur, quales sunt Magi, expiatores, circulatores, ac arrogantes, ostentatores, qui se valde pios esse, plurimumque scire simulant; hi quippe diuinitatis obtẽtæ prætextu, cum nulla ope prodesse possent, ne inscitiam suam proderent, sacram hanc esse affectionem censuerunt. Et additis idoneis rationibus securam sibi curationem proposuerunt, oblatis expiationibus, & incantationibus, balneisque interdictis, & multis cibis ad laborantiũ vsum minime accommodatis.

MVTAT Naturam argumẽti, quia supra probat ab admiratione, alios morbos æqualiter, aut magis mirabiles esse, neq; diuinos fuisse appellatos. Nunc arguit à conditione opinantium, & secũdo ab illorum præceptis. Cõducit enim multum ad aliquam falsitatem destruendam cognoscere autoris conditionem; nam de veritate quid potest sentire mẽdax? de virtute quid vitiosus? de simplicitate orationis, quid ostentator? de soliditate philosophica quid vaniloquus? de bono communi quid pecuniarũ raptor? Tales sunt homines, cum quibus disputat noster sapiens senex, autores prædictæ falsitatis; non expectes aquam à talibus fontibus, sed venenum. Singula perpendamus. *Comment.*

Isti non erant Magi sapientes inter Persas; nam quos Græci Philosophos dicebant: antiquissimi Persarum vocabant Magos, neque Cœlorum contemplationi dediti erant, quales fœlices illi, qui ab Oriente ad veri Dei cultum conuenerunt; sed Magi iam eo tempore aliqui dicebantur, qui veras artes ignorantes ad falsas conuersi, homines seducebant, asserentes se scire magna, & inaudita secreta, & facere prodigia. Itaque tres Magorum differentiæ cõstant apud Antiquos. Prima Sapiẽtium, rerum causas rimantium. Secunda Sapientiũ, qui de Cœlorum motu, & iudicio stellarum agebant. Tertia Magorum, qui fallacem artem, & maleficam profitebãtur: inter quos vltimos isti collocandi sunt, quos arguit in præsenti lib. Hippoc. Doctissimus Raderus lib. 3. in Curt. cap. 7. fol. 33. nostrã diuisionem melius explicat. Ait. Magi vox à Barbaris profecta, Greciæ, & Latio primũ à Chaldæis, & Persis in honore fuit. Erant Magi Sacrorũ Antistites, Regũ moderatores, & sapientiæ diuinæ, & humanæ periti habebantur. Inde sensim cœpit, vt vox tyrãni, & hostis in infamiam vergere, pessimisque artibus assignari. Ita cuncti venefici, venenarij, incantatores, Thesali, arioli, augures, aruspices, Chaldęi, Genethliaci, necromantici, epacætici, præstigiatores, AEgiptij, Lamiæ, Striges, Sagę, veratrices, sortiarij, Mascæ; & hoc genus alij, aliæque pestes generis humani magis accensi, & execrati. Magorum triplex genus erat. Primi fuere sapiẽtiæ Magistri, sobrij, siccique, vt qui præter farinam, & olera nil ad mensam adhiberent. Alij Antistites, & Sacerdotes in Persia. Extremi, qui malorum geniorum ope, & opera varijs præstigijs animos mortalium suspenderunt, luserunt, sæpius etiam euerterunt, &c:

S. Isidor. Sed antequàm vlterius progrediar, miror maximè quòd sanctus Isidorus lib. 8. Origi. cap. 9. Democritum dicat artem Magicam ampliasse, cuius verba sunt: Magorum primus Zoroastes Rex Bactrianorum extitit, quem Ninus Rex Assyriorũ prælio interfecit: de quo Arist. scribit, quòd vicies centũ millia versuũ ab ipso cõdita indicijs voluminum eius declarentur. Hanc artem multa post sæcula Democritus ampliauit, quando, & Hippocr. in Medicinæ disciplina effloruit.

Dubito circa tanti viri sententiam, nam Hippoc. post graues sermones habitos (vt ex illius epistolis constat) cum Democrito de rerũ natura, de moribus, in laudes, & excellentias illius admiratus prorrumpit, & ab illo discedens, ait: *Hippoc. Democr.* *Democrite præstantissime, magna hospitalitatis tuæ munera mecum in corde reporto, cum multa me sapientiæ tuæ admonitione compleueris: præco enim tuarum laudum reuertor; quod naturæ humanæ veritatem inuestigasti, & mente complexus es; accepta autem à te mentis curatione discedo.* Hæc Hippoc. Sed plura excellẽtiora ad Abderitas de suo Democrito, quæ ab istorũ Magorum vanitate, & mendatio ita distant, sicut lux à tenebris. Pro sancto ergo Isidoro respondeo, quod qui ampliauit Magicam superstitionem fuit alius Democritus illius temporis: nam vt nomine Hippocratis fuerunt multi, ita & Democriti, tamen Democritus Abderitanus, qui cum Hippocrate Coo conuersatus est, fallaces non exercuit artes, vt ex illius cõstat historia. Omnia enim quæ hoc libro de Magis scripta sunt, veritati, & sapientiæ Democriti non conueniunt. Et Licet Plin. lib. 30. cap. 1. etiã putet Democritum Magum. Ego illorũ sentẽtiam sequor, quos ipse Plin. refert. Ait enim. Democrit. Appollonicẽ Captidenem, & Dardanum è Phænice illustrauit, voluminibus Dardani in sepulchrum eius petitis; suis vero ex disciplina eorum editis: quæ recepta ab alijs hominum, atque transijsse per memoriam æquè, ac nil in vita mirandum est, in tantum fides istis, fasque omne deest; adeò vt ij, qui cætera in viro illo probant; hæc eius esse opera inficientur. Hæc Plin. Si ergo multi illo tẽpore libros de Magia De-

Democriti non esse dicebant, mihi fas erit, idem dicere. Præterea animaduerto, hunc locum. S. Isidori adduci à Tostato 2. par. in Eusebium cap. 138. [vt supra dixi] & aut defectu Typographi, aut assistentis minus diligētis magnus error commissus est contra veritatem: nam Tostatus legit (ab Hippocrate fuisse erectam Magicam artem) quod nullam aliā excusationem habet, nisi prædictam: Isidorus vero solùm dicit, Hippocratē floruisse tempore Democriti. Sed redeo ad text. Qui sint expiatores, diximus textu 3.

Circulatores sunt, qui vt captent aurā popularem multis verbis, hinc inde petitis, iam fabulis, iam historijs, & quibusdam casibus enarratis, audientes in circulum congregant: de quibus Seneca epist. 40. *Vim dicendi rapidam, & abundantem aptiorem esse circulanti, quā agenti rem magnam, & seriam.* Et Lipsius num. 7. *circulanti*, idest, circulos facienti, & captāti; vnde Horatius pulchrè in Poetica. *Seneca.* *Lipsius.* *Horatius.*

Nec circa vilē, patulūq; moraberis Orbē.

Vbi Heinsius, quid est Orbis? Omne illud, quod est præter rem ipsam, & vt contingit seruis, qui ad excusanda delicta, in quibus ab Heris deprehenduntur, plurimis verborum circulationibus, & extra rem vtūtur; locus elegās Arist. in Rethor. adductus ab Heinsio. *Heinsius*

Et certè de aliquibus nostri temporis videtur posse dici, quod Seneca aiebat epist. 52. communes locos voluunt, & in priuato circulantur. *Seneca*

Arrogantes illos dicit Hippocr. qui deposita modestia, temeritate, & impudentia vanam sibi comparant authoritatem, insinuantes se posse præstare curationem morbi, & eius cognoscere causam, cùm tamen ignorantissimi sint.

Arrogans sibi tribuit, quæ non habet, vt docet D. Thom. 1. 2. Ostētatores illi dicuntur, qui cum iactantia pleno ore loquuntur. Ostentatio est effectus arrogantiæ; arrogantia est superbiæ filia. *D. Thom.*

Non est extinctum hoc genus hominum, nunc per totam Europam miserè, imo aliquando fœliciter germināt: multi verbis posse curare prædicant; alij sigillis, alij superstitionibus, alij delirant cum Paracelso; adeò increuit petulantia simul cùm incogitantia, vt absentes, & longè distantes, curare quis promittat, & librum excuserit de vnguento Armario, quem eleganter destruxit Ioānes Robertus doctissimus Iesuita. *Ioan. Robertus Iesuita.*

Impostores isti securam [dicit Hippocrat.] eligunt sibi curationem: nam priùs dicūt, rem esse difficilem, occultā, diuinam, quodsi prosit incantatio, sibi gloriam, & pecunias acquirunt: atsi frustra, in Deos causam referunt implacabiles: his, & alijs suam tegunt ignorantiam.

Secundò arguit Hippocrates, referēs varia præcepta, quæ ægrotantibus imponebant. Primò prohibebāt balnea; quod præceptum absolutè loquendo, satis constat esse præter rationem, cū possit prodesse in calida dispositione cerebri, & hepatis; in Mania, & in Melācholia ita est efficax balneum, vt nullū maius, vt suspicari possimus hac sola ratione à Magis vitari, vt ad sola Magica mendatia ægri concurrerent: nam & pituitam communem Epilepsię causam discutere possunt aliqua balnea. Videamus alimēta, quæ prohibebant.

TEXT. VII.

AC Marinis quidē, Mullo, Mellanuro, Mugili, & Anguila, qui pisces præcipuè vitandi sunt.

MVllus fuit in maximo pretio habitus, vt poteris legere apud Pliniū, Macrobium, & alios antiquiores. Gal. lib. 3. de Alimentorum facultatibus celebrari dicebat Mullum apud omnes, tāquā voluptate, cibos reliquos superātē. *Plinius Macrobi.*

Bar-

Barbus marinus est, à nostris Salmonetus dicitur; apud Vlysiponenses frequẽs, vt vidimus, quando cũ Philipo III. Hispaniarum Rege in illa celeberrima ciuitate commorati sumus.

Et præter cõmunes rationes, ob quas non oportet in hoc morbo piscibus vti; Mullus interdici poterat Epilepticis, quia quamuis gustui sit gratus, tamẽ sine dubio in improbũ humorem degenerat, quia vescitur luto, & Lepore marino venenoso. Quamobrem viscera illius, in quibus venenosa alimenta plus detinẽtur, sine dubio erunt perniciosa. Reliquæ vero partes huius piscis, quamuis totum venenum consumptum sit, neutiquam sunt securę pro Epilepticis. Si Magi ignorabant istam rationem Medicam. Transeamus ad aliam, quæ pertinet ad illorũ professionem.

Prohiberi poterat Mullus, quia Pythagoras ab eo abstineri docuit, & Plutarchus lib. de Industria animalium, in meo antiquo folio 154. linea 11. ita ait: *Mullum Eleusinæ Sacerdotes, etiam pro sacro coluere, eodemque Iunonis apud Argiuos Antistitem ob Iunonis reuerentiã prorsus abstinere notum est omnibus: marinũ quippe Leporem exitialẽ homini Mulli necant, cùm primisque infestant: vnde studio quodã hominis duci, hominis curam gerere crediti: istam vicissim immunitatem obtinuere.* Sic Plutarchus, quamuis Xilandrus sua noua editione, fol. 983. aliquantulùm mutet verba, sed non sensum. *Plutarch.*

Tertiò posset dici à Magis prohiberi hunc piscem ob cultum Dianæ, cui esse dicatũ, dicebant, aut quia maximè eminet in captandis alijs piscibus, aut quia manducantibus castitatem præbet, quæ omnia placebant Dianæ.

Præterea à Mugili, Melanuro, & Anguilla abstineri præcipiebant. Abstinentiam horum piscium Hippocr. etiã præcipiebat: nam lib. de Internis Affectibus circa medium tales pisces prohibet in quadam tabis specie. Quare ergo non in Epilepsia, qui affectus, vt plurimùm à pituita solet proficisci? At pisces isti pituitam adaugent. Vnde existimo, diuinũ nostrum Senem non reprehendere omnia, quæ isti Magi proponebant: nam idoneas rationes (ita ab illo vocatas) iam admittit, sed superstitiones, & incantamenta detestatur: & quod nulla habita ratione medicamentorum, hunc morbũ dicerent per sola expiamenta aboleri. Quod constat, quia prohibitionem istorum pisciũ silentio præterit. Alia autem destruit, vt ratione carentia.

Sed notandum pro maiori claritate, quod ex his Magorum idoneis præceptis excipiet statim Hippocrates efficacissimum argumentum contra ipsos.

Melanurum Pythagoras prohibet in suis Symbolis dicens, ne gustato Melanurum. Antiphanes, etiam à Melanuro, & Mugili cauẽdum suasit. Accedit quod cùm superstitiosi isti non possent tolerare colorẽ nigrum (vt inferius dicemus) hinc est, vt Melanurus prohiberetur, quia magnam maculam nigrã habet in cauda & lineas nigras per latera; infaustum illis signum. *Pythagor.* *Antiphan.*

Mugiles prohiberi poterant, quia ita libidinosi sunt, vt dicat Oppianus, quòd à fœmina formosa, & benè pingui capiantur, & non a deformi. Quantũ vero dãni recipiãt Epileptici ab alimentis ad coitum excitantibus, notum est; nã præter quam quòd coitus comparetur paruæ Epilepsiæ; debilitatur maximè cerebrum, aut quia semen ab illo defluit (vt credit Hippocr.) aut quia magna copia spiritus animalis consumitur, qui ad cerebri cõseruationem, & illius operationes simpliciter est necessarius. Ergo Mugiles non conueniunt in morbo Epileptico. *Oppianus.*

Anguilla non conuenit, quamuis ita laudata ab Antiquis, vt constat apud Atheneum; nam abundat lento, & pituitoso succo. At in morbo Comitiali cõtrarius victus necessarius est; vnde Hippocrates tabidos arcebat ab Anguilla, quia lentor ille potius impedit transitum alimenti ad partes alendas, quod intelligẽdum est, nisi salsamentis condiatur, quæ *Atheneus.*

bene-

Aristopha. beneficium impedunt, vnde apud Aristophanem dicebat ille, Anguillam alloquens.

Neque enim moriens, à te vnquam sim
Separatus, betis cocta.

At si audire vis vanam rationem, qua Magi prohibebant Anguillam, inspice mores AEgyptiorum, qui illas vt sacras venerabantur, quos irridet Anaxandri- *Anaxãdrides* des apud Atheneum; prohibebant ergo *Atheneus* Anguillas, quia sacras.

TEXT. VIII.

C*Arnibus verò Caprina, Ceruina, Suilla, & Canina. Nam huiusmodi carnes ventriculum maximè conturbant.*

CArnem Caprinam neutiquam esse concedendam in curatione huius morbi, sed tanquam infestissimam prohibendam, multa possunt ostendere; *Archelaus* Archelaus apud Plinium nunquam capras carere febri dixit, ita vt affirmet *Nicolus Florẽtin.* Nicolus Florentinus, cessante febri, statim mori. Praeterea Caprae laborant Epilepsia, & ob id antiqui Sacerdotes, vt refert Plutarchus, ab illis abstinebant, quod *Cœlius Aurelianus.* Cęlius Aurelianus affirmat, dicens: *Nõ solũ carnem Caprinam, sed super pellem Caprinam dormire, esse prohibendũ*: vnde quã do *Clemens Alex.* Clemens Alexãdrin. dixit: Hircinas carnes Epilepticis prodesse, loquutus fuit ex quorundam opinione, nõ ex propria. Verba eius sunt: *Iam vero Hircinarum quoque carniũ esum, dicunt conferre ad morbum Comitialem.* Quis autem antiquus fuerit huius opinionis autor, nobis non constat.

Hipp. 2 Sed Hippoc. 4. devictus ratione text. 100. dicebat: *Caprinae carnes, quae in bubulis mala sunt, omnia habent, & cruditatem. Suntque flatuosiores, ructusque magis generant, &c.* Quod confirmatum inuenio in *Azararius* Azarario authore nõ contẽnendo, c. 34. de Epil. fol. 33.

Sed quid dicendum ad Auice lib. 3. f. 1. trat. 5. cap. 11. sic ait. *Et laudantur carnes Caprinae, propter illud, quod in eis est de siccitate, & paucitate humectationis, &c.* Gentilis controuertit hanc sententiam, & dubiam putat. Et contraponit Hali. Abb. 5. Praticae. Tandẽ respondet, quod Auice. intelligit de Capris vnius anni, non de antiquis. Itaque supponit Capras annuales esse sicciores. Sed licet ratione siccitatis prosint Epilepticis, tamen quia non facilè coquuntur à nostro calore, ideò in pituitosum declinant nutrimentum, & ideò vitandae. Haec mens Gentilis. Mihi aliud videtur. Omnem scilicet carnẽ Caprinã esse vitandã, ob rationes dictas. Tanta quippe illarum non regulata humiditas est, vt quamuis continuò febricitent, nondũ in cerebro eam siccitatem adquirunt, vt non disponantur ad morbũ Sacrum. Neque Gent. mihi dicet: Quare haec immunitas Capris concessa, vt circa principia generationis carnes habeant siccas? In senectute verò aqueas? Cùm siccitas aetatiua omnibus animantibus necessario eueniat.

Gal. lib. 3. de Alimentorum facultatibus, cap. 6. de Ceruina carne agens, dicit: *Prauum humorem generare, & concoctu difficilem.* Et in lib. de Curatione renum appellat Melancholicam carnem; & lib. de Attenuante victus ratione sic ait: *Equorum, & asinorum esum hominibus asinis relinquo. Proximi asinis sunt Cerui, & ideo ab illis esse abstinendum.* *Gal.*

Suillam carnem etiam auferebãt. Poterat id fieri, nam quando aliquis laborabat magno morbo capitis, offerebant pro expiatione suem Dijs Manibus: vt colligitur ex Plauto in Menecmo. *Plaut.*

Me. Responde mihi.

Adolescẽs quibus hìc pretijs venerint porci
Sacres Sinceri? Nummos hos à me accipe.
Iube te piari de meà pecunia.
Nã ego quidem insanum esse te certe scio.

Explicationẽ huius loci rectè, vt soles.

Lambinus Varro. let, tetigit Lambinus, & Varro lib. 2. de Re rustica, cap. 1. & 41. sed ad nostrum textum sufficit scire, quod pro expiationibus, & sacrificijs seruabatur caro porcina, lactantium, inquam, porcellorum. Eustach. Sed cōfirmat Eustachius in Annotationibus ad Homerum; quamobrem suspicor, quod sicut Sacerdotes efferebant pro insanis carnem Suillam, etiam pro Epilepticis, ob morbi affinitatem: laborat siquidem caput, & mentis lesio est in vtroque casu. Sacros igitur ob hanc rem vocabant Porcos, quæ supestitio non est intelligenda de Porcis in quacūque ętate, sed cùm à mammis iā incipiunt auelli, hoc tempore sinceri dicūtur à Plauto, vt existimo, quia solo laste nutriti, non prauo, & fœculento alimento, & Sacri, quia pro expiationibus Dijs dicati.

Hippocr. Caninam carnem fuisse antiquis pro cibo colligitur ex aliquibus locis Hipp. sed lib. 2. de Dieta, his berbis, illius explicat naturā. *Caninæ calefaciūt, & siccant, roburque inducunt, non tamen aluo secedunt.* Dubium Ex quibus verbis posset excitari controuersia (quæ Mercurialem solicitauit) de Capris, quæ etiam enumerantur inter calidas carnes: quonam pacto prohibētur Epilepticis? Cùm potius robur adijciant, & caput frigidum calefaciant? Resp. Respondetur, quia duram aluum reddūt, quod in affectibus similibus perniciosum est. Et quia Capræ Epilepticæ, cum sint: non probantur ad alimoniam.

Rationem exhibet noster textus, dicens. Omnia ista alimenta ventriculum conturbare, quod intelligendum est diuerso modo, iuxta naturam vniuscuiusq; Suilla caro turbat; quia multum secedit, Canina quia sistit, Ceruina quia stringit ventrem, & vrinam mouet. Ita Hipp. 2. de Die, cui sententiæ coniungenda est alia ex 4. de ratione victus supra cit.

Tamen si Medicam rationem ignorabant Magi, etiam poterant dicere [vt diuina loqui viderentur.] Caninam carnem ad expiationes esse commodam. Legimus enim apud eruditos, qui de antiquorum moribus agunt, consueuisse Græcos Dijs Canes offerre. Ita Celius Celius Rodiginus. Rodigin. lib. 17. cap. 26. dicens: *Inuenio, Canem fuisse victimam expiationibus per accommodam, quo nomine à Lupercis sacrificiorum adhibebatur ritibus.*

Dubium. Sed dubitabis, quomodò Hipp. Magis videtur assentire, qui carnem Porcinam prohibebant? Cùm ipse laudabilem dicat, 4. de Ratione victus, tex. 100. & Hiippoc. Galen. Galen. in Cōm. & lib. 3. de Aliment. facult. circa initiū. Dico, quod si Hippocrates permittit Suillam carnē prohiberi, id facit in hoc morbo, de quo agit: nam laudes huius alimenti intelliguntur respectu corporis sani, & robusti, non tamē respectu corporis morbosi; quæ autem sit differentia inter Suillam, & porcelli Homerus. carnem, colliges ex Homeri elegantissimo loco adducto à Galeno lib. 4. de Ratione victus citato.

T E X T. IX.

EX *volucribus, Gallo, Turture, & Otide, prætereaquè ab his, quæ valentissima esse censentur.*

RAtionem Philosophicam, aut Medicam, ob quam incantatores illi prohiberent carnem Gallinaceam, non inuenio idoneam aliqua probabilitate, vt supra dicebat Hippocrat. quia tam in bona valetudine, quâm in morbis nullum laudabilius est alimentum; nomine vero Galli intelligimus & Gallinas, & Pullos: nam si nomine Gallinæ intelligebant antiqui totum genus Gallinaceum, quare id non intelligemus (nomine Galli, cùm masculinum principalius sit, vt dicto homine fœminam etiam subintelligimus) & Rasius, qui spatio Rasius. centum annorum (mirum dictu) Medicinam exercuit, in affectibus capitis, nihil inuenit vtilius. Et hanc existimo causam ob quam AEsculapio Medicorum Parenti Gallinaceum genus dicauit antiquitas

Socratis dictum. quitas, quasi gratum munus salutis. Vnde Socrates iam propè mortem existens amicum suum Phedonem admonuit, vt votum adimpleret AEsculapio, Gallum offerendo, quod à Tertuliano, & Lactātio, vt supestitiosum reprehenditur, & Socrate indignum. Vnde existimo, quòd Magi aliquid diuinum, aut occultum putabant ostendere in hoc præcepto: nam non solum vtebantur Gallo ad vanas expiationes, sed ad diabolica incātamēta, religiosumq; videbatur infirmos ab illo abstinere. Ludouicus Romanus refert, Sacerdotes Calecutenses Magicam incantationem iugulatione Galli cum argenteo cultello perpetrare. Præterea ferè nullus fuit Deus, cui non sacrificaretur Gallus, vt constat apud antiquitatis Scriptores. Nil mirum, si ab illo abstinendum præciperent: nam & Pythagoras, Gallum album prohibebat, vt ait Diogenes libr. 8. de Vitis Philosophorum.

Tertulia. Lactātius

Ludouicus Romanus.

Diog.

Sed non esset alienum suspicari, Gallū prohiberi ab illis Circulatoribus, quia cum dicerent, se rem diuinam tantūmodò agere, nollebant Gallum concedere, in quo maximam naturæ vim, & facultatem excellere dicebant; in hac cæcitate versabatur antiquitas illa, vsque ad Iamblici tempora.

Quid de Turture dicemus? Certè tam optimum est alimentum, vt infirmis, & sanis sit maximè proficuum. Nicolaus Massa vocat Sapientum nutrimentum: existimo, quia memoriam auget, caput roborat; vnde Epilepticis conuenientissimum, semperque fuit in pretio, vt constat apud Plautum in Most. actu 1. Igitur Magi ob solam aliquam superstitionem Turtures prohibebant. Legimus Tartaros infestis oculis has auiculas inspicere, & neque capere, neque degustare. Porphir. lib 4. de Abstinentia ab animalibus, ait: Antiquissimos AEgyptios à Turture abstinuisse, non quia putarēt esse prauum alimentū, sed superstitione seducti; Accipitrem, vt Sacrum colebāt, dicebantque Turtures, nec degustādas, quia forte fortuna effugerunt vngues Accipitris. Vide vanitatem.

Nicolaus Massa.

Plaut.

Suspitio circa Turturem.

Porphir.

De Otide paucula Plin. lib. 10. cap. 23. Auis est maior Noctua, minor Bubone; aures habet magnis plumis exornatas, à quibus nomen accipit: ideò Foesius auritas dicit. Vocatur auis tarda, quia volatū habet tardum, vt inquit noster Sanctus Isidorus; & ideò existimo vocari ab Hispanis *Abutarda*, transmutatā vna litera. Habet corpus ponderosum, neque citosse in altum eleuat, sed per saltus, & ita facilè capitur. De illius substantia, & qualitate Galenus lib. 3. de Aliment. facultatib. cap. 20. ait: Non esse proficuā pro salute, quia excrementitia est, & dura plusquam anserina, minùs quàm gruina. Idoneam ergo rationem habebant Magi, vt vetarent Otidem.

Plin.

Foesius.

S. Isidorus.

Galenus.

Concludit textū vniuersali lege, quæ prohibet omnia volatilia valentissima: nam cum loquatur de volucribus, & statim dicat: *Præterea aues, quæ valentissimæ sunt*, sine dubio prohibet omnes aues valentissimas. Quæ sunt aues valentissimæ? Respondeo: Rapaces ex prędа viuentes; & quantò valētiores in volando, & rapiendo, tantò deteriores in hoc morbo. Vnde Aquila pessima est ad cibum, quia calidissima, siccissima, neruosa. varijs animalibus nutrita; & tam fortis, vt omnes volucres eius conspectū timeant, licet ita Regia, vt partem prædæ soleat alijs impertiri. (O prouidentia diuina!) Est ergo Aquila praui succi, ob dictas rationes, similiter & Falcones, & Miluus. Has igitur vocabant valentissimas, tum quia valent viribus supra alias; tum etiam, quia siccissimam habēt carnem, & humanæ nutritioni maximè ineptam, & quasi inuincibilem.

Vnde hæc posset esse ratio, ob quam volatilia ita robusta prohibebat Deus Israelitis, vt habetur Leuit. cap. 11. vers. 13. Atque si attentè cōsideres, quæ breuiter dixi, inuenies ista volatilia neutiquam conuenire pro cibo.

Leuit.

TEXT.

TEXT. X.

EX oleribus autem Mētha, Allio, & Cæpa, Acrimonia enim ægrotāti nullo modo conducit.

Comment. IDoneę rationes apparent in textu ad prohibitionem istorum olerum, quia omnia calida cum aliqua Acrimonia cerebrum cōmouere poterunt, & irritare humores, & ad supernas partes eleuare, Epilepsiam, aut eius causam excitare.

Dubium de Mētha. AEmilius Macer. Circa Menthā aliqua potest esse difficultas apud Tyrones propter sententiam AEmilij Macri sic asserentis.

Vim calidam, siccamque gradu fert Mentha secundo.
Illius potu vis digestiua iuuatur.
Confortat stomachum, vomitumque detinet hausta.

Ex his constat maximè profuturam Mentham Epilepticis roborato ventriculo. Respondeo aliud esse considerare ipsum morbum, & partē affectam: aliud verò causam ipsius. Mentha ob qualitates, quas Macer refert, intus sumpta sine dubio caput tentat, & vapores ad cerebrum eleuat, ideòque fugienda. At quia ventriculum roborat extra applicata pituitam coquit, videturque contra causam pugnare, quin & intus sumpta, si benè correcta, & saccharo mixta poterit cōtra causam pituitosam aliquid boni præstare. Vnde rectè Strabus Gall. herba 17. sic cantabat. Strabus Gallus.

Nec mihi defuerit vulgaris copia Mēthæ.

Eadem philosophandi ratio videtur de Allio, & Cæpa, quamuis acriora sint: hoc tamen discrimine, quod ista magis timenda, quia fortiora, & partes plures subtiles habent, quibus caput repleant pituita.

Sed quare non prohibetur Apium, si quidem vt nociuum reijcitur ab Auic. lib. 3. f. 1. c. 11. tract. 5. quem sequitur Tralian. lib. 1. c. 15. Arnaldus lib. 1. cap. 2 & alij. Traliānu. Arnaldu.

Dicendum, non omnia hic recenseri, sed aliqua pro exemplo. De Apio illud notaui, excitare paratos ad Epilepsiam (vt rectè aduertit Gradensis) forsan occulta proprietate: nam ob pituitæ incisionem, & vrinę motionem, videtur non esse nociuum. Sed quia inter funebres cibos reputatur ab antiquis Apium satiuum, vt refert Amat. Lusi. in Dioscor. Saltin ob famam fugiendum. Amatus Lusitanus.

TEXT. XI.

VEstimento etiam nigro vti prohibēt, quòd niger color mortē significet, aut in pelle Caprina decumbere, aut eam gestare. Ac nec pedem supra pedem ponere, aut manum supra manum. Hæc enim omnia curationem impediunt.

Comment. Cornarius Rosinus. COrnarius *pallium* vertit, & melius. Rosinus dicit, quòd quæ dicebatur toga Romanorū, dicebatur pallium Græcorum.

Atrum, siue nigrum colorem non solum in vestimentis, verum & in multis alijs rebus, tanquam infestum odio habuit antiquitas, & Græca, & Latina, sicut colorem album fortunatū, bonnūq; dicebat: Multa sunt, quæ id ostendant, sed pauca subijciam. In capitalibus sententijs ferendis vtebantur antiqui calculis albis, & nigris; albis absolutio, nigris supplicium demonstrabatur. Ita Plutarchus in Aphot. Alcibiadis: quem morē nunc seruamus in nostra Vniuersitate, & in Protomedico tribunali nigris signis condemnatum, & reprobatū dimittimus: albis, aut aureis absoluimus, & opti-

Ouid. optimam sententiam exploramus. Ouid. 15. Methamorphos.

Mos erat antiquis niueis, atrisque lapillis.
His damnare reos, illis absoluere culpa.

Plinius. Martialis Horatius. Virgilius. Plutharc. Vide Plinium lib. 7. cap. 40. Mart. lib. 12. Epig. 3. Horat. lib. 1. Od. 36. Virgil. Eglog. 5. Itaque color albus victoriam, & lætitiam significabat, qui mos non solum apud Romanos, sed apud Græcos inualuit, vt colligitur ex Plutarcho in vita Demosthenis. Vnde Reges nunquam in publicum nisi albis equis exibant. E cõtra color niger tantum pro luctuosis casibus vsurpatus. Ita Cornelius Lentulus vestem purpuream exuit, & nigram induit, cũ à Cicerone fuit accusatus. Horatius. Eruditi ad Horat. lib. 1. Satyra 4. Niger est, idest malus, & in Epistolis, ater & albus, idest, malus & bonus. Seruius. Et Seruius exponit noxium: vnde Cornices, Corui, Bubones inter mala, & funesta recensentur. Ouidius. Ouid.

Nigraque funestum
Condidit omen auis.

Hesiodus. Statius. Hesiodus mortem atram dicit, & Statius lib. 9. Thebai.

Nigræ præcedunt nubila mortis

Et lib 4. Thebaid.

In scopulo mors atra sedet.

Tibullus. Quin etiam & inferos nigros appellabant. Tibul. lib. 3. Eleg. 3.

——*Nigramque paludem.*

Syluius Italicus. Itaque omnia aduersa colore nigro, declarabant; ita Syluius Italicus lib. 1. Punicorum.

Perfusæque atra fumabant cæde ruinæ.

Plutharc. Quin & Dijs supremis cœlestibus victimas albas offerebant; inferioribus verò nigras. Sic Plutharcus.

Hippoc. Sed venio ad nostrum textum. Colorem atrum infestum, tristem, & malorum signum existimauit ipse Hippo. lib. de Insomnis: *Quæcumque verò nigra, & obscura sunt, & ad vesperam, aut occasum ferri videntur, aut in mare, aut in terram, aut sursum, ea magis morbos significant*; & post aliquas lineas: *Morbosiora sunt, & periculosa*; & paulò post: *Si quis viderit nigris vestibus indutos, aut non puros, non est commodum, & quod notandum est, ita nigrum colorem esse infestum, vt dicat loco citato mortuos per somnum videre vestibus albis indutos, optimum est.*

Ex his satis constat non præter rationem vestes nigras prohiberi à Magis, vt conciliarent lætitiam, fugarent Melancholiã, est enim Epilepsia vicina Melancoliæ, & transmutantur inter se, de quo pucto alibi. Atq; licet ex his, quæ videntur, mutationes intentionales primò fiant, tamen secundò corpus, & animum immutari existimo esse notissimum.

De pelle Caprarum supra aliquid tetigi. Non caret ratione, quod isti ægroti effugiant contactum pellis: nam quamuis mortua Capra deficiant qualitates illius indiuiduales; tamen aliquæ similes in specie remanent in cadauere. Memini me legisse apud subtilissimum Gentilem chordas factas ex intestinis Lupi, & Ouis nunquam in musicis instrumentis conuenire, neque consonãtiam facere, vt illa discordia, quæ inter Lupũ, & Ouẽ seruatur in vita, persistat post mortem.

Dixi similem qualitatem, propter argutias Scholasticorum asserentium in morte fieri resolutionem vsque ad materiam primam. Hoc enim non tollit qualitatem minimè repugnantem formæ, similem rem inere in corrupto, ei quæ fuit in genito, sicut cicatrix. Si itaque Capra Epileptica est, quid mirũ, quod in illius pelle aliqua qualitas maneat nociua. Si cerebrum (vt certum est) omnibus partibus vsque ad cutem ipsam aliquid impertitur.

At pedi super imponere pedem, & manum manui omnino superstitiosum est, & sola Dæmoniaca fallacia innititur. Locus elegans sancti Augustini dilucidè hoc demõstrat, quasi videns textum, in quo versamur; nam lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 20. postquam recensuit D. August.

fuit aliquas superstitiones, ita disserit.

Ad hoc genus pertinent omnes etiam „ ligaturæ, atque remedia, quæ Medicorũ „ quoque disciplina condemnat, siue in „ præcantationibus, siue in quibusdam no„ tis (caracteres vocant,) siue in quibusdam „ rebus suspendendis, atque ligandis, vel „ etiam saltandis quomodo non ad tempe„ rationem corporum, sed ad quasdam sig„ nificationes, aut occultas, aut etiam ma„ nifestas, quæ mitiore nomine Physicã vo„ cant, vt non quasi superstitiosæ implica„ re, sed naturæ prodesse videantur, sicut „ sunt inaures in summo aurium singula„ rum, aut de ossibus struchionum an„ sulæ indictis, aut cum tibi dicitur simul, „ vt dextera manu sinistrum pollicem „ teneas; his adiunguntur millia inanissi„ marum obseruationum, si membrum ali„ quod salierit; si ambulantibus amicis cun„ ctim, lapis, aut canis, aut puer medius in„ teruenerit; atque illud, quòd lapidem cal„ cant, tanquam direptorem amicitiæ; mi„ nus molestum est, quàm cùm innocen„ tem puerum colapho percutiunt, si pari„ ter ambulantibus intercurrerit. (& post „ paucas lineas prosequitur.) Hinc sunt „ etiam illa; limen calcare, cum ante do„ mum suam transit, redire ad lectum, si „ quis dum se calceat sternutauerit, redi„ re domum, si procidens offenderit. Cum „ vestis à soritibus roditur, plus timere su„ spitionem futuri mali, quàm præsens ma„ lum dolere. Vnde illud eleganter dictum „ est Catonis, qui cùm esset consultus à „ quodam, qui sibi à soritibus erosas ca„ ligas diceret. Respondit. Non esse illud „ monstrum, sed verè monstrum haben„ dum fuisse, si sorites à caligis rode„ rentur.

TEXT. XII.

OMNIA Autem hæc Diuinitatis gratia apponũt, velut amplius quid scientes, & alios prætextus præseruantes, quia si sanus æger euadat, ipsis gloria, & dexteritas adscribatur; sin moriatur, in tuto positæ sunt eorum excusationes, habeantque prætextum, quod non ipsi sint causa, sed Deus: neque enim medicamẽtum aliquod edẽdum, aut bibendum exhibuerunt, neque balneis incoxerunt, vt ipsi in causa esse videri possint.

Comment.

APERTVS Est textus. Et vtinam etiam nostris temporibus multi (nõ dico Magi) non essent, qui sine Philosophia Philosophi, & sine Medicina Medici nomen obtinent, & quibusdam gesticulationibus, & rerum paruissimarum ponderationibus præcipiunt puerilia, & legibus strictissimis vtuntur, ne æger degustet vnam guttulam aquæ, ne aliquid solatij requirat, si aut tantillum huius, vel illius alimenti degustet, aut videat, si musicam, si comædiam audiat, omnia dicunt impedire curationem; vt si malum euenerit, proferãt se excusatos esse. Ego nunquam vidi viros sapientes his artibus, & solicitudinibus incumbere, sed, vt Hipp. cum omni liberalitate res tractare, sine fictione, sine fuco.

Dicit ergo Hipp. quod illi malefici omnia dicta præcipiebant propter duo. Primo vt magis ostenderent esse causam diuinam talis morbi, & multorum secretorum esse scientes. Secundò, vt illis nulla imputaretur culpa, si æger non curabatur, sed Dijs; nam cum totum negotium dicerent Diuinum, & ipsi nullum præberent medicamentum, intelligendum erat à solo Deo morbum procedere, qui non placatus sacrificijs, irascebatur amplius.

De hac arte simulandi, de ambitione, de aura populari captanda plura inuenies apud Senecam, & Plutarchum.

TEXT. XIII.

AC Mea quidem opinione ex his, qui Africæ Mediterranea incolunt, nullus ab isto morbo sanus euadet, quod in pellibus Caprinis recumbant, & Caprinis carnibus vtãur, cum nec stratulum quidem, neque vestimentum, neque calceamentum aliud habeant, quam Caprinum, neque vllam aliam habeant pecudem, quam Capras, & Oues. Quod si ista oblata, & cibo sumpta morbum augent, & non manducata medentur. Nullus sane Deus autor est, neque expiationes iuuant, sed quæ eduntur, medentur, & nocent, numinisque vim obscurant. Quare qui hoc modo istorum morborum curatio nem aggrediuntur, hos neque Sacros, neque Diuinos reputari mihi videntur. Quisquis enim lustrationibus huiusmodi abigere valuerit affectionem; is etiam alijs artibus abiget, istaque ratione Diuinitatis opinio prorsus deperditur.

Comment. INCIPIT Probare argumento sumpto ex ipsorum dictis, non esse Diuinum hunc morbum, & certè modestiam suam manifestat, dicens (mea quidem opinione) quasi dicat, vt mihi videtur, & vt ego iudico.

Argumentum tale est; si morbus iste est Diuinus, sequitur nullum Epilepticum in parte Mediterranea Africæ posse curari. Ibi enim omnes incolæ vtuntur Capris pro alimento (quas Magi præcipiũt esse vitandas] & illarum pellibus vistiuntur, & in illis dormiunt; augebitur ergo semper iste morbus: si vero fuisset illis possibile, vt omnino à Capris abstinerent, sanarentur: ergo morbus, qui fit, & conseruatur, & augetur à tali causa, & illa ablata aufertur, non potest dici Diuinus, sed à causis (quas vocat humanas) inferioribus productus. Quod autem Africani illam plagam incolentes illo alimento, & vestimẽto vtantur, est notum; est enim terra aptissima ad multitudinẽ augendam Caprarum, & nunc illis abundat. Tempore vero Hippocrat. nondum erat excitata barbaries Mahometica, quæ nunc per illum tractum latè dominatur, & ex sua lege, consuetudine, & propria inuentione habet alia alimenta, quibus vtitur, & diuersum modum vestimẽtorum. Itaque ex suppositione efficaciter probat Hippoc.

TEXT. XIIII.

TAlia itaque dicentes, ac excogitantes amplius quid se scire simulant, & homines decipiunt proponentes, siue addentes his lustrationes, ac purificationes; cum verba ipsorum magna ex parte se ad Deum, & Dæmonium extendant; atque mihi sanè non de pietate verba facere videntur, vel vt ipsi putant, sed potius de impietate, & quod Dei nõ sunt. Pietasq;, & Diuinitas ipsorũ impia est, ac scelesta, velut ego docebo.

EX-

Commen. EXtendit quæ dixit in antecedenti textu; præludium faciens ad rationem, quam in sequenti proponit. Dicit, quod Magi tribus modis decipiebant. Primò dicendo, se magna secreta scire (hoc facillimè populum fallit.] Secundò proponendo varia genera sacrificiorum [hoc intelligit per purificationes, & lustrationes) ex Columella enim lib. 2. cap. 28. id colligimus, vbi sic ait: Hoc loco certum habeo quosdam, cùm solemnia festorum prȩcensuerint, desideraturos lustrationem, cæterorumque sacrificiorũ, quæ pro frugibus fiunt; morem priscis vsurpatum. Tertiò decipiebant populũ loquendo de rebus superioribus, de Diuinitate, de Dæmone (vt aduertit Cornarius meo iudicio melius.) Quid autẽ per Dæmonium intelligant antiqui, patebit amplius in inferioribus. Nunc sufficit dixisse, intelligere antiquos nomine Dȩmonis superiorem aliquam potestatem. (Colum.)

Proponit vltimo conclusionem probandam, Magos illos non agere de pietate, neque de honore Deorum, sed de impietate, & destructione Diuinorum, vt iam docet textu sequenti.

TEXT. XV.

SI Enim Lunam deducere, & Solem obscurare, tempestatemque atque serenitatem inducere, & imbres, ac siccitates; mareque sterile, & terram facere; cæteraque id genus se scire profitentur, siue ex Sacrorum mysterijs, siue ex alia quauis opinione hanc sententiam, sibi vindicent, qui ijs rebus operam nauant, impij mihi esse videntur. Neque Deos esse existimare, neque si sint aliquid posse. Neque aliquod extremum malum propulsare posse, cuius rei gratia, cur non ipsis infesti sint?

VIDEAT Nunc doctissimus, & Venerabilis Tostatus, an Hippoc. noster fuerit fallacibus artibus addictus, vt supra notaui. Equidem pijssimus, & nullo errore Magico seductus, istos tales homines destruit, & Diuinis, & humanis rationibus. (Comment.)

Dicebant se scire Lunam deducere: quid est Lunam deducere? (quod vertit aliquis) quid est Lunam abolere? Idem existimo, vtraque enim interpretatio stare potest; nam deducere respondet verbo Græco, deorsum ducere, quasi dicant Magi, possumus Lunam ad terram trahere, & auferre à cœlo, quod aliqui dicunt abolere; tamen melius dicemus deducere, nam apud Hippocr. semper legimus verbum deducere, promoueri ad inferiora; sic enim loquitur, quando de purgatione partium superiorũ per inferiores disserit. Itaque promittebant Lunam ad hæc inferiora deducere; promissio Magica maleficarum mulierum à Dæmone seductarum. Vbi facetus locus Aristophanis hunc antiquum errorem demonstrat. Debitor quidam persoluere debebat determinato tempore [scilicet quando orietur noua Luna] afflictus autem, quod careret pecunia suadetur à Socrate, vt consideret, quid agere debeat: Respondet.

Strep. *Mulierem veneficã, si emes Thesalã,* (Aristoph.)
Deponam nocte Lunam: postea iam
Ipsam includam in vase rotundo,
Tanquã speculo, & postea seruabo habens.
Soc. *Quid certe hoc proderit tibi?* Strc. *Quod*
Si non amplius orietur Luna, nusquam
Non reddam vsuras.

Virgilius etiam de istis maleficis dicebat vtens verbo nostri textus: (Virgilius)

Carmine, vel cœlo possunt deducere Lunam.

Et Horatius.

Petatque libros carminum valentium. (Horat.)

Refixa cœlo reuocare sydera.
Et rursum in sermonibus.
Lunamque rubentem,
Ne foret his tectis post magna latere sepulchra.

Plutarch. Plutarchus etiam in Connubialibus præceptis dicebat. *Quod si qua erit, quæ de cœlo Lunam se detracturam polliceatur.*

Ortum habuit ista opinio à quadam filia Hegemonis, quæ cum Astrologiæ peritia, Lunę defectus præsciret, iactabat se Lunam ê cœlo in terras deducturam; eã vocem tam arrogantem audiuit Neemesis, & vindictam sumpsit. Ita refert interpres Appollonius in lib. 4. Sic in præsenti textu dicebant illi se scire tam magnum secretum. O humanæ ambitionis vanitas! quid dicemus? Equidem nil aliud, nisi Adagium illis adaptare. *Aduersus te Lunam detrahis.* Nam Hippocrat. efficaci ratione probat imperitiam, & impietatem istorum, hoc pacto. Lunam deducitis, & ad arbitrium descẽdere illam facitis, ergo nulla est diuinitas in Luna, si quidem viribus humanis superatur. Ergo negatis Deam esse cœlestem. Vt quid igitur tot illi sacrificia offeruntur? Ergo isti suam falsitatem, & impietatem detegunt, quando Lunam posse deducere blaterantur. Subolfecit Magnus Hipp. quod Philosophia Theologica docet, neque hominibus, neque Dæmonibus, aut alijs spiritibus creatis concessam esse virtutem ad mouendum, aut perturbandum ordinem vniuersi, vt late ostendemus in 2. p. huius operis.

Appollon.

Idem argumentum fit de obscuritate Solis; nam impotentiam declarant tãti luminis Solaris; si vero Astrologica prę cognitione de Eeclypsi loquebantur, impie fallebant populum, sibi tribuentes, quod ex natura motus cœlestis debebat euenire.

Tempestatem, & serenitatem facere promittebant, &c. D. Augustinus lib. 18. de Ciuitat. Dei cap. 9 concedit, Magos posse inundationem fluuiorum, & maris causare. Vide Iosephum lib. 20. Antiquitatum cap. 4. de quodam Mago qui eadem profitebatur. Similiter possunt ventorum impetum; & maris prohibere, & relicto Appollonio Thyaneo, quem refert Iustinus quæst. 24. ad Orthodoxos. Offert se Empedocles, cuius doctrina tempore Hippocr. maximè florebat, vt dixi in mea Hippocrat. Phylosophia, sed citatur à Clemente Alexandrino 6. Stromat. his verbis. *Empedocles Agrigentinus κωλυσανεμας id est ventiprobitor fuit cognominatus. Dicitur certe, quod cum ex monte Agrigenti grauis quidam aliquando spiraret ventus, qui non solum morbos importabat incolis, sed eorum etiam vxoribus erat causa sterilitatis, fecisse, vt is cessaret, quocirca, ipse quoque scribit in versibus:*

Appoll.
Iustinus.
Emped.
Clemens Alex.

Indefessorum ventorum flamina tolles,
Qui spirando hominum perdentes arua fatigant.
Et rursus.
Cumq; voles eadẽ, tu rursus flamina pones.

Hæc ex Clemente Alexandrino. Idem testatur Diog. Laert. lib. 8. loquens de Empedocle:

Diogen. Laert.

Induces media de tempestate serenum,
Induces media pluuias æstate salubres,
Et flatus sicca, qui perflent omnia messe.

Additque Laertius, *Quod Empedocles iussit vtres constitui supra montem ex pellibus asinorum excoriatorum ad eam partem, per quam ventus spirabat.* Igitur bene constat, quod isti Magi, de quibus noster textus agit, promittebant (doctrina Magica Empedoclis instructi) maris, & tempestatum, temporisque mutationes, quæ omnia tanquam malefica, & sine naturali ratione detestatur Hippoc. concludens textum, asserẽdo homines istos esse Dijs contrarios, & inimicos; siquidem præsumunt ea, quæ diuina stabilitate firmantur, mouere, & perturbare, & ad nutum transmutare. Equidem antiqui illi non solum corpora cęlestia Diuina vocabant, sed elementa, quæ bona com-

communia impertiuntur hominibus. Ea que vt Deos colebant, vt refert Theodoretus Cirensis lib. 2. de Curat. affectionum Græcarum. Illud quidem mirabile est, quod in istis textibus, maleficia istorum hominum cognoscat Hipp. sed fieri contra ordinem bonorum Deorum, vt videbimus.

Theodoretus.

TEXT. XVI.

SI Quis enim Magicis artibus Lunam deducet, & Solem obscurabit, tempestatemque, & serenitatem inducet, non equidem horum quicquam Diuinũ, sed humanum esse censuerit; si vtique Diuina potentia humano consilio superatur, & in seruitutem asseritur. Ac fortassis hæc aliter se habent, sed homines in vitæ inopia multa, & varia moliuntur, & tum ad reliqua omnia, tum etiam ad hunc morbum varie se habent in vnaquaque affectionis specie, Deo causam attribuentes, neque semel, sed sæpius eadem memorantur.

Comment. EXPLICAT Dicta, & indicat, quòd re vera etiam nostris temporibus cõtingit, tantam esse vitæ miseriam, vt aliquos homines vincat ad malas artes capessendas, vt victum quærant. In superioribus textibus dixit Magos inopia scientiæ laborare; nunc vitæ inopia, aut diuitiarum cupiditate coactos machinari multa, & varia, non solum in hoc morbo, sed in alijs rebus. Vnde colligimus in artem Magicam illos homines exercuisse, non solum circa infirmos, sed etiã circa alia multa, vt dicebã de Empedocle.

Atque semper præfatum argumentũ, tanquam vrgentissimum renouat, scilicet non esse censenda Diuina, quæ humano imperio perturbantur, siquidem in seruitutem, & captiuitatem redacta, locum diuinitatis ammittunt.

Vt verò aliquid scire de Dijs, & morbo Sacro putarentur, quodcumque accidens apparebat in ista affectione ad Deũ determinatum referebant, vt in textu sequenti videbimus.

TEXT. XVII.

SIquidem namque Capram imitentur, & balatum edant, dextramque in partem conuellantur, Deorum matrem in causa esse asserunt; si verò acutiorem, & vehementiorem vocem edat æger. Equo simile esse dicunt, & ad Neptunum causam referunt; quod si stercoris aliquid emittat (quod nonnullis morbo præssis contingit.) Hecates Enodiæ appellatio adhibetur: si autem tenuiorem sonum edant, velut auiculæ, Apollo Nomius; si vero spumam ex ore demittat, & pedibus calcitret, Mars causam habet. Pauores verò, qui noctu adsunt, timores, deliria, terriculamenta, cum ægri surgunt è cubili, & fugiunt, Hecates insidias, & Heroum inuasiones esse affirmãt; expiationibusque, & incantationibus vtuntur: Ac meo quidem iudicio sceleratissimũ, & maximè impium Diuinũ numen faciunt.

Comment. SATIS Constat vanitas, & superstitio istorum hominum, quærentium varios Deos secundum varietatem accidentium, & speciecrum huius morbi. Superfluum videtur vanitatis istius rationem inuestigare, cum nulla vera sit. Igitur superstitionis causam aliam superstitioné esse in superioribus insinuauimus. Sic etiam in isto textu vanitatem per aliam demonstrabimus, vt melius elucescat soliditas doctrinæ Hippocrat. & pij animi libertas; simulque laboriosas dispu tationes nostras, varietate lectionis tem peremus.

Si ægri Caprarum balatum edebant, si conuellebantur dextris partibus, dicebant matrem Deorum esse causam; Tellurem scilicet hanc enim matrem Deorũ appellabant, vt ex Marco Varr. refert S. Augustinus 7. de Ciuitate Dei cap. 23. aut Cybelem furoris, & insaniæ Deam. Sed quare huic Deæ, & non aliæ? forsan, quia illa accidentia conuulsiua, & motiones furiosæ, quibus Epileptici iactabantur, erant simillima illis, quæ contingebant Sacerdotibus, magnæ matris Deorum, quæ Cybeles dicebatur. Luc. Apuleius lib. 8. Millesiar. de Sacerdotibus istis, ita loquitur. *Diuque capite demisso, ceruices lubricis intorquentes motibus; crinesq; pendulos rotantes in circulum, & nonnunquam suos incursantes, musculos ad postremũ ancipiti ferro, quod gerebant; sua quisq; brachia dissecat.* Hæc omnia videntur furoris, atque insolitæ insaniæ indicia, atque cum Festus lib. 3. (cum de nomine Cybelis ageret) dicat: *Cybele mater, quam dicebant Magnã, ita appellabatur, quòd homines ageret in furorem.* Quod Græci κύβηβον dicunt, &c. Nõ mirum quod Magi dicerent accidentia Epileptica ista à Cybele causari.

Varro. August. Apuleius Festus.

De motu isto Sacerdotum insano plura scripta sunt ab eruditis. Sydonius Apollinaris carm. 5. Martianus lib. 2. Syluius Italicus lib. 3. Punicor. Paul. Silentiar. lib. 7. Antholog. epigr. 46. Tunerbus lib. 29. cap. 20. Varro Gallantes appellat talibus motionibus arreptos; Gallantes, idest furiosos, & insanos. Igitur balare, vt Capræ, iactari, conuelli, rotari, caput concutere hac ratione superstitiosa ad Matrem Deorum reducebant; sed quare, si partes dextrę concutiebantur? Respõdeo, mala ista fortiora iudicari, si à partibus dextris incipiat iactatio, & conuulsio; sunt enim dextræ fortiores, & ob id à fortissima & magna causa vincuntur, qualis Diuina censebatur.

Sydonius. Martian. Syluius. Paul. silen. Turnebus Varro.

Si autem ægri, vt equi hinnitum edebant, ad Neptunum referebant; existimo quia dicebant antiqui Neptunum equos primum domasse, & equitandi artem inuenisse; ita Pausanias in Archadicis, & Sophocles in Colono ex Oedipo.

Pausan. Sophocles

Munus Magni Dæmonis dicere
Gloriam magnam,
Equis, pullis, mari benè imperitantem,
O fili Saturni; tu enim ipsum in
hanc ducis gloriam Rex Neptune,
equis moderans fræno.

At si æger (cum morbi accessione torquebatur) ventrem vacuabat, dicebant Magi Hecatem Enodiam, quam Proserpinam alij dicunt, talem morbum efficere (Enodia, id est Triuia) quia colebant hanc Deam tribus locis, in cœlo Lunam, in terra Dianã in inferis Hecatem nominatam; aut Triuia, aut Enodia, quia sacrificia in triuijs offerebantur in memoriam, quod à Parentibus (Æolo, & Pheræa) in triuijs fuerit exposita statim post natiuitatem. Præterea Dea ista sordida appellata fuit ob sordidas cœnas, quæ in eius festiuitate fiebant; aut quia vmbræ sordidis alimentis vesci creditæ sunt. ❡ Sed locum Aristophanis statim audies satis ad rem de ista maleficiorum Præside. Igitur quæ mundi imis partibus dominabatur, quæ obcœnas, & sordidas admittebat epulas, hæc huius mali causa censebatur, quod infernas partes tentabat, & ad

& ad sorditiem deducebat. Hæc illarum gentium superstitio, & vanitas.

Si tamen æger auiũ cantũ æmulabatur ad Appolline Nomiũ confugiebãt Magi, nõ intelligas auiculas imitari, sed sonũ balantium pecudũ, seu Caprarũ, magis tenuem [sic consonat textus] sed auiculas apposuit ad delicatum sonum exprimendum. Vnde autem orta fuerit ista vanitas Gentilium, sicut & reliqua, diuinare quis possit? Sunt fallaciæ patris mendacij, vt postea explicabo.

Si spumam expellunt, si calcitrant, furiam Martis causam dicunt esse, ob similitudinem fortitudinis, & iræ.

Pauores, & nocturnæ visiones, siue terrores puerulis, & somniantibus familiares, deliria, clamores, & nocturna inquietudo, saltus, exitusque à lectulo; omnia ista ad insidias Hecatis, & Heroum inuasiones, vt ad causas reducebant. Hecate (præter ea, quæ diximus de illius nomine, & cultu) magistra fuit omnium maleficiorum, & totius crudelitatis; publicè profitebatur Magiam Dæmoniacam: venena inuenit, & conficiebat ad generis humani destructionem; patrem suum veneno interfecit: hospites mortalibus poculis necabat. Duas filias habuit veneficas Dæmoniacas maternis artibus instructas Medæam, & Circem. Igitur Hecates erat, quæ nocturnos labores excitabat, insidias parans aduersus humanam fragilitatem, quam vmbrarum, & Tartari Dea credita aggrediebatur. Lamiarum, & Sagarum prima, sanguinis humani auidissima: de qua rectè Theocritus dixit, *Difficilem esse accedentibus*. Ab ista incantatrice vsque in hunc diem descendunt mulierculæ, quæ noctu paruulos aggrediuntur, sanguinem sugunt, & malefica, & turpissima cum Dæmone amicitia vtuntur: de quibus eruditissimi viri plura scripserunt.

Tamen pauores, & terrores nocturnos etiam ad Hecatis veneficia referebant, & meritò. Etenim inferorum, & tenebrarum Dea credebatur, & timoris, & pauoris causa: mutabatur enim in varias, & horribiles formas, vt dicit Aristophanes in Ranis. Locus elegans. *Aristoph.*

Xanth. *Et quidem video per Iouem belluã magnam.*
Dion. *Qualem?* Xanth. *Grauis, varia igitur fit*
Aliquando quidem Bos: nunc autẽ Mulus, aliquando autem rursus mulier
Pulcherima quædam. Dionis. *Vbi est? age, in ipsam vado.*
Xanth. *Sed non amplius rursus mulier est, sed iam canis.*
Dion. *Empusa igitur est.* Xant. *Illustratur igne igitur*
Totus vultus, & brachium æreum habet.
Dionis. *Per Neptunum, & stercus Boum alterum.*

Hecates dicebatur Empusa, idest, vnius pedis, ob vnicum, quo apparebat: erat quippe diabolicis fallacijs ita dedita, vt ad arbitrium Dæmonis mutaret formas. Vnde etiam omnes Larbæ, & Lamiæ Empusæ appellatæ à Græcis, ob Ducem, Magistram. Neque placent quidam Græcicantes, asserentes, nom Empusam, sed Embusam esse nominandam: sequor in hoc Stacium, Rodiginum, Maiolum. Sed posset aliquis criticus dubitare, quare vnius pedis Hecates dicta? An quia sic conspecta fuit antiquis? An quia nullos gressus exercere videbatur? Equidem phãtasmata hæc diabolica cùm apparent humanis oculis, excurrunt, quasi fluida, aut quasi dilabentia per gelu; non enim gradiuntur, sed fluunt. Inter alia signa phantasticæ, & veneficæ apparitionis hoc recensuit Maiolus in sua erudita sectione de Sagis. fol. 627. Tamen inter multa, quæ ad hunc textum poteramus adducere; audiamus Giraldum, quẽ eruditissimus Raderus venerandus Iesuita, citat. ad Qu. Curt. lib. 6. cap. 7. fol. 348. *Empusa (inquit Giraldus) Dæmonis nomẽ, Hesychus, spectrũ inquit, seu phasma specie Dæmonis ab Hecate immissum, &* *Maiolus.* *Giraldus.* *Raderus.*

vt nonnulli putant, vno pede vtens. Sed tamen Aristophanes Empusam subinde mutari in alias formas dixit, & eius interpres repetit; id quod & apud Lucianum in Cõment. de Saltationibus traditur, cuius hæc sunt verba. Videbis igitur ipsos eodem in tẽpore subito in aliam transmutari speciem, atque ipsum referre Proteum, quin & Empusam exemplum conferre opportet, quæ sese in innumerabiles vertit formas. Nostro hoc tempore, quibus phantasma hoc muliebre apparuerit, audiuimus. Legi, qui putarent illud Regis Dauidis meridianum Dæmonium huiusce terriculamentum significare. Sane Empusa etiam aliquando numero plurium proferri videmus, vt in hoc Dionisij, vbi de Hyaspide loquitur; ait: Empusis inimicam, alijsque etiam simulacris. Quidam cum Hecate Empusam statuunt id, quod & Aristophanes alicubi significare videtur: putat dictam Eustachius, quod vno incedat pede: Alij duos quidem illi attribuunt, sed ferrum alterum, vt in Ranis Aristoph. sunt qui Asininum tribuunt.

Alia perplura legimus de huiusmodi phantasmatibus, quæ nunc tantũ insinuasse sufficiat. Id vnum non reticuerim, quod in quarto scribit Philostratus de vita Apollonij Tianæi, qui ait, ex ipsius Appollonij sententia. Empusas etiam Lamias vocari, & Marmolitias.

Hæc ex Radero, loco citato sufficiant, vt intelligamus nostrum textum. Siquidem pauores, & terriculamenta, quæ solent pati, qui parati sunt ad Epilepsiam, referebant Magi ad phantasmata Empusæ, quæ omnia certè possunt oriri ab inordinatis causis humoralibus internis, quæ varia insomnia faciunt, & timorosa spectra.

Quid Ethnici per Heroas intelligerent, dixit Plutarchus libr. 1. de Placitis Philosophor. cap. 8. *Consequenter (inquit) à Dijs de Dæmonibus, & Heroibus dicendum. Thales, Pythagoras, Plato, Stoici Dæmones esse substantias animales censuerunt: esse autem, & Heroas separatas à corporibus animas, bonos quidem bonas, malos vero malas; Epicurus autem nihil horum approbat.* Hoc est totum caput octauum Plutarchi. *Plutarch.*

De bonis Heroibus loquebatur Pythagoras dicens: *Pythagor.*

Primũ immortales Diuos pro lege colunto.
Deinde Heroas illustres.

Colebantur quidem suo loco post Deũ immortalem, & certo modo Religionis, vt Hierocles adducit. Ex quo colligitur malas Heroum animas (apud Ethnicos) morbos, & nocturna terriculamẽta immittere. Ex hoc loco, & alijs similibus, in quibus Hipp. animarum separatarum mentionem facit, aliqui colligũt cognouisse immortalitatẽ animæ rationalis. Sed ego in mea Hipp. Philos. ni fallor, efficacitet ostẽdo, ex eius operibus, & varijs sententijs apertè inferri nostræ animæ excellentiam intellexisse. Hic plura dicit iuxta communem modũ loquendi. In nostra Hipp. Philosophia probat, & affirmat veritatem de anima humana. *Hierocl.*

TEXT. XVIII.

Morbo enim detentos expiant sanguine; itemque alijs sceleribus inquinatos, aut iniustos, aut ab hominibus intoxicatos, aut qui scelestũ aliquod facinus perpetrarunt, quos contraria his facere oportebat; sacrificari nimirũ, ac precari, & ad tẽpla progressos Dijs supplicare. Nũc vero horũ nihil faciunt, sed expiant, & alia expiamenta terra occultant; alia in mare proijciunt, alia ad montes deferunt, vbi nemo attingat, neq; cõculcet. Oportebat autem ad tẽpla deferre, ac Deo reddere, siqui dem Deus autor est.

Aper-

Comment. APERTVS Est sensus huius textus; reprehendit Magos, quia incantationibus, & maleficijs non solum hunc morbum curare tentabant, sed etiam impios homines, & homicidas liberare à culpis per incantamenta posse profitebantur: & relictis templis, & pijs obsecrationibus expiamenta abscondebant in montibus, aut proijciebant in mare, cum potius Deo offerre deberent, si Deus autor erat morbi, & salutis etiam acquisitæ signa suspēdi in templo debuissent. Singula perlustremus.

Morbo detentos expiant sanguine: Sentio cū Cornario, dissentio à Foesio, Malè enim Foesius iungit particulam (sanguine) cum sequenti dicens, & sanguine, & alijs sceleribus inquinatos; displicet, legendum ergo, morbo detentos expiant sanguine, & inquinatos alijs sceleribus, &c. Magicam enim superstitionem per sanguinem factam adducit noster Seneca lib. 4. Quæst. natural. cap. 6. & 7. *Seneca.* Vnde suspicari possumus sanguine vti Magos ad aliqua opera, sicut ad maleficia multoties humano sanguine vtuntur: Dæmon sanguinis humani modis omnibus auidissimus, si compellitur à suis Magis ad aliquid faciendū nullo modo melius, quàm sanguinis libatione; vt si aliquis desiderabat videre aliquem defunctum; si non aderat illius cadauer, cuius formam afferret, petebat sanguinis effusionem. Vnde Apollonius Tyanæus, vt omnium Magorum se Magistrum ostenderet, & Dæmonibus imperare; dicebat se nunquam sanguine vsum ad sua opera; ita Philostratus in eius vita lib. 4. *Philost.*

Sed dubitare posit aliquis eruditus, circa nostrum textum. Quæ expiatio hæc est, sanguine celebrata? Secundò, quare reprehenduntur Magi, quia sanguine expiant? cum tam apud Israelitas, quam apud Gentiles, & Idolatras, sanguinis fusio fuerit in vsu, ad purgationem, & expiationem peccatorum, atque si isti (quos reprehendit Hipp.) sanguine purificabant, morbo isto oppressos, vt à peccatis mūdarentur, sicque sanitatem, & Deorum amicitiam consequerentur. Qua ratione refellendi?

Dico Hipp. in hoc text. arguere ex suppositione, quasi ad hominem. Hoc modo. Magi dicunt, hunc morbum à Dijs causari, & esse placandos expiationibus. Quare ad templa publica, & manifesta non adducunt animalia offerēda, quorū sanguinis effusione, & precationibus, peccata purgarentur, morbus aboleretur? sed contraria faciunt, & lucem fugientes, sua opera abscondūt (vt nunc etiam, qui hanc miseram artem profitentur) omnia promitentes, & semper seducentes. Et relictis templis, & orationibus diuinis, non solum Epilepticos, sed venenatos, & sceleratos restituere cōtendunt. Quod si de expiationibus per sanguinē, plura legere desideras, adest eruditus autor Fortunatus Scachus, Augustinianus *Fortunat.* qui de expiationibus, lustrationibus, & vnctionibus antiquitatis pervtile opus construxit. Ergo colligit Hippoc. illorū hominum arrogantiam, & auaritiam. templa fugiebant, cum ad illa tendere tenerentur, vt suis incantamentis solus honor tribueretur, & sibi arriperent animalia oblata prætextu vsus sanguinis. A Dijs honorem, ab ægrotis pecuniam auferebant.

Diximus Magos sanguine vti ad malefica opera, cuius occasione non esse præter rationem existimo, ponderare in hoc textu, an humanus sanguis potatus prodesse posit morbo Sacro opprefis: nam suspicor, quòd præter maleficia cōfecta sanguine, quibus illi seductores vtebantur; aliud etiam consulebant remedium, potare scilicet humanū sanguinē. Quæ consideratio non solum propter Medicos, sed propter omnes eruditos, exercēda mihi videtur. Patebitque an diuinus noster Hippocrates talibus assentiat inuentis.

AN SANGVIS GLAdiatorum Comitiali morbo aduersetur? aut præter omnem rationem ab antiquis fuerit approbatus?

MVlta sunt grauissima testimonia quibus constat solicite inquiri vulnera recentia Gladiatorum, vt sic calens, & feruidus sanguis, ab Epilepticis ebibitus magnum hunc persanaret affectum. Cornel. Cels. lib. 3. cap. 23. sic ait. *Quidã iugulati Gladiatoris calido sanguine epoto sese tali morbo liberarunt. Apud quos miserum auxilium, tolerabile miserius malum fecit. Quod ad Medicum vero pertinet, &c.* *Cornel. Cels.*

Plin. Plinius lib. 28. cap. 1. Sanguinem quoque Gladiatorum bibunt, vt viuentibus poculis ad Comitiales morbos, quod spectare faciẽtes in eadem arena feras quoque horror est. At herculè illi ex homine ipso sorberi efficacissimum putant calidum, spirirantemque, & vnà ipsam animam ex osculo vulnerum, cum plagis ne ferarum quidem admoueri ora fas sit humana. Hunc locum vt difficilem, & ad curationem pertinentem nobis obtulit D. Laurentius Ramirez de Prado Vir omni literarum genere excellens, dequo possum (quod Paterculus de Cicerone,) dicere. Senatoris dignitatem, Legati fidissimum & amplissimum munus, eruditorum ęstimationem tãquam sua sibi deberi. Ergo in Plinio aduertendum, male apud aliquos legi, bibentibus poculis, sic fallitur Ronseus in suis enarrationibus ad Celsum, nam nil elegans haberet Plinius, nisi legas viuentibus poculis; vocat vulnera recentia Gladiatorum, viuentia pocula, quia adhuc antequam frigesceret sanguis inter illas animi discedentis anxietates, anxiè etiam accedebant laborantes ad vulneratas carnes tanquam ad pocula, & vasa viuentia; ad ipsum vero rubrum liquorem, tanquam ad potum vitalem, sic vocant Medici docti, sanguinem spiritu cordis perfusum, ergo siue ipsa vulnera, siue sanguinem, intelligas: Plinius eleganter, & concisè dixit: *Viuentibus poculis*, neutiquam bibentibus.

Accedat Fęlix Minutius in Octauio. *Fœlix.* Ipsum (inquit) credo docuisse sanguinis fœdere coniurare Catilinam, & Bellonã seruum suum, haustu humani cruoris imbuere, & Comitialem morbum hominis sanguine, idest, morbo grauiore sanare; non dissimiles, & qui de arena feras deuorant illitas, & infestas cruore, vel membris hominis, & viscere saginatis.

Tertullianus in Apolog. cap. 9. Hodie *Tertul.* istic Bellonæ sacratus sanguis de fœmore præciso in palmulam exceptus suis datur signatis. Item illis qui munere in arena noxiorum iugulatorum sanguinem, recentem de iugulo decurrentem exceptum auida siti Comitiali morbo medentes hauserunt.

Aretæus lib. 1. de Curatione acutor. *Aretæus.* morbor. cap. 4. Nonnullos autem vidi nuper iugulati hominis vulneri fialam subijcientes, atque inde haustum cruorem bibentes. O ingentem necessitatem quempiam sustinere, malum malo piaculo depellere. At qui ex ea ad sanitatem, necne isti peruenerint, nemo mihi verè affirmare potest.

Quod Minutius dicit, morbo grauiore sanari, Celsus dixit; miserum auxilium miserius malum efficiens. Nam licet iniqui essent Gladiatores, vt ait Tertulianus. Maior videtur iniquitas illorum sanguinem sugere. Plinius licet nil de natura remedij decernat, humanam sæuitiam grauiter notat, ad quem sensum non minoris autoritatis accedit, ex Iustini Mar. *Iustin.* sententia ad Ortodoxos, q. 145.

Cum ex eisdem constet sanguis ex quibus caro: cur esum carnis animalium permittit Deus, sanguinis vero vetat? Sanguinem inquit in carne non comedetis.

Responsio.

Vt in hoc separet nos Deus à similitudine bestiarum, quæ cum esu carnis, lambunt etiam sanguinem eorum, quorum carnes

comedunt. Hæc Iustinus.

His prænotatis, talem conclusionẽ duximus. Sanguis Gladiatorum, aut cuius libet alterius vulnerati, non prodest Epi lepticis. Explicatur primo, nam dico, quod non solum sanguis pugnantium ho minum, & ira feruentium, quales erant Gladiatores, sed cuiuslibet alterius vulnerati, [subintelligimus eos etiam, qui vena scisa sanguinem fundunt] nocere manifeste potest; prodesse nũquam. Ostẽ ditur, quia sanguis potatus, neque causam materialem Epilepsiæ deturbat, nec caput roborat, ne recipiat malum, nec ha bitualem qualitatem depellit. Vnde ergo potest aliqua vtilitas consurgere? Quia si actualem feruorem illius consideres, agitationem humorum infirmi spectare debes, & consequenter capitis apprehensionem. Si dicis pituitã attenuari sangui ne poto; hoc forsan fieret, si seruata forma misceretur cum alijs humoribus, sed nonne vides putrefieri prius in vẽtriculo, aut in prauum chilum conuerti; & antequam venas intret, iam caput tentat? Ausim dicere nullum auxilium potuisse Constantinum Imperatorem sperare in illo balneo crudeli, quod ex sanguine pue rorum iam parabatur, nam lepra illa, abstergentia prius petebat, postea roboran tia (si sanabilis naturaliter erat) at sangui nis puerilis temperies humidissima, neque abstergere, nec tertiam coctionem confirmare poterat, quæ potius per alimẽta selecta intus assumpta celebratur; quia cum in tali morbo temperamentũ substantificum carnium subvertatur impossibile est, per tale balneum reparari. Reparatum ergo fuit miraculose sacro fonte Baptismatis.

Sed dices; quare sanguis non reficiet substantiam deperditam, cum semper sit selectum alimentum? Audi quæso, sanguis ordine naturæ petit transire in ros, glutem, & cambium, has mutationes nõ subijt, nisi gubernatus ab anima, in locis destinatis per quæ ipsa anima influit, in venis capillaribus, in porositatibus carnium. Balneum sanguinis exterius relinquit qualitatiuam aliquam virtutem, sed substantia necessaria, non intrat, vt gubernata ab anima vitalem nutritionem ministret, saltim materialiter. Nota quod dixi, necessaria, nam forsan aliquis vapor allicitur, iuxta illud Hippoc. Carnes tractrices. Sed vapor non sufficit ad restaurandũ substantificum temperamentum. Sed redeo ad punctum de sanguine potato, & assero in secunda conclusione.

Ex mente phylosophicè sentientium, talis vulnerum sanguis physice nunquã profuit. Hanc confirmamus verbis supra adductis ex Aretęo, qui diligenter inuestigauit, an tale facinus alicui fuisset auxilio, & affirmat se nunquam vidisse. Est vere Aretæus magnæ autoritatis, & illis Gentilitatis temporibus, maxime celebratus.

Sed offero eruditis ponderandum, primo Cornelius Celsus in supradicta sententia ait. *Quidam sese liberarunt, &c.* Sed audiamus quid statim dicam. *Quod ad Medicum vero pertinet, vltimum est iuxta talum venam secare occipitium inurere, &c.* Quam seuerè damnat vsum sanguinis Gladiatoris, aut iugulati, insinuans neutiquam esse remedium naturale, quia si ad Medicum optimum non pertinet, asserendum est nullum in natura habere fundamentum. Siquidem sphæra Medici, omnem ambit Phylosophiam, rerumque proprietates; si in tam ampla ditione non inuenit Celsus sanguinis ebibiti vtilitatem, æstimare opportet nullis naturæ viribus id præstari. Quia Gal. aliquid in hac re, aut antiquior Hipp. nobis reliquissent. Ergo quando Cels. transit ad remedia vera, relinquit illud vt vanum. *Corne.*

Secundo locum Scribonij Largi, quem noster Cerda Iesuita citat, sed si citaret integrum, palchrum aliquid decerperet. Ergo Scribon, sic ait cap. 1. ad morbum Comitial. numer. 16. *Sunt, & qui sanguinem ex vena sua missum bibant, aut de calbaria defuncti terna cochlearia sumant per dies triginta*, & numer. 17. iterum ait. *Item ex Iocinore Gladiatoris iugulati particulam* *Cerda ad Tertul.*

ticulam aliquam nouies datam consumat. Quæq; eiusdem generis sunt extra Medicinæ professionem cadunt, quãuis profuisse quibusdam visa sunt. Ista duo Celsi, & Scribonij testimonia se respiciunt. Ille: *Quod ad Medicum vero pertinet, &c.* Iste, *Quaque eiusdem generis sunt extra professionem Medicinæ cadunt.*

Videamus ergo, quæ professio sit hæc extra Medicinam, quæ sanguinem laudat iugulatorum. Certe existimo professionem hanc esse illam quam per totum hunc librum Diuinus damnat Hippocr. Quæ nam professio? Magorũ, Incantatorum, Sagarum, tandem Dæmonum. Permittente Deo, quod aliquando prosint tales inuentiones, vt inter fallacias Dæmoniacas expirent Magi. Equidem hæc nostra tertia conclusio non multis indiget ad ostensionem suæ veritatis. Dæmonem sanguinis humani auidissimum hostem semper fuisse, manifestant Sagæ, & turba Magorum, quia neque placent Dęmoni, nisi illi offerant humanum sanguinem, puerulos exsuccatos, dilaceratos, mortuos.

Arist. Horat. Diod. Lucan. Videndus Arist. 7. de Moribus, ad Nicomacum, Horat. de arte Poët. ad Pisones, Diodorus Siculus lib. 20. Lucanus, & alij graues autores. Refert Bodinus Magam obstetricem consueuisse, statim natum puerulum in altum extollere, & Dæmoni silenter offerre, tandem acu secrete illum occidere, postea è sepulchro, excipere, coxisse, sorbisse. Et hoc modo 41. infantes nefarie absortos. Ad quod alludit Horatius. *Horat.*

Neu pransæ Lamiæ viuum puerum,
——extrahat aluo.

Legimus in vita Apollonij, apud Philostratum. Formosam Lamiam, apud Chorinthium, quæ fatebatur, se iuuenum corpora deuorare, vbi sanguine plenos inueniebat: illud etiam certissimũ, Sagas, & Dæmonis alios discipulos, neutiquam in suis obscœnis conuentibus apparere, nisi portent crudelia illa pignora sanguinis humani: quod si negligenter id faciunt, supplitijs, & tormentis plectuntur. Si ergo hac in homines sæuitia Dæmon inflammatur, quid miraris, Magos detestabilis magistri sequaces, potandum sanguinem humanum consulere, & appellare remedium Epilepsiæ, quod est vindicta potius suæ iræ? Sed quæ ira? antiquissima, & semper noua, nam ab origine mũdi, vidit se cœlo depulsum, & hominem ad cœlum vocatum. Post Christum Dominũ, amplius efferbuit. quia diuino sanguine iam homines vidit sanatos, & à suis fallacijs ereptos, vnde de nouo Magos excitauit ad effundẽdum humanum sanguinem, & inter Magos paratissimos inuenit Iudæos impijssimos. Quorũ prodigiosa exempla legenda, apud Ioan. Langium epist. 71. quæ doctissima est. *Ioan. Lang.* Igitur in nostro text. Hipp. huiusmodi sanguinis vsum respuit, ne aliquem fallat, qui non fallitur. Sed cum videam ab aliquibus autoribus, sanguinem humanum probari, aut potum è vena suctum, aut stillatum, aut alio modo præparatum, quando huc deuentum est, immorari paulisper decreui.

QVID SENTIENDVM circa sententiam Marsilij Ficini, sanguinis potum consulentis, ad vitam producendam.

ADuersus ea, quæ philosophice, & pie dicta sunt, sententia Ficini stat aliquibus firmata rationibus: nam vitam producere studens, & senectam retardare lib. 2. cap. 11. nimius est in celebrando sanguinis humani potu. Eius verba. *Quos Hectica senilis exedit, Medici diligentes liquore humani sanguinis, qui arte sublimi destillauit ad ignem, reficere moliuntur. Quid ergo prohibet, quo minus senio iam quasi confectos interdum, hoc etiam potu reficiamus? Communis quædam est, & vetus opinio, aniculas quasdam Sagas (quæ & Striges vulgari nomine nuncupantur.) infantiũ sugere sanguinẽ, quo pro viribus iuuenescãt.*

Cur non, & nostri senes omni videlicet auxilio destituti sanguinē adolescentis sugāt? Volentis inquam adolescentis, sani, læti, temperati, cui sanguis quidem sit optimus, sed forte nimius. Sugant igitur more hirudinum ex brachij sinistri vena vix aperta unciam vnam, aut duas. Mox vero sachari viniq; tantundem sument, idq; esurientes, & sitibūdi facient crescente Luna, &c. Statim Ficinus, nescio quæ dicit de sanguine canis, & saliba. Et postea caput concludit in hūc modum: *Quorsum hæc? primo quidem, vt rei tam occultæ, succurrentem interdisserendum aperuerim. Deinde vt moneam sanguinem potari posse, & quidem salubriter, atque in sanguine humano virtutem esse qua humanum sanguinem attrahat, & mutuo prosequatur. Ne forte diffidas iuuenilem sanguinem à sene bibitum trahi ad venas membraque posse, ibique prodesse quam plurimum.*

Sed neque Ficinus, neque Arnaldus Villanouanus, neque Tralianus, aut alius qui tali vtatur medicamento, mihi placet: vana sunt, & Paracelsum redolent omnia hæc.

In primis non video Hippocr. sanguinem humanum in potu dedisse, cum vixerit eo tempore quo Græci omnia vocata mysteria, & secreta Medicinæ, ex vanitate Ægiptiorum deduxerant; cum enim tunc præualeret in Ægipto Magica deceptio ad talem discendam disciplinam, multi peragrabant. De quibus eleganter dixit Plin. melius vocari exulantes quam peregrinantes. Atque cum inter alia cruor humanus Incantatoribus fuerit in vsu, credendum certè nostrum Hippoc. neutiquam Magicis artibus seductum, & ne videretur in aliquo similē esse talibus hominibus, nunquam ad vsum Medicum sanguinem potandum dedit.

Quam artis puritatem ita sequutus est Mirus Gal. vt qui illud cap. 1. lib. 10. de simp. med. fa. Legerit, cōspiciet quam sollicite fugit sanguinem humanum. Nam si necessarius est, quorsū non vtantur Medici Suillo, qui simillimus est humano? Audi obsecro Galen. loco citato, cui titulus sanguis Suillus. Postquam narrauit, quod in hospitio contigit, comedebant hospites carnes sibi oblatas, & putabant esse vere Suillas, sapore, & gustu. Inquit ergo Gal. *Itaque iure quispiam existimet Suillum sanguinem humano esse simillimum; ex tali enim sanguine, tum prima constat generatio, tum postea nutritio carnibus. Itaq; quisquis sanguinem humanum morbo alicui vtilem esse ait, in Suillo primum id comprobet: ac si non eandem, saltem similem actionē ostendat. Nam si aliquatenus inferior sit humano sanguine saltim assimille quippiam efficiet, &c.* Nonne animaduertis verba hæc Gal. *Si quis sanguinem humanum alicui morbo vtilem esse ait.* Ex aliorum loquitur opinione, non propria: præterea inuitat prius ad sanguinem Suillum, vt Medicos arceat ab humano.

Secundo aduersus Ficinum, peculiare insurgit argumentum. Quia si desiderat vitam producere, senectutem retardare, aut aliquo modo detinere, quorsum non exhibet lac? Si hecticos lacte restitutos vidit, quare senes lacte securius reficiendos nō sperabit? si principia generationis statim ab ortu lacte fouebātur. Quare iā deficientia eodem non reficientur, melius multo quā sanguine? Non dico Ficinum Paracelsicum, neutiquam talia somnio, cum affirmem Theologum eruditissimū, & sanæ doctrinæ autorem, Paracelsum vero ab omni bonarū literarum pulchritudine alienissimum. Sed quia sanguine humano praui homines vtuntur, vellem doctos viros, neque in minimis assimillari Magis. Sic omni Magica superstitione relicta intra limites physicos probo, neq; pro hecticis, neq; pro senibus vtilem esse sanguinem humanum.

TEXT. XIX.

NEque tamen hominis corpus à Deo inquinari existimo, impurissimum à purissimo, quin

quin si fortè contingat, vt ab alio coinquinetur, aut quid patiatur; cupierit vtique à Deo purgari, ac purificari magis; quàm inquinari. Deus itaque est, qui maxima, & sceleratissima peccata purgat, ac purificat, & liberatio nostra existit; ipsique terminos templorum, ac delubrorum Dijs designamus, vt nullus, qui non purus sit, eos transcendat, & ingressi respergimur, non velut qui inquinemur, sed si quod etiã prius scelus habemus, purificemur. Et de expiationibus quidem sic se res habere mihi videtur.

Comment. QVotiescumque hunc textum lego, misericordiã Domini in æternum cantare desidero, exclamo quòd nulla fuerit ætas, in quã non refulgeat aliquã lux, aut radius luminis diuini vultus. Vide Hippocratem Græcas tenebras lumine naturæ, & philosophiæ dissipantẽ, vt non solum Gentiles, verum multos doceat Christianos. Audiat quisque nostrum, quã animi puritate debeamus sacra templa tractare, quomodo debeamus introire, quando Hippoc. templa Gentilitatis peccatores non permittit adire, nisi priùs à peccatis mundentur. Sed pauca dicamus ad textum, inter multa, quæ poterant adduci.

Dicit primò, non inquinari homines à Deo, sed potius purificari, tanquam à purissimo. Cognoscit noster admirabilis Senex multa attributa Diuina, infinitam puritatem, infinitam bonitatem, infinitũ amorem, & benignitatem erga homines. Infinitam puritatem, & impeccabilitatem fateri iam constat: non enim poterat vniuersum genus hominum purificare, neque à peccatis liberare, nisi Deus summè purus, neque poterat id facere, nisi summe bonus, & sui diffusiuus, nec diffunderetur, nisi summe amaret. Quæ omnia omnipotentiam supponunt.

Dicet aliquis, hæc ita esse; sed non cõstare sic fuisse ab Hippocrate intellecta; imo neque ab alio ex Gẽtilitio; sed si me non fallit Hippoc. amor, ostendam eius Theologiam. Si animæ immortalitatem sinedubio cognouit (quod soli stupidi negant) quare ad cognoscendam Dei maiestatem non fuerit misericorditer euectus?

Suppono Theologiam naturalem appellari cognitionem Dei, vt autor naturæ existit, cuius lumen alij magis, alij minus participarunt; alij tandem mille erroribus, & fabulis obcæcati, nec scintillam diuini illius ignis perceperunt.

Secundò satis constat ex dictis in superioribus textibus, quo animo detestetur Hipp. errores, ac mendacia Magorũ, conclusione diuina & sancta, illorum superstitiones prorsus auertente.

Tertiò, quàm manifeste explicet insipientiam illorum, qui dicunt in corde suo: *Non est Deus.* Fugiant iam miseri Athæi, aut tendant ad æterna supplicia, aut vocem nostri Hippocratis audiant, & retineant, Deum confitentem nostrorum bonorum autorem, malorum omnium medelam.

His suppositis, animaduerto primò aduersus Magos probare Hippoc. duas propositiones. Prima est, morbũ, de quo agimus, non esse magis diuinum, quam alios; hoc hucusq; ostendit, & in progressu amplius demonstrabit. Secunda propositio, expiationes Magicas impias esse, & contra cultum, & honorem Dei, & contra reuerentiam, & puritatem cordis quã erga ipsum exhibere homines debent. Hanc vltimam probat, quia nõ est possibile, vt purissimus actus, & summe bonus inquinet creaturam, cùm potius sit perfectio, & purificatio illius: vnde quicquid mali est à nostris defectibus procedit, quicquid vero boni à Dei bonitate profluit, iuxta illud Apostoli, *Omne datum*

datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descẽdens à Patre luminũ, &c. Quam veritatem solo lumine naturæ, & philosophia potuit consequi Hippocrates; habuit tamen Antesignanos, & coætaneos huius doctrinæ Philosophos; nã libri Hermetis Trismegistri pleni sunt sancta Philosophia. Appellat enim vbiq; Deum summum bonum, nullo modo indigum; creaturas vero multis malis subditas, tenebricosas, à solo illo indeficiente lumine lucem, & bonitatem expectantes.

Textum istum admiratione potius venerari oportet, quam explicatione attingere. Hippocrates cognouit immortalitatem animæ rationalis, vt latè probatũ est in mea Hippocratica Philosophia, quam superioribus annis in lucem dedi; cognouit etiam vnum summum Deum omnium bonorum autorem, vt hic constat: Reliquos (ab illis vocatos) Deos suo ordine, & loco ad communem morem non vt simpliciter immortales fatetur; non possum aliter sentire (nisi amor doctrinæ Philosophicæ Hippocr. me fallit) nam vt ex eius libris constat, melioribus, & Philosophicis sentẽtijs fuit semper addictus. Insignes autem Philosophi, quorum Theologia tunc florebat hanc prædicabant veritatem, ergo conclusio istius textus satis monstrat eandem fuisse Hippocratis mentem. *Orphæus.* Orphæus ille antiquissimus (vt à Poëtis incipiam quos summo honore æstimauit antiquitas) & Dijs æqualis, siquidem traditur inter Argonautas, cum Tyndaridis, & Hercule nauigasse, Deum verum, & magnum πρωτογονον, idest primogenitum appellat, quod ante ipsum nihil sit genitum, sed ab ipso sint cuncta generata: cuius naturam cum animo concipere non posset φανητα, id est apparentem nominauit, quòd cùm adhuc nihil esset creatum, primus ex infinito apparuerit, & extiterit in creaturis. *Homerus* In Homero parum, aut nil huius lucis inuenit Hippoc. quia potius humana, quàm diuina depinxit. *Hesiodus.* In Hesiodo tantisper, qui Deorum generationem enarrandam aggreditur, sed à Chao incipit: ignorans quod Chaos tanquam rudis, indigestaque moles ab aliquo opifice profecta, ad ordinem reducta fuit. *Thales.* Thales ante Hippoc. materiam omnium rerum aquam dixit: autorem vero, & artificem, causamque effectricem Deum. *Anaxagoras.* Anaxagoras primam, & infinitã mentem, quæ per se ipsam moueatur. *Pythag.* Pythagoras quid senserit de vnitate Dei, & Dijs secundo loco venerandis, elegantissimè, & grauiter explicatur à suo discipulo *Hierocl.* Hierocle Alexandrino in Commentarijs ad aureos versus.

Sed redeo ad Orpheum; posset enim aliquis dicere trecentos, & sexaginta Deos inuenisse. Respondeo morti proximum illos testamento reiecisse, & vnum Deum inuocasse, ita refert S. Cyrillus in Iulianum, S. Iustin. Martyr. in Apol. ad Ant. Euseb. 13. de Præparat. cap. 7. Clemens Alexand. 5. Stromat. Theodoret. lib. 2. contra Græcos. *S. Cyrilus S. Iustin. Euseb. Clemens Alexand. Theodoretus.* Sed plura, & pulchra adducit S. Iustinus lib. de Monarchia enumerans sententias Phylosophorum. Mihi in ista digresiuncula non est in animo, quod certum est, probare, sed doctrinam afferre, quæ tempore nostri Hippoc. inter sapientes fulgebat, vt simul cum sententia huius textus pietatem Hipp. Philosophiæ lumine illustratam videamus. Trimegistrus vetustissimus nostrum textũ habet expresse in suis libris; (quos genuinos esse plures eruditi contendunt) in Pimandro, Asclepio, & alijs opusculis. ait nos esse malorum nostrorum causam, Deum vnicum nostrorum bonorum principium & datorem, salutem, & tutelam nostram. Æschilus, Sophocles, Philemon, Menander, Euripides apud D. Iustin. lib. de Monarchia cum Anaxagora conueniunt. Heraclitus, Empedocles, & Parmenides, omnes vnum, primum incorporeum asserũt. *Plotin.* Docuit etiã Plotinus Ennea 5. lib. 1. cap. 8. & 9. Ex quibus satis clarescit istum textum hanc solidam demonstrare sententiam, Antesignanis conformem, quam postea Plato

acerrime sustinuit, & Aristot. à talibus fontibus susceptam in physicis, & præcipuè in Metaphisicis demonstrauit, & publicè contra pluralitatem Deorum disputare fuit ausus, vt hac de causa fuerit illi necessarium fugam capere, vt insinuare videtur Seneca in fine lib. de vita Beata. Scio aliquos dicere aliam fuisse fugæ occasionem, sed mihi placet Origenis sententia lib. 1. contra Celsum ad finem, hanc fuisse rationem existimantis. Vbi (in gratiam eruditorum notandum duxi quod Origenes lib. 7. contra Celsum circa finem, ait. Peripateticos, quantumuis bene cognoscerent vnum Deum, tamen se attemperantes vulgi opinionibus simulasse se offerre simulachris preces; quod sanctus Augustinus Senecæ exprobrat 6. de Ciuit. cap. 10. vbi adducit longam eius sententiam, qua constat Senecam fingere obseruantiam Deorum non credere, forsan talis fuit noster Hippoc. vt & multi alij illius temporis, vt refert S. Augustinus lib. de vera Religion. cap. 1. 2. & 3.

Seneca.

Origenes.

Igitur ab Orpheo, à Trismegistro per Philosophos prædictos descendit cognita hæc conclusio nostri textus ab Hipp. ad Platonem, & Aristotelem. Illud tamen aduertere non desinam, intelligentias appellare Aristotelem, quas Deos dicebat prisca Gentilitas, dependentes tamen à primo ente, quod (vt dixi supra] disertè, & grauissimis verbis explicuit Hierocles Alexandrinus. Itaque si in præsenti libro Hippoc. Deorum mentionem facit, & alibi, hoc modo venit intelligendum cum Pythagoricis, vt vnum primum Deum, autorem omnium bonorum, & purificatorem hominum primò colendum, & suspiciendum putet; reliquos spiritus, & Heroas bonos secundo loco venerandos, tanquam radios, & fulgurationes, seu luces participatas à prima luce inaccessibili.

Designari templa, & delubra Dijs asserit, idest, dicari, est tamen differentia inter templum, & delubrum, quod templũ est tota illa aula erecta in honorem Dei: delubrum autem erat locus particularis templi, vbi constituebatur Dei figura, aut imago; sic aliqui dicunt, nam vt candelabrum dicitur à candela existente in illo; ita delubrum à Dei imagine ibidem posita. Alij existimant delubrum dici propter aquam, quæ ante templa extabat ad ablutionem; vt enim nũc aqua benedicta aspergimur, antequam templa sacra ingrediamur; antiqui etiam habebant suam aquam, vt hic refert Hipp. vt loti, & purificati ingrederentur; significantes per illam lotionem, quàm purus deberet esse anim⁹, qui loca sacra adiret.

Inquit Hipp. in fine text. lauari prius homines, & aspergi, vt mundi à sceleribus templa adirent, & precationes funderent. Legimus, hoc fuisse apud Gentiles antiquitus obseruatum; nam aut fontes, aut fluuiolos, aut vasa aqua redũdantia, ad portas templi proponebant, vt ingrediẽtes aspersi purificarẽtur. Laertius lib. 6. in vita Diogenis, sic ait. Diogenes cum videret quẽdam se Religionis causa aspergentem, (hoc enim ritu prisco solebant purificari, si quid piaculi commissum crederetur): infælix, inquit, multum erras in Grammatica; non absoluetis aspersus, multo minus aspersio te liberabit à vitæ criminibus. Erasmus libro 8. Apophtheg. Cũ Iulianus Imperator, & Valentinianus, nõdũ Imperator templũ Fortunæ ingrederẽtur, hinc atque hinc astantibus æditius, qui aquam introeũtibus aspergerent, vbi vidit in clamyde purpurea gutam aquæ, pugno percussit æditum. Hoc, inquit, non est purificare, sed inquinare.

Laert.

Erasm.

Populus vero Iudaicus legalibus institutis deseruiens, vt habetur Exod. 12. & 24. sanguine lustrabatur, sed misericordia Dei Opt. & Max. mendacẽ purificationem Gentilium, in veram puritatem mutauit, & vmbram testamenti veteris, ad viuum candorem, & perfectam lucẽ traduxit, aqua Baptismatis renatos in Christo Domino purificans. Vtitur præterea mater Ecclesia aqua benedicta ad ingressum templi, quin & in Christianorũ

cubi-

Maur. cubiculis, vt ab imperfectionibus mundemur. Vnde recte Rab. Maurus lib. 2. de institut. Ecclesiast. cap. 55. dicebat: *Nullum est aliud elementum, quod in hoc mundo purget vniuersa, quam aqua: quodque viuificet cuncta: ideoque cum baptizamur in Christo per ipsum renascimur, vt purificati viuificemur: Quod in tempore Passionis vnà cum sanguine de latere Christi profluxit, ad ostendendum vtique omnis sanctificationis, & munditia validum se inde habere sacramentum, &c.* Aspersione vero ante ingressum templi Alexander huius nominis Primus Summus Pontifex instituit.

TEXT. XX.

HIC Vero morbus nulla re Diuinior reliquis mihi esse videtur; sed naturam habet, quam etiam alij morbi, & causam, vnde singuli gignuntur, eiusque natura, & causa, sicut & aliorum omnium Diuina potest censeri. Et sanabilis mihi videtur, sicut & alij, nisi iam præ temporis longitudine inualuerit, vt fortior sit medicamentis, quæ adhibentur. Incipit autem velut etiam alij morbi per genus, aut cognationem. Si enim ex pituitoso pituitosus, & ex bilioso biliosus generatur, & ex tabido tabidus, & ex lienoso lienosus, quid prohibet, vt cuius pater, & mater hoc morbo correpti fuerint, etiam posterorum, aut nepotum aliquis corripiatur? Semen enim genitale ab omnibus partibus corporis procedit, à sanis sanũ, à morbosis morbosum.

Comment. IAM Hipp. intra terminos Medicæ, & Philosophicæ facultatis institutũ prosequitur, qui in superioribus modò moralem, modò naturalem agebat Philosophum. Ait. Epilepsiam non esse magis Diuinum morbũ, quàm alios, sed generari à causis naturalibus, & Diuinis, sic vocatis, sicut & alias ægritudines, & curabilem esse per medicamenta, nisi ita habitualis sit, vt respuat, & vincat efficatiam auxiliorum. Præterea sicut multi morbi sunt hæreditarij, & à parentibus procedunt in filios; ita & Epilepsia, nam sicut parẽtes biliosi generant biliosos, & pituitosi pituitosos filios, & tabidi tabidos: ita Epileptici Epilepticos. Atque contingit sæpe, vt non parentes, sed aui, aut proaui, hoc morbo fuerint oppressi, & filijs intactis, siue sane degentibus, eluceat Epilepsia in nepote; & rationem exhibet, quia semen genitale ab omnibus partibus corporis secedit, à sanis sanum, à morbidis morbosum.

Sensus textus satis est apertus, & nulla eget probatione; difficultas tantum versatur circa causam morbi hæreditarij; dicit enim, eam esse, quia cum semen descendat ab omnibus corporis partibus, fert secum morbum, aut sanitatem illarum partium, & ita effectus elucet in genito.

O quot exurgunt contra istam sententiam lectores in suis lectionibus, vociferantes; scriptores in suis libris respuentes; & ego cum iuuenlia studia publice exercebam, quam facile discessi ab Hippoc. Sed nunc quantum ponderis habet apud me eius sententia, aperiam.

In hoc loco considero peculiarem finem, quem habet noster Senex, & secundò vniuersalem rationem, de qua potest esse disputatio. Dico, quod cũ doceat nũc morbũ Comitialem per generationẽ traduci à Parentibus in posteros (vt alij multi morbi) id probat, quia cũ semine descẽ

dit aliquid à partibus patientibus deriuatum, aliter non poterat traduci per generationem; nam (vt dicebamus agentes de priuatione cum D. Thoma) necessarium est; vt malum in effectu supponat aliquem defectum in causa; igitur si per principia generationis genitum producitur morbosum, asserendũ est ipsamet principia esse defectuosa, ergo semen, per quod influit potẽtia totius generantis impedita est per aliquam morbosam, seu præternaturalem qualitatẽ, vt non valeat sanum, vt decet fœtum producere, aliàs non est possibile, vt sit aliquis morbus hæreditarius. Rursus cum Epilepsia sit proprius affectus cerebri, fateri necessario oportet, aliquid defectuosum è cerebro descendere cum ipso semine. Discursus iste procedit per propositiones necessarias. Sed vlterius inquirendum quid est, quod descendit à cerebro? Dico, quod descendit spiritus animalis ab ipso generatus (sine tali spiritu non est semen animalis perfecti, de quo loquimur) atque cum Epilepticus cerebrum habeat Epileptica distemperie, & qualitate affectum; necessario spiritum animalem sigillat, taliter, vt cerebrum generati huic morbo obnoxium enascatur. Rursus, si omnibus neruis suam temperiem communicat cerebrum per partium continuitatem; igitur nerui, qui testibus, & seminalibus vasis inseruntur, eandem qualitatem sortiuntur; ergo ex duplici principio cõstat à cerebro morboso, morbosum semen pullulare, communicata aliqua qualitate Epileptica per spiritum, aut per neruorum substantiam, aut per vtrunque: licentiosè, & claritatis gratia intemperiem cerebri per essentiam patientis vocamus qualitatem Epilepticam. Hippocrat. igitur hanc conclusionem intendit probare in hoc textu, atque secundum istam verissimam explicationem à nemine negãdam, ab omnibus etiam debet recipi textus noster.

Secundò dico. Quod disputatio est circa rationem vniuersalem huius textus; an verum sit seminalem substantiam ab omnibus corporis partibus descendere, iuxta communem modum sentiẽdi Hippocratis in hoc libro, & libro de Genitura, & de Aere, Aquis, & Locis. Modo vero apertum supponimus: in hoc morbo particulari spiritum animalem à cerebro generatum in testibus iterum elaboratum simul cum vitali, & naturali (si talis sit) in gignitiuum transmutari: semper tamen qualitatem præter naturam impressam communicari de vno in alium spiritum, & qualitatem etiam similem per continuitatem neruorum, hoc enim sufficit ad probandum contra Magos ex causis communibus morborum procedere Commitialem per generationem. Si enim proprium est generantis vniuoci, sibi simile generare; si omne agens agit, vt est; quare Epilepticus non generabit Epilepticum? tabidus tabidum, pituitosus pituitosum? vt defectus in effectu sequatur defectum in causa. Igitur morbus de quo agimus, nil habet dissimile ab alijs. Et præterea modo prædicto interpretari potest sententia Hippocr. quod semen ab omnibus partibus decidatur, id est, præcipua pars seminis, quæ spiritus est ab omnibus Principibus, partibus descendit, habent autem partes Principes reliquarum omnium eminentem quandam virtutem, qua illas conseruant, & necessaria tribuunt. Hoc autem sufficit (vt dixi) ad probandum, quod nunc intendit. Sed altius textum contemplemur, & ad Scholasticos, & eruditos etiam conuertatur oratio.

Cum Hippocratis authoritas, à multis Medicis in hoc textu defferatur, nec vllũ inuenerim, qui explicet, aut defendat tanti Magistri sententiam, placuit paulisper hunc punctũ agitare, cũ sępius illud Macrobij in memoriã venerit *Hipp. nunquã fallit, nec fallitur.* Sed Auicena

Notabilis sent. Auic. in laudem Hipp. cena 1.4.c.de quint.&sext.sic cōcludit: *Standum esse sententiæ Hippocratis, quamuis alij Philosophi, aut videant, aut experiantur, aut probent contrarium.* Magnum encomium. Dicit Gentilis in Comm. citat: text.

Gent. *Hæc est maior laus, quæ nunquam fuit data Hippocrati: nam dicit Auicena, quod nec concedere illud, quod non videtur, neque concedere, quod non auditur, neque concedere illud, quod dicit quidam expertus; neque concedere illud, quod dicit quidã Philosophus, est tale concedere, quale concedere, quod dicit, aut testificatur Hippocrates. Concedere ergo, quod dicit Hippocr. est concedere rem visam, rem auditam, & rem expertam, & rem physicè probatam.* Hæc Gentilis.

Cum ergo Hippocrat. in hoc text. & lib. de Genitura, & lib. de Aere, Aquis, & locis affirmet, semen ab omnibus corporis partibus decidi, & quasi axioma accipiat ad alia probanda: certe credendum est falsam esse, aut improbabilem contrariam opinionem. Non memini circa hanc rem in his quæ scripsimus meum sensum apperuisse; nunc vltimam nostram cogitationem explicare decreuimus, quam veram, & Hippocraticam existimamus.

Quod semen ab omnibus partibus corporis decidatur ex Præceptoris sententia contra Neothericos.

Argum. pro cont. parte. Aristotel. contrariam partem videtur ex professo probare lib. 1. de Generat. anim. cap. 18. ad inconueniens, & vt ipse putat, ad impossibile deducens, ea quæ in antecedenti cap. pro altera parte proposuerat. Singula perpendamus.

Primo. Ex similitudine natorum ad parentes, nam si filij in oculis, & alijs partibus similantur parentibus, quia deciditur semen ab illis partibus, etiam dicendum erit deriuari à capillis, ab vnguibus, à voce, à motibus; in his enim similes filij procreantur suis parentibus.

Secundò. Quia contingit, parentes generare, quando aliquas partes non habent, quæ postea apparent in filijs; Generant enim aliqui antequam habeant barbam, aut canitiem, quomodo ergo semen decidetur ab his, quæ non sunt.

Tertiò. Quia similes solent esse Auis, & Proauis à quibus nihil secessit, redditur enim post multa genera similitudo, vt in Helide, quæ cum Æthiope concubuerat, & non filiam, sed nepotem habuit Æthiopem.

Quartò. Cum plantæ cōueniant cum animalibus, quantum ad partem vegetalem generatiuam, etiam ab omnibus suis partibus semen deberent emittere, quod tale non videmus. Imo vna planta ab alia generatur mediante semine, quæ multiplices habet ramos, cũ generans paucos habuerit, & semen deberet esse cum corticibus, si à corticibus arboris deriuatur.

Quintò. Si procedit semen ex omnibus partibus, aut procedit ex similaribus, aut ex organicis, aut ex omnibus his; atque cum similemur nostris parentibus in organicis, & non in similaribus, manifeste sequitur, quod semen non deciditur à similaribus. Rursus si dicas, quod secedit ex organicis, ergò teneris dicere procedere à similaribus, nam partes organicæ, nihil aliud sunt, quam similares composìtæ. Tunc sic. Ergo debet procedere semen à partibus componentibus similares, nempe ab aqua, igne, aere, & terra.

Sextò. Supposito, quod mas, & fęmina concurrunt suis seminibus ad generationem, sequeretur duo tantum esse genita, non plura, aut pauciora. Si autem vnum generetur, necesse est, & mari, & fœminæ esse simile. Omnia vero hæc falsa sunt, cum plura generentur ex vno semine ab vtroque parente.

Septimo, nam fœmina posset generare in suo vtero, quia omnes partes generandæ descendunt à toto corpore, habetque omnia necessaria, vt generet in se.

Octauo. Quia videmus generatum esse aliquando specie diuersum à generante, ergo non est possibile tunc semen decidi ab omnibus partibus, generaret enim semper simile in specie.

Nono. Ramulus alicuius plantæ in terra radicatus generat magnam plantam, & tamen ille non erat, nisi vna pars sola ergo non est necessum, vt omnes partes concurrant ad generandum.

Decimo. Non est possibile, vt tam breui tempore coitus descendant partes à longinquo in genitalia.

Vndecimo. Neque ad talem assertionem potest aliquis suaderi ob vniuersalem totius corporis voluptatem, nam hæc propter pruriginem per neruos cõmunicatam potest accidere.

Hæc, & alia plura Aristot. in illo cap. sed in contrarium præualet sententia Hippocr. Pro cuius intelligentia aliqua ad notanda sunt, quæ neque interpretes Aristot. neque vulgares Medici contẽplantur.

Primo. Neque Hippocrat. somniauit aliquam particulam diuidi à quolibet membro, & descendere tempore coitus; hoc enim supponunt omnes communiter, sed falluntur. Sed dicit Hippocrat. ab omnibus partibus deriuari. Potest autem esse aliud, quod partes remittunt pertinens ad materiam, & efficientiam generationis, non tamen sunt portiones ipsarum partium, aut semen formatum & factum, vt imponunt Hippocrat. Pro cuius maiore explicatione est notandus celebris locus Abulensis, qui vocat simplices illos, qui dicunt semen non decidi ab omnibus partibus corporis, & quia huius explicatio, maxime pertinet ad Hippocrat. illustrandum, paulisper in eius enodatione detinebimur.

(.§.)

alia argta 3a pagª 52

Tostati sententia notabilis de seminis fluxu ab omnibus partibus corporis.

Tostatus tomo 1. in Exodum cap. 12. folio 145. column. 2. sic ait: *Generatiua autem, vt quibusdam videtur satis simpliciter considerantibus, in genitali membro est. Nam cum generatio fiat secundum virtutem decisam ab anima in semine disponentem, transmutantem, atque configurantem semen, vsq; ad completam organicationem secundum conformitatem speciei; vocabitur potentia generatiua quædam potentia seminis decisiua, & expulsiua. Hæc autem nõ solum in mẽbro genitali, sed magis est in singulis membris, cum in singulis membris sit quædam vis decisiua de substantia eius, vt in semine reperiantur partes formatiuæ omnium partium corporis, secundum loca corporis à quibus decisa sunt; nam si semen esset solum de superfluõ alimenti, vt quidam simplices putauerunt, cum superfluum alimenti non sit conuersum in substaneiam corporis animalis, non consequeretur aliquam virtutem specialem animalis, neque esset possibile gigni naturaliter aliquod animal: sicut vrina est superfluum digestionis, & stercus, nil tamen ex eis gignitur, quia non assimilatur naturæ animalis, cum non transierit in substantiam eius.*

+ nota quo à hac fuit opinio dui Thomæ vt videtur 3o et Aristoteles

Item, tunc sequeretur dato, quod posset fieri generatio, quod cum generans in animalibus solum largiatur materiam, & virtus naturalis materia, postea cætera efficiat, quod nullus homo esset filius alterius hominis, quia non est de substantia eius, sed magis est de substantia alimenti, scilicet arietis, vel vaccæ. Concedendum ergo necessario de parte substantiali patris, & matris descindi materiam seminalem.

Sed adhuc rursus aliqui putauerunt, quod licet esset semen de substantia animalis

gignentis tamen discindebatur de vna parte corporis, scilicet de lumbis. Sed falsum est, necesse enim singula membra corporis spermaticare, nam generatio fit secundum virtutem decisam à semine, semen autem, si descinderetur ab vna parte sola corporis, solum haberet virtutem formatiuam secundum conuenientiam illius partis, ideo non formarentur diuersa membra in animali genito, quod tamen est falsum, quia tanta distinctio membrorum est in animali genito, sicut in ipso gignente. Oportet ergo descindi à singulis membris. Et patet hoc, quia sicut est in digestione, ita est in generatione. In digestione autem quando cibus digestus est in stomacho, adhuc non est natus transire in substantiam alicuius membri specialis, sed postea per vim attractiuam singulorum membrorum deducitur ad illa, & per virtutem specialem digestiuam, & assimillatiuam digeritur, & assimilatur, transitque in formam, & substantiam illorum membrorum: ita in generatione, cum debeat aliud totum animal produci simile generanti, oportet, vt de singulis membris aliquid discindatur, in quo sit virtus assimillatiua materiæ ad illud membrum à quo decisa est. Partes autem istæ spermaticæ decisæ, à singulis membris cum magna parte superflui alimenti conseruantur in quibusdam vasculis seminarijs adhærentibus lumbis, ideo dicitur vis luxuriæ esse in lumbis, & liquidum falsum fluere de lumbis secundum Isidorum 8. *Ethimo.* Hæc Tostatus.

Sed oportet istam doctrinam temperare, quia aliquis putabit esse Hippocraticam. In primis certum existimo materiam seminis à toto corpore paulatim, & sensim ad loca deriuari, quæ spermatica vocantur, ad vasa scilicet quæ præcedunt testes, & ad ipsos testes, nam superfluum alimenti totius hoc pacto segregatur. Non quidem est superfluum, quod partes renuunt tanquam prauum, vt alia sunt excrementa vocata à Medicis in quali, quia ob qualitatem inimicam expelluntur, vt vrina fęces, &c. Sed dicitur superfluum quia quamuis selectam temperiem obtineat, membrisque familiarissimam, tamen ex præscripto naturæ separatur ad speciei conseruationem sola quantitate exsuperans, vt postquam indiuiduum suæ conseruationis terminum inspexerit, habeat vnde simile in specie producat. Et ita quando Aristotel. & D. Thom. superfluum vocant, hoc pacto intelligendum, superfluum indiuiduo, selectum speciei.

Remittitur autem à singulis partibus. Nam singula membra cum polleant virtute allicíente, ad suas capillares venas, aut ad suam spheram trahunt, quod sibi conueniens est: quod vero exsuperat paulatim remittunt ad loca seminalia per manifestos ductus. vel insensiles: ad quem motum perficiendum etiam iuuat tractio, quæ fit à vasis spermaticis. Nam trahens facultas nunquam est, ita puntualis, & regularis in trahendo, vt non trahat aliquid amplius, nam & hoc prouidit mirabilis natura, quia cum alimentum continuo dissipetur, & partes viuentes etiam resoluantur, timori indigentiæ succurrit vt semper supperet aliquid potius quam deficiat, nam & quantum ad qualitatem non ita præcise seligit, vt omnes particulæ sint similes, itaque & media coaptantur fine.

Sed à posteriori ostendi potest, nam ex toto corpore descendit sanguis menstruus ad vterũ, & ante grauidationem mutatioque sensibilis in toto corpore percipitur, & in singulis membris, liberaturque à pondere, à rubore, & ab alijs singularibus accidentibus, quibus videmus particulas affici, & hoc etiam in perfectè sanis. Post menstruationem omnes partes apparent perfectiores, & pulchriores, quia illa massa, quę onerí erat, descendens iam, cõducit ad pulchritudiné, & nitoré remoto impedimento, & ita vocatur à Medicis vacuatio vniuersalis, quæ in muliere sana euacuat puriũ, & viuidum sanguinem, velut à victima, quia sanguis non peccabat in quali, sed

quid sit superfluum aliment[i]

Menstruum è toto corpore descendit

in quanto. Aliter in fœmina ægrotante contingit, nunc vero non loquimur, nisi de statu optima sanitatis.

Neq; audiendi sunt qui dicunt in isto statu sanguinem prauum exire, quia aliquando vident sanguinem mali coloris, & odoris, hoc quidẽ non contingit, quia sanguis putridus erat in venis, aut male affectus, sed quia cum facillime inter omnes humores corrumpatur, statim ac extra venas in vteri cauitatem prorrumpit solet malas acquirere qualitates.

Neque placent illi qui dicunt menstruã purgationem à solis magnis venis procedere. Concedimus quod ab his vasis, sed negari non potest, quin, & ab alijs minimis prosiliat, vt iam probaui.

Et quod dicimus de sanguine mẽstruo, idem profitemur de lacte, nam licet conficiatur in vberibus, materia tamen ab omnibus membris confluit, quod eleganter sanctus Macharius, homil. 12. fol. 156 his verbis dicebat. *Et puellus quando accedit ad vbera matris lactatur, & nutritur. At nescit scrutari radicem, aut scatu riginem, vnde sic influat. Sugit enim lac, & regionem omnem mãmillarum exhaurit: & denuo alia hora repletur mãmilla, hocq; neq; puerus nouit, neq; mater eius, quamuis reuera ab omnibus membris proueniat lac, &c.* Idem igitur, quod de menstruo dicebamus, dicẽdum de lacte. Vnde recte docti Medici desiderant in nutrice, vt nulla pars in eius corpore laboret, quia credendum est superfluum sanguinis, quod ad illã partẽ recurrit sigillatũ refluere ad mãmas qualitate partis ad quã accesit.

Machar.

Si autem dubites per quas vias deducitur: iam supra insinuaui. Nulla est vena capillaris, & minutissima, quæ cõnexum nõ habeat cũ alijs, & consequenter vsque ad loca spermatica, vel ad vbera. Atq; quando finis ita est vniuersalis, qualis productio alterius, & conseruatio illius, omnes partes in toto ad illũ cõsequendũ aspirãt.

Sed notandũ (vt dubitatiunculam tollamus) quod instrumenta spermatica maxime differunt ab vtero, quatenus attinet ad communem motionem sanguinis à toto: nam vasa seminalia pollẽt virtute tractrice ad trahendum optimum illud superfluum aliarum, idest selectissimum sanguinem diutius per venas, & venulas agitatum: itaque materia seminis, ne deficiat, & transmittitur a partibus, & trahitur à vasis spermaticis. At vero sanguis mẽstruus non trahitur ab vtero. Credũt enim aliqui esse æqualem rationem, sed falluntur, quia sanguis, qui vnoquoq; mẽse descẽdit sòlum transmittitur ab vniuersis corporis partibus, licet partim alliciatur afetu in grauidis: est enim magna diuersitas inter grauidas, & alias. Cum vterus suo nutriatur, vt nutrimento proprio secundum consuetudinem attracto. Dixerat hoc Galen. 5. de simp. med. fac. c. 22.

Quod Tostatus non recte dixerit omnes partes animalis spermaticare. D. Thom. doctrina extollitur.

Aliquas propositiones, vt falsas reiicere oportet, nam Tostatus non vidit doctrinam Hipp. & S. Thom. mirandũq; quod aliqui dicant sententiam prædictã esse Beati Thom. vt colligitur ex annotatione marginali ad Tostat. loc. citat. Sed punctum attingo. Absurdum est dicere, partes omnes spermaticare, nisi dicas, ita remote, vt relinquant aliquid, quod aliquo tempore debet conuerti in naturam seminis. Idem poteris dicere de planta, quæ generat fructum conuertibilem in sanguinem, sed hoc est ridiculum. Formas rerum quærimus, & terminos naturæ, non remota media. Ita iecur dicetur seminare, quia generat sanguinem, ex quo fit semen, sed hæc non est mens Tostati; nã dicit quod vnaquæque pars aliquid sui præstat, quod sit semen eius, & decidatur ab eius partiali substantia, sed est falsum.

Audiamus D. Thom. semper Magistrum meum in art. vlt. 1. part. *Non autem est possibile, quod accipiatur pro semine* *D. Thom.*

id, quod iam conuersum est in substantiam mẽbrorum per quandam resolutionem, quia illud resolutum, si non retineret naturam eius à quo resoluitur, tunc iam esset recedens à natura generantis, quasi in via corruptionis existens, & sic non haberet virtutem conuertendi aliud in similem naturam. Si vero retineret naturam eius, à quo resoluitur, tunc esset contractum ad determinatam partem, & non haberet virtutem mouendi ad naturam totius: sed solum ad naturam partis, nisi forte quis dicat, quod esset resolutum ab omnibus corporis partibus, & quod retineat naturam omnium partium, & sic semen esset quasi quoddã paruum animal in actu, & generatio animalis ex animali non esset, nisi per diuisionem, sicut lutum generatur ex luto, & sicut accidit ex animalibus, quæ decisa viuunt. Hoc autem est inconueniens, relinquitur ergo, quod semen non est decisum ab eo, quod erat actu totum, sed magis in potentia, totum habens virtutem ad productionem totius corporis deriuatam ab anima generantis, vt supradictum est. Hoc autem quod est potẽtia ad totum est illud, quod generatur ex alimento antequam conuertatur in substantiam membrorum, & ideo ex hoc semen accipitur.

Hæc D. Thom. Præuidens dicta Tostati. Imo ad hominem argumentatur cõtra hunc authorem. Dicit, quod illa pars diuisa (quæ à D. Tho. dicitur resoluta) est semen, quod accipit virtutẽ ab anima. Hoc est impossibile, nam verbi gratia, caruncula diuisa à carne, est in via corruptionis, siue iam corrupta per animæ absentiam: ergo incapax influxus animæ, ergo neutiquam semen, quod aut viuit in opinione multorũ, vel proxime tendit ad vitam. Quod autem, pars diuisa, & separata à carne sit mortua non eget probatione.

Relinquitur ergo, quod à parte non separantur, nisi illa quæ excrementa sunt tenuia, & crasa, vt in singulis coctionib⁹ ostendi potest; talia autẽ excrementa, vt omnino inutilia, & præter naturã nõ suscipiunt vitalem influxum ad generandũ simile animal; ergo neque hoc modo potest dici semẽ descendere à partibus. Præterea, quia talia excrementa exse nõ sunt media ordinata ad talẽ finẽ, & ita per suas conuenientes regiones pelluntur, neutiquã ad genitalia. Sordes, capilli, sudor, vrina, fęces, sputa, insensilis efluxus, vias habent proprias, per quas ab animæ gubernatione statim, vt aliena trudũtur: nisi dicas pillos viuere vegetaliter, sed hoc nil ad rem. Hic enim solũ probamus contra Tostatum, quod neq; diuisa particula, neque excremẽta particularia in quali possunt seminis naturã induere; hoc vltimũ ipse Tostatus fatetur, ergo non reperit, quæ materia sit seminis, reperisset, si atente legisset articulum D. Thom.

Præterea falsum est dicere, quod potentia generatiua nil sit aliud, quam seminis decisiua, & expulsiua; istæ autẽ potentiæ alterius ordinis sunt; inseruiuntque generatiuæ, tamen neutiquam ad illas pertinet actus generandi, sicut nec motiones locales alimenti ad membra nutrienda, neque alterationes illius sunt nutritiones, sed potius præuiæ ad nutritionem.

Nescit Tostatus, quomodo possit dici filius, qui procedit ab excremẽto patris. Hic incipit error, nam confundit omnia excrementa, & eiusdem putat esse rationis. Dico selectum excrementum, vt supra tetigi, & defecatum non esse excrementum proprie loquendo, sed abũdans; quod inde colligimus, quia magna animalia, aut nimis ouessa habent paucissimũ semen, quia hæc materia vt selecta, & familiaris commutatur in aliẽ substantiã. Atque sanguis optimus, ita perfectus humor est, vt proxime viuere possit, & sic animæ coniunctus, vt in illo manifestentur animi passiones, ergo capax existit, vt vitaliter dirigatur ab anima per aliquam virtutẽ impressam: ergo à fortiori semẽ, quod ex tali sanguine consurgit erit capax virtutis animæ, & ob id dixit D. Th. D.Thom. *in hoc, quod appellatur superfluum contineri aliquã virtutẽ ab anima decisam.* Et hæc est fundamentalis ratio, quare genitũ ex hac materia est veri filius generãtis, quia principalior pars generantis, scilicet anima imprimit virtutẽ generatiuã huic materię

 sicut

sicut imprimit sanguini vim quandam (licet diuersam à generatiua) per affectus animi vocatos. Videat nunc Tostatus, quis esset magis filius dicendus, illene qui procedit per puram virtutem. & directionem animæ; an alter, qui procedit per decisionem determinatã ab vna parte? vel cœcus hoc iudicauit. Quanto prior est anima patris mei quã eius manus, aut pes; nam per animam habet esse simpliciter, vt possit producere aliud totum, in manu habet producere nutritionem manus. Ergo sum filius patris mei, quia procedo ab illo per influxum animę in similitudinem naturæ vniuocæ. Non generatur filius ex carne arietina, vt dicit iste Autor, sed ex sanguine elaboratissimo ab anima directo, qui iam non est superfluum arietis, aut alterius alimenti, sed substãtia quædã elaboratior sub alia forma continens animæ rationalis gubernationem. Vnde corpus sacratissimũ Domini nostri Iesu Christi formatum vere fuit ex purissimis sãguinibus Immaculatæ Virginis, & re vera fuit verus Filius Matris, quia sanguis ille, vt tam propinquus animæ Virginis præstitit debitam materiam, vt formaretur corpus,

quid ! si aliquis diceret has partes substantiales directiones ab anima recipere

Non facile venio in illorum opinionẽ qui putant corpus Domini formatum ex portiuncula carnis Beatæ Virginis. Et ratio qua innititur nostra sentẽtia talis est, Quia Deus vtens causis secundis, illis vtitur, quæ magis proportionatæ sunt; nam non perturbat ordinem naturæ quem creauit, sine necessitate. Cum ergo sanguis ille purus, & virgineus magis proportionata esset materia ad formandum corpus, non est consonum, vt diuideret carnem à corpore Immaculatæ Virginis. Nam caro iam facta non est medium ex se ordinatum ad formandum corpus humanum; sed sanguis purus qui ex proprijs principijs dirigitur ad totum corpus, & habet in se partes tendentes ad totum, & ideo est, aut dicitur forma media, quæ in via tendit ad totum. At caro non ordinatur ex se ad causalitatẽ materialem totius, & ideo non est in motu, sed in termino sua forma particulari fruens: essetque miraculum formare corpus humanum ex vna portiuncula carnis, sicut fuit miraculum formari Euã de costa Adæ, ergo cum non sint multiplicanda miracula sine necessitate, melius sentimus cum D. Tho. formatum fuisse corpus Domini ex purissimis sanguinibus Beatæ Virginis.

Sed licet obiter, explicanda est ista particula sancti Thom. *Ex purissimis sanguinibus*. Qui sunt sanguines purissimi in numero plurali? Aliqui ad pauca respicientes intelligunt sanguinem, & semẽ, sed aberrant toto cœlo, neque intelligũt profunditatem Phylosophicam D. Th. Nam cum materia corporis Christi deberet esse elementalis sub forma perfecta sanguinis gubernati ab anima, consonum est, vt intelligat D. Thom. in numero plurali sanguines, correspondentes quatuor elementis, & simul toti corpori Beatæ Mariæ.

Vnde præter omnem rationem dicunt aliqui semen etiam subintelligi. Primò, quia omnes partes materiales, quæ desiderantur ab illis in semine, reperiuntur perfectissimo modo in sanguine. Atque adeo cũ in isto sit portio sanguinis melãcholici correspondens terræ, & portio sanguinis purissimi correspondens igni & similiter alia, quæ correspondet aeri, & alia quæ aquæ, & omnes ex proprio instituto, & ordine naturæ tendentes ad totum: firmiter asserendum est S. Thom. dixisse ex purissimis sanguinibus formatum Dominum, idest, ex purissimis portionibus sanguinis correspondentis quatuor humoribus, siue quatuor elementis.

Quod vero non possit intelligi semen, præter ea, quæ dicta sunt, pluribus posset ostendi, nisi tam longe ab instituto digrederemur; ergo recte diximus cõtra Tostatum proprie dici filium, qui fit ex aliqua materia efficienter mota per aliquam virtutem influxam ab anima parentum, & ita Beata Virgo vere sit Mater Domini, quia ex proprio, & purissi-

mo sanguine concurrente sua beatissima anima per virtutem influxam sanguini, Dei Mater facta est. Est autem alterum miraculum, quod non sumeret Deus media ordinata naturaliter vt dixi, quia naturaliter semper fit determinatum ex determinato.

Ioannis Gorrei explicatio refutatur.

IOannes Gorreus in Annotationibus ad lib. de Genitura, putat omnes partes corporis humani generare quandam albam substantiam (veluti sedimentum, quod apparet in vrinis), & remeare per venas, vsque ad testes.

Certe magnam similitudinem habet, hæc opinio cum sententia, quam destruximus; tamen quia iste Author interpres est Hippoc. Illius dicta examinanda sunt. Dicit quod omnia membra generant album, quasi sedimentum, & à testibus, & vasis spermaticis attractum, describitque vias, per quas descendit.

Mihi ita videtur noua hæc assertio, sicut præcedens, & supposito, quod loquitur iste Autor de coctionibus tertiæ regionis facile conuincitur; nam in illa regione solum apparet ros, gluten, cambium, & tenuissimus ille sanguis capillaris; erit ergo dicendum, rorem, aut gluten rursus recurrere ad venas, cum ita tenaciter retineantur à retentrice virtute, nec vllo modo expultrix ad expelendum insurgat; certe istę humiditates iam hærent, & via perfectionis tendunt ad nutriendam suam partem, & ad hunc finem asseruantur à natura, ita vt inde nũquam exeant, nisi aliquo incendio liquatæ, aut in sudore lethali, & diaphoretico.

Neque par ratio est sedimenti; hoc enim subterfugiens primam ventriculi coctionem, & aliquod beneficium suscepturus à venis exit in vrinam, sed ros, aut gluten propter dictas rationes retinentur à natura, & nullo modo subterfugiũt coctionem membrorum, non ergo ad istas angustias est deueniendum, vt Hippocratem interpretemur, & doceamus istum Authorem non intellexisse sententiã, quam explicare conatur, vt iam declaro.

Locus vnus pro omnibus, qui prædictis connexus, lucidam Hippocr. doctrinam manifestat in lib. de Genitura.

QVasi pro Lemmate statim in limine dicit Hippoc. *Lex omnia corroborat.* Quid hoc? grauiter quidem, & Philosophicè. Lex naturæ præscripta, & rerum ordo (quem Aristot. aliquando, dixit substantiam rerum) omnia firmat, terminat, & distinguit. Sed ad quid in 1. linea hæc verba proponit. *Lex omnia corroborat:* Quia ad rẽ difficilem explicandã ex lege, & ordine naturæ primordia sumit; vt si posteritas aliquid contrarium inuenerit nouum, innouare etiam debeat statuta naturæ. Magna res videat Arist. qui oculus naturæ solet appellari, videat qua lege corroboret natura hominis ortũ, ita absconditũ ab oculis Philosophantium. Audiamus Legislatorem (lego melius cum Cornario,) *Lex quidẽ omnia corroborat, verum genitura viri prouenit ab omni humido, quod in corpore existit, ita vt id quod robustissimum est secernatur; argumentum autem eius, quod robustissimum secernitur; hoc est, quod à Veneris vsu paucula re emissa imbeciles reddimur; habet autẽ se res hoc modo, &c.* Declarat vias à cerebro & à toto corpore per lumbos, & renes, vsque ad testes, & post aliquas lineas pagina 2. ait: *Atque hæc mihi sic demonstrata sunt, porro genituram dico à toto corpore secerni, & à solidis, & à mollibus partibus, & ab omni humido in toto corpore. Sunt autem humidi species quatuor, sanguis, bilis, aqua, & pituita; tot enim species congenitas homo in seipso habet, &c.*

Non legi in Hippoc. tam affirmantem doctrinam, & ita repetitam in ipso libri exor-

exordio, sed notanda illa verba, *atque hac mihi sic demonstrata sunt*, sibi demonstratum existimat, quod alij authores difficillimum putant. Sed qui ex Præceptoris doctrina in lib. 1. de Dieta intellexerit constitutionis, & conseruationis humanæ principia, assentiet sine dubio huius loci explicationi.

Sit ergo prima suppositio. Ex necessitate legis naturæ, quæ omnia corroborat dantur diuersæ partes in quolibet alimẽto, quæ correspõdeant partibus nutriendis.

Hæc probatur in nostra Philosophia Hippoc. text. 24. *Irrepunt autem in hominem partes partium, tota totorum temperationem habentia ignis, scilicet & aqua, &c.* Latitant ergo in alimento vena, arteria, caro, neruus, &c. Non dico in materia prima, quod cuilibet patere potest, sed latitant in partibus correspondentibus, sibi ipsis. Obsecro vt percipias mentem Hippoc. qui nihil philosophatur per omnes suos libros, nisi supponendo istam partium diuersitatem, quem secutus est, Arist. 4. Metheor. Et per omnes libros de animalium generatione. At alimenta hominis non solum habent partes diuersas in quantum mixta sunt, sed in quantum talia mixta, quia magis proportionata, & correspondentia sunt humanis mẽbris nutriendis.

Hippoc.

Secundo suppono ex Hippoc. Partes correspondentes nobis, quæ latitant in alimentis rursus, accedere ad maiorem similitudinem per actiones insignes ventriculi, & hepatis, & omnium venarum, & arteriarum; in his enim mutationibus denudatur alimentum à partibus dissimilibus, & generantur quædam substantiæ humidæ, & liquidæ, quæ per vasa fluentes non solum altrices partes portant, sad iam ad talem statum accedunt, vt ab anima, quodammodo gubernentur. Si ergo in pane, & carne, & alijs alimentis profitemur cum Hippoc. abscondi partes correspondentes nostris membris, quid dicemus quando noua mixtio elucet in sanguine generato ex ipsis? sine dubio asserendum omnes partes nostri corporis esse in sanguine, tanquam in potentia magis proxima, & ita nil mirum quod Aristot. & cum illo omnis schola Philosophorum asserat, sanguinem tantummodo esse necessarium ad generationem ex parte mulieris, de quo puncto alibi.

His suppositis apertus est textus, *Semen deciditur ab omni humido, quod est in corpore*, quid est omne humidum? Respondeat Hippocr. *Sunt autem species humidi quatuor, sanguis, bilis, aqua, pituita*, idest massa sanguinaria. Videsne quid senserit Hippoc. de seminis materia? fit quidem ex residuo alimenti, in quo omnes partes generandæ potentialiter latitant, & sicut anima in iecore generatis quatuor humidis proximiores partes extraxit, ita eadem anima in locis spermaticis per actionem vitalem nouum modum exercet mixtionis, ad cuius vltimam dispositionem mirabilis virtus formatrix, quæ semi factas [liceat sic loqui claritatis gratia] nostras partes proximius insinuatas distinguat, & exornet, atque si physicè loquamur non erat in sanguine postrema, siue proxima priuatio totius hominis, vsque dum excoctus, & elaboratus sanguis vltimum animæ suscepit influxum actiuũ, vnde etiam materia determinata fit ad generationem. Hæc est genuina Hippoc. sententia suis principijs consona. Colligamus demonstrationem quã ipse vocat; aliquę partes seminis debent transmutari immediate in partes geniti: ergo seruata lege naturæ materia seminis debuit habere antecedenter similes partes, tales autem sunt in quatuor humidis nostri corporis, ergo seminis materia debet decidi ab omnibus humidis, idest à massa sanguinea.

Sed dubitas, quomodo constabit hanc esse legem naturæ? Respondetur, quia natura præcipue in rebus perfectis generandis nõ transit de extremo ad extremum, sed per formas medias ad vltimas peruenit. Vide media à termino à quo, vsque ad terminum ad quem. Elementa, mixta, alimen-

alimenta, masticata, chilificata, sanguificata, in genituram versa, in embrionē, in animal. Hæc lex naturæ imposita à prima, & infinita causa, vt his terminis se coerceat, neque alium modum respiciat, & summum Architectum veneretur, qui sibi relinquit maiestatem potentiæ, non his legibus compresam, sed liberam, & infinitam, vt non per formas medias (si voluerit) sed omni posthabita materiæ dispositione perfectos effectus producat.

Vnde si Hippocrates. 1. de Dieta dixit, semen mulieris iuuare semen viri, sicut carbo alium carbonem, vt ignis augeatur, & omnes Medici cum illo teneant, semen mulieris actiuè concurrere. Non tamen possumus demonstrare esse simpliciter necessariam materiam seminalem; aliud enim est efficaci ratione aliquid probare, aliud vero demōstrare. Sed de hoc puncto aliquando disseremus, explicantes, quid suppleuerit Spiritus Sanctus ex parte Virginis.

Igitur à posteriori ex his, quæ videmus, & à priori ex ordinatione causarū, hæc est lex, quæ omnia corroborat.

Sed interrogas. Nam secundum dicta semen deciditur ab omni humido, sed non ab omnibus corporis partibus molibus, & solidis, vt hoc loco docet Hippocrat.

Recte dubitas. Sed debes hæc omnia coniungere his quæ supra explicuimus: diximus nullam esse partem, quæ fluentes istos humores, siue massan sanguinariam aliquo modo non alteret: secundo, quod sicut in mulieribus ab omnibus corporis partibus ex sanguine etiam in capillaribus existente aliquid ad menstruationem descendit, ita paulatim aliquid ex omnibus venis deriuatur ad testes. Est expressa sententia Auicenæ lib. 3. fen. 20. cap. 3. *Sperma est superfluitas digestionis quartæ, quæ fit cum dispartitur cibus in membris resudando à venis tertia digestione iam expleta: & est de summa humiditatis proxima coagulationi, ex qua nutriuntur membra dura, vtpote venæ, & arteriæ, & similia, &c.* Explicatio est aperta, quod intelligat de contentis in capillaribus cum aliqua sigillatione membrorum. *Auic.*


Sed quamuis hanc tam apertam veritatem non admitas, necessario debes concedere Hippocr. ipsum explicasse, ita dilucide, vt miremur, quomodo alij authores non ponderauerint proposita Hippoc. verba: *Prouenit semen ab omni humido, &c.*

Sed videamus an aliqui Philosophi nostrum Hippoc. tanquam Magistrum sequantur.

Quam fuerit à magnis Viris recepta Hippocrat. prædicta doctrina.

ARistotelem primum proponam, quem Neotherici statim afferūt, vt Ducem Hippoc. contrarium, quod in responsionibus ad prima argumenta constabit. Sed nunc confirmare volumus Hippocrat. veritatem aliorum sententijs: quid est quod Aristot. plures quæstiones soluit adhibita hac doctrina Hippoc. vt patet in Problemat. sectione 4. q. 22. quare inquit, *Qui coeunt resolui, atque langueri magna ex parte solent?* Respondet, *An quod semen omni ex parte corporis secretio est?* Et eadem sectione quæst. 3. & cum omnia argumenta quibus vtitur in lib. citat. de Generat. animaliū. Nullo modo probet contra istum locum de Genitura quem explicamus, sed solum contra asserentes particulas diuidi ab omnibus membris, qui erat modus dicendi Tostati: audeo afirmare non contra Hippocr. (quem nec nominat) sed contra alios probare.

Auicena nunquam discedit ab Hippoc. nam lib. 3. fen. 20. tractat. 1. cap. 3. Sic ait. *Et Hippoc. quidem dixit in suis intentionibus, quod plurimum materiei spermatis est in cerebro, & descendit ex duabus venis, quæ sunt post amba s aures, & propter* *Auic.*



hoc abscindit flebotomia ambarum generationem, & facit incurrere sterilitatem, & est sanguis eius leuis, & continuatæ sunt nuchæ, vt non elongentur à cerebro, & quæ ei assimillantur spatio longo, quare alteratur complexio illius sanguinis, & conuertetur: imo perueniũt ad nucham, deinde ad renes, postea ad venas, quæ veniunt ad testiculos. Et Galenus quidem non scribit, an faciat incurrere incissio harum duarum venarum sterilitatem an non. Mihi videtur, quod nõ oportet, quod sit sperma ex cerebro solo, quãuis eius fermentum ex cerebro sit. Et est verum quod dixit Hippoc. de duabus venis Imo oportet vt sit ei ex omni membro principali fons, & vt sit ex alijs mẽbris resudatio etiã ad istas radices, & propter istud est assimillatio, & propter hac generatur ex mẽbro diminuto membrum diminutum, &c.

Notanda aliqua sunt in hac sententia Auicen. Primò, quod resudationem ex membris omnibus ad radices testium affirmat. Secundò, quod præcipuos fontes ad seminis substantiam generandam in omnibus membris principalibus adesse cognoscit. Tertiò, quod fermentum seminis à cerebro oriri animaduertit. Omnia Hippocratica sunt.

Pro primo intellige, illam resudationem membrorum non esse de illorum viuenti substantia: hoc enim erat incidere in opinionem Tostati, & aliorũ quos supra reprehendimus. Sed per membrorum resudationem intelligit Auic. aliquid de prima humiditate, est vero prima humiditas in doctrina Auic. sanguis venarum capillarium, qui iam incipit mutari à membris, & recipit ipsorum mẽbrorum qualitates, nam sanguis qui per alias venas fluit, nõdum sigillationẽ à membro particulari sortitur.

Pro secundo, notanda est illa particula *(omnium membrorum principalium)* an nõ diceret trium membrorum principaliũ, aut quatuor, enumerans testes? Equidem intellexit non solum partes, quæ habent germina, vt dicebat Hippoc. 6. Eppidemior, quales sunt cerebrum, quod germinat neruos, cor arterias, hepar venas, sed etiam membra conspicua, & publicæ operationis vt pulmo, ventriculus, lien, renes, &c. Quasi diceret materia seminis ministratur ab omnibus membris magnis, & insignibus, & ab alijs etiam aliquid resudat.

Circa tertium animaduerto, quod licet totum concurrat ad seminis materiam, tamen ex doctrina Hippoc. & Auicen. cerebrum Primatum obtinet, idem sensit Aristot. multis in locis in Problematib. Sed quid est *ex cerebro fermentum seminis esse*? Existimo Auic. voluisse ex cerebro deriuari præcipuam partẽ fermenti, ex alijs partibus massam seminis, non quod etiam cerebrum nõ ministret massam, seu materiam, sed quia præcipua pars ab illo descendit, quæ totam seminis substantiam fermentat, & format, & quodam feruore actuat, & spumescere facit, non aliter ac fermentum quo panes conficiuntur. Sed quare hoc fermentum non à corde, sed à cerebro? Statim declarabo.

Hunc à toto concursum cum Hippoc. Stobæus profitetur lib. 1. Eclog. c. de similitud. natorũ ad parentes, fol. 87. his verbis Latinè redditis. Qua vero de causa parentibus, vel cognatis similes nascantur infantes, rationem reddam. Cum erumpente purissimo sanguine ortus prolem componit, pariter ex totius corporis membris natura quædam vi diuina influit, vt in hominis ortu. Nec aliter in muliere contingere fit verisimile; ergo cum viri fluxio præstantior fuerit, & intacta manserit, patri similis infans nascitur, cum è contra se res habuerit, matri. Quod si etiam membrum aliquod præstantius fuerit, illud quoque exprimitur. Interdum etiam maiorum alicuius refert effigiem puer, cum ille conceptus horæ fuerit præfectus. *Stobæus.*

Hæc etiam fuit sententia Stoicorum, vt refert Plutarch. lib. 5. de Placit. cap. 10. *Stoici*, inquit *à toto corpore, & anima ferri semina sentiunt, & similitudines ex eisdem generibus efformari, tum formis, tum caracteribus; sicut pictor à similibus* *Plutarch. Stoici.*

Hippoc.

coloribus imaginem eius quem aspicit, efformat. Emitere autem, & fœminã semen censent, & siquidem præualuerit muliebre semen id quod nascitur, matri simile euadere; si vero virile, viro.

Inter Neothericos istam prædictam antiquitatem sequitur Fernelius, nec non & Argenterius saltim quantum attinet ad descensum humoris ab omnibus partibus corporis, similiter, & Adrianus Alemanus, & alij.

Supposito quod materia seminis est à toto. An recipiat aliquas impressiones à singulis partibus?

HIC Punctus poterat controuerti circa sententiam Tostati. Et qui nõ intelligunt Hippoc. putant semen habere sigillationẽ, seu formalem similitudinem ab vnaquaque parte corporis. Hoc explicandum.

Existimo certum ex dictis, sanguinem dicere viam ad formam lactis, & seminis, neque hæc duo in membris omnibus generari, sed in quibusdam determinatis, vt statim dicam. Sed nunc quæritur, supposito, quod partes non spermaticant (vt vtamur verbo Abulensis, quãuis barbaro) an communicent aliquam sigillationem accidentalem sanguini, siquidem non communicant formam propriã partis, & ratio apparet efficax. Nã cum semen dicat rationem seminalem respectu speciei, videtur, quod quælibet ratio particularis, & quælibet sigillatio valeat impedire finem intentum potentiæ generatiuæ, quia hæc respicit per se naturam, vt ex eleganti doctrina D. Th. deduximus in 1. tom.

Sed vt clarius hoc intelligatur notandum est cum aliqua limitatione posse intelligi sententiam prædictam. Partes igitur nostri corporis habent tria satis diuersa, temperiem, aliquam compositionem, & formam substantialem. Dixi aliquam compositionem, quia etiam partes similares certa mensura quantitatis, imo, & figuræ dotantur, non vt similares, sed vt in nostro corpore. Organicæ vero multiplici cõpositione congaudẽt, sed hoc non attinet ad præsentem considerationem. Dico, quod partes possunt communicare sanguini, & semini omnes qualitates primas, & reliquas omnes (quæ sunt communicabiles cum suis modis) morbosas, venenosas, Gallicas occultas, &c. Sub morbosis intellige omnes intemperies simplices, aut cũ affluxu Podagricas, Epilepticas, Maniacas, Melãcholicas, Nephriticas, & alias plures: quia sanguis qui per totum corpus oberrat, & per omnes partes destribuitur, potest recipere qualitates similes à membris, & membra possunt agere, ergo effectus sequi debet: agent autem, aut in sibi vicinum sanguinem, aut in alium per partium continuitatem; seruauit ergo sanguis istas qualitates, atque quamuis in semen conuertatur, manebunt aliæ similes in genito, quia non repugnant formæ inducendæ, ergo in semine, & fœtu omnes istæ impressiones poterunt apparere à singulis partibus productæ, quia omnes agunt in sanguinem. b

Secundò. Nostra membra habent vnã formam substantialem. An forsan hanc communicare poterant sanguini, qui nõ fuerit ex toto assimilatus ipsis membris? neutiquam. Ratio huius iam supra tacta, quia producere totũ, est genuinum opus totius per formam propriam substantialem, tanquam *quo*. Ergo impertinẽs est, & contra ordinem naturæ ponere potentiam generatiuam particularem in vnaquaque parte, vt generet aliam distinctam à se. Nam talis potentia fluit ab anima, vt dictum est, & ad illam pertinet influere ad productionem totius in quo continentur omnes partes, & ob id dispositum est à prima causa, vt partes solum generarent, & conseruarent se ipsas, nullo modo alias distinctas, & similes. Orbatæ quidem sunt tali potentia. Quare? Quia potentia ad totum simi-

simile in specie non debet residere in parte, quæ respicit solum suam indiuidualitatem; si enim est vna potentia formatiua omnium, impertinens est ponere particulares formatiuas, quæ se ad inuicē mille modis impediāt. Vnus pictor depingit totam imaginem, ita vna formatiua omnes partes corporis delineat.

Præterea organicatio partium non potest communicari sanguini, aut semini, quia neque figura, neque quantitas, neque numerus, neque connexio sunt actiua. Ergo organica pars, vt talis est, nō valet imprimere aliquo modo suam similitudinem: nō per actiuam qualitatē, vt per se patet, non per impressionem motus localis, vt sigillum mouet ceram per impetum localem. Nam sanguis liquidus cum sit, nō est capax talis receptionis, neque circumdat membra per omnes partes, neque accedit ibi aliquis impetus, aut motus localis, imprimens figuram, ergo nulla est via per quam pars organica hoc modo sigillet sanguinem; relinquiturque manifestum, solum posse inducere temperiem cum alijs qualitatibus secundis.

Neque putet aliquis imperfectionem aliquam esse naturæ, quod partes nō generent alias, sibi similes. Neutiquam tale dicendum est. Sed pulcher ordo naturæ, hoc modo extollitur, nam quando aliqua res perfecta habet certam viam generationis, per quam seruetur species, nunquam quærit aliam: ita Mulli sunt steriles, quia ex duarum specierum mixtione emergunt; non ergo est necessarium, vt generent. Similiter vnaquæque pars nostri corporis sterilis est. Quare? quia generato toto, generantur & partes; ergo frustra ponerentur potentiæ partiales, siquidem sufficit potentia totalis.

Dixi hunc ordinem seruari in rebus perfectis, quia quando animalcula sunt imperfecta, & (vt sic loquar] facilè parabilia, multis modis generantur, & ex putridine, & vniuoca actione à simili.

(?.)

Quod anima per partes influens principales, non solum principiū materiale (vt reliquæ omnes) & aliquam temperiem, sed totius effectiuum principium instrumentale conferat.

SI Ab omni humido, quod est in corpore separatur materia seminis, à quibusnam partibus effectiuum generationis principium descendit?

Dico descendere ab anima per partes principaliores, cerebrum, cor, hepar, & testes. Et ratio est, quia hæc virtus generatiua, cum debuerit esse instrumentū separatum, oportuit, vt ab anima communicaretur alicui substantiæ subtili, & mobili, & vbique penetranti, & quoad fieri potest propinquæ ipsi animæ, talis est spiritus animalis; hic certe generatur in cerebro ex vitali cordifico, quia ex meliore sanguine hepatis eleuatur velut aliqui volunt ex spiritu naturali. Atque cum tam Æthereus existat, vt facile præ tenuitate dissipetur, prouidit Autor naturæ, vt nerui delatorij semper calefierent à vitali cordifico per arteriolas comitantes, vsque ad testes, vt illa harmonia trium spirituum à debito tono nunquam deficiat, & in hoc consistit virilitas communicata à Principibus membris.

Atque sicut corpora cœlestia continent eminenter corporales perfectiones inferiorum corporum, ita in mundo minori partes Principes continent eminentiori modo quidquid virtutis est ad generandas, & seruandas alias partes per influxum animæ in tali spiritu commorantem.

Sed (mirabilis natura) cùm isto spiritu indigeāt partes ad suas actiones sensitiuas internas, & externas, & ad motiuas, diuinitus prouisum est, vt esset aliquod promptuariū in quo magna copia istius spiritus gignitiui seruaretur ad speciem con-

conseruandam. Talis locus est in testibus, vbi multis reuolutionibus nerbulis, arterijs, & venis complicatis detentus spiritus nō exhalat, sed potius ab anima ad perfectiorem deducitur statum.

Iste spiritus fermentum seminis vocatur ab Auicen. & meritò, quia materiam à toto descendentem ingreditur, & quasi forma actuat, & vt efficiens distinguit suo tempore varias partes correspondentes toti animali.

Neque existimandum est à solo corde, hoc effectiuum principium immediate procedere, quamuis semper ab illo foueatur. Sed dico, quod illa vltima ratio seminis perfectiua in ordine ad totū celebratur in cerebro mixtione omniū spirituum, coctione magis quieta, & vt sic explicem, tepore quodam temperatissimo; in corde enim feruent omnia, & animus ignescit ob nimiam calliditatem, & motum. At in cerebro (sedes cum sit potentiarum rectricum) non feruent spiritus, sed incredibili moderatione simul cum subtilitate dotantur, quod est scitu dignissimum, quo pacto, cum tanta subtilitate temperatio conueniat. Fit autem ista elaboratio in præsentia partis imaginatiuæ, & appetitiuæ, quæ licet non influant in actum essentialem coctionis, tamen non est dubitandum substantiam huiusmodi spiritus ab appetitu aliquid accipere præcedēte cognoscente facultate; siquidem videmus imaginationes in coitu ita præualere, vt fetus exeat similis imagini conceptæ. Et licet spiritus quando formatur in cerebro non suscipiat in actu secundo aliquid ab imaginante, & appetente potentia, tamen initiatiue disponitur, vt postea subditus eisdem potentijs exprimat illarum figuras, & ita à priori, & à posteriori colligimus fermentum, & actiuam illam formatricem ab anima in cerebro, huic spiritui implantari. Accipere vero nomen gignitiui (in actu exercito) in testibus anima rursus nouiter influente in eius decisione.

Hæc virtus vniuersalis totius per hæc membra demandata à Conciliatore, & alijs authoribus appellatur actiua virtus à toto, & ita dicunt decidi semen ab omnibus partibus etiam minutissimis, quia hæc est præeminentia partium principalium, vt hic spiritus illarum, & relinquarum omnium portet virtutem.

Ex dictis bene constat Hippocr. duo dixisse pro duobus principijs, quæ repetiuntur in semine; nam pro principio materiali dixit ab omni humido, quod est in corpore; pro principio effectiuo dante formam, dixit libro de Genitur. *Quod si qui sectionem, iuxta aures perpesi fuerint, concubant quidem, & emittunt semen sed paucum, inbecillum, & infœcūdum; siquidem per multum seminis à capite in spinæ medulam iuxta aures defertur, &c.* Nota illud verbum *infœcundum*, bene enim poterit ex pauco semine paruum animal generari, tamen si infœcundum semen sit, neque paruum, neque magnū, quia deficit efficiens, seu forma, quæ reddit fœcundum. Ergo Hippoc. effectiuū principium clare nos docuit.

Idem sensit Arist. 4. section. Problem. q. 18. *Quare inquit quibus palpebræ fluunt sunt luxuriosi*, & eadē sectione, q. 2. & 3. & section. 5. q. 32. Sed aliqua dubia se offerunt antequam ad solutionem argumentorum deueniamus.

Dubitabis, nam tot temperies insinuatæ sunt, vt vix percipi possit, quo pacto se habeant in semine, quem ordinem seruent, an se impediant, aut sint incompossibiles? nam dictum est addesse in semine partes correspondentes elementis, & temperiei illorum, & partes correspondentes membris, & temperiei particulari ipsorum, & rursus à principalioribus superaddi aliam attemperationem, & vltimo virtutem formatiuam, quod videtur inconueniens.

Dico, nil esse noui in hac re. siquidem hunc ordinem seruat natura in omnibus rebus, vt supra tactum est. Nam cum materia elementorum tam longe distet à dispositione debita animæ rationali, opor-

oportuit, vt tot mutationibus subageretur; neque putet aliquis, esse diuersas têperies, sed primam illam rudem, vlterius ac vlterius excultam, & eleuatam. Interroga Indos illos in auri, aut argenti profundissimis minis laborantes, an cognoscant aurum, quo nunc exornantur Regiæ vestes. Dic illis esse idem aurũ, quod extrahebant tantis angustijs, & solicitudinibus, re vera non credent, quia aurum primis generationis rudimentis erat extraneis obscuratum, postquam vero defecatum est & purificatum diuersam faciem demonstrat tamen est idem aurũ. Similiter dicendum in præsenti, elementa in suo origine, quamuis pulchra respectu vniuersi, tamen respectu animæ, quã debent suscipere, sunt maximè imperfecta, & remotissima: sed defecantur vsque dum amittant suas intensiones, & modos, quod nisi sub alijs, & alijs formis consequi non poterant. Quis cognoscit calorẽ ignis in animali? nullus profectò, ita vt dicant multi esse cœlestem; quam opinionem, aut improbatam, aut explicatam inuenies in Philosophia nostra Hippoc. Eodem modo dicẽdum de alijs qualitatibus, & de modis substantiæ elementorum; itaque non sunt in semine, aut in viuente mixto consideranda plura, quam illa, quæ necessaria sunt ad finẽ consequendum, atque adeo illa temperies prima à diuersis agentibus agitata potuit parare domicilium virtutis formatiuæ, & tandem animæ. Nõ quidem sibi contradicunt, quia adueniens noua dispositio, licet corrumpat antiquam conditionem, perficit ad meliorem statum.

Quod Hippocrat. non solum autoritate Magisterij, sed ratione philosophica probat semen à toto descendere.

Rationes pro sent. Hippoc. SVfficiebat nobis Hippoc. dixit. Non ergo est disputandum, sed standum illius verbis, vt dicebat Auic. quia licet non sit iurandum in aliorum verba, tamen Hippoc. conuincit, vt primus omnium, sed si non iuramento, cõuincamur ratione nostri textus. Inquit. *Incipit morbus Sacer; velut etiam alij per genus, aut cognationem; si enim ex pituitoso pituitosus, si ex bilioso biliosus generatur, & ex tabido tabidus, & ex lienoso lienosus, quid prohibet, vt eius pater, & mater hoc morbo correpti fuerint, etiam posterorum, aut nepotum aliquis corripiatur? semen enim genitale ab omnibus corporis partibus procedit, à sanis sanum, à morbosis morbosum.*

Conuincor hoc argumento Hippoc. neque eius inuenio solutionẽ. Atque vt vim introspicias, aduerte, quædam contineri vniuersalia, & alia particularia, illa quæ respiciunt totum absolute, hæc quæ indicant partes particulares (tam breuiter loquitur Hippoc. vt nisi verba singula comminuamus, & scrutemur apices, nil fructus excipiemus] Rẽ attingo. Pituitosus generat pituitosum, & biliosus biliosum, ergo semen deciditur ab omnibus partibus. Hanc consequẽtiam existimo euidentem, nam temperamentum totale, quod cõsurgit ex coalternatione omnium partium, denominationẽ sumit à pluribus partibus vincentibus alias. Quare Petrus est Pituitosus? Quia plures partes habet frigidas, & humidas, quæ vincunt calidas, & siccas. Quare è contra Paulus est calidus, & siccus à prædominio, siue biliosus? Quia plura membra habet calida, & sicca, quæ vincant sufficienter alia, ita vt denominatio ab excedenti sumatur. Hæc est lex temperamenti ex coalternatione partiũ, quæ sequitur aliam, quam natura sanciuit in mixtis, & elementis, vt illud mixtum dicatur calidum, in quo caliditas prædominat, & reliquas partes afficit.

Nunc vide argumentum Hippoc. Pituitosus generat pituitosum, ergo seminis materia ab omnibus illius partibus, vel à pluribus descendit, quæ sufficiant præbere talem denominationem, aliter non esset possibile generare sibi simile, quia totum generãs producit aliud totũ simile.

simile. Quid est totum pituitosum? An omnes partes erũt pituitosæ? Neutiquã, sed plures, aut illæ quæ propter suũ principatum sufficiant ad denominandũ, sic enim simile generat sibi simile. Hoc argumentum procedit ex vi temperamẽti coalternationis.

Sed notandum, quod ratio Hippoc. non solum conuincit modo prædicto, sed etiam quamuis partes pituitosæ, aut biliosæ numerum non excedant, siquidẽ potest esse talis intemperies aliquarum partium publicarum, & insignium, vt totum denominẽt, verbi gratia, cerebrum maximè pituitosum, vẽtriculus frigidus, & humidus magnam pituitæ molem cõgregans, sine dubio, quamuis multæ partes sint biliosæ, tanta potest esse copia pituitæ, vt ad hanc temperiem corpus inclinet, cùm reliquæ partes hoc humore perfusse amittant intensionem caloris, ita vt frequenter in morbos pituitosos deueniant, non in biliosos. Ergo ratio Hipp. quocunque modo cõcludit ex hac causali; pituitosus generat pituitosum.

Rursus concludit argumentum, quoad secundam partem, loquendo de singulis partibus hoc pacto. Omnes partes communicant quoad possunt suam temperiẽ humoribus existentibus in corpore, vt supra probatum est: ergo ex necessitate causarum agentium, & patientium semẽ factum ex tali humido debet portare similes intemperies, aut temperies, ita vt sanus homo generet sanum, lienosus lienosum, &c. & sic discurrendum per omnes species sanitatis, aut morborum; & per omnia membra intemperata nostri corporis: quodsi contra istam sententiã Hipp. sentis, teneris dicere, nullum esse morbum hæreditarium, quod est contra sensum, & experientiam.

Sed vide profunditatem Hipp. Agit de morbis hæreditarijs, qui cõsistunt in aliqua intemperie simplici, vel cum à fluxu cõmunicabili; tacet autem, aut nihil loquitur de mancis, aut mutilatis, quia in his morbis in compositione diuersa est ratio; vt in solutione argumentorum videbimus. Sed tantum arguit efficaciter de positiua intemperie, vel temperie generatis, aut positiua intemperie geniti. Quasi dicat morbus hereditatur in quacunque parte sit, communicata qualitate humoris, ex quo fit semẽ: hoc autẽ esset impossibile, nisi materia seminis decideretur affecta, & sigillata ab intẽperie partis. Quis enim ita stolidus est, vt dicat, quòd Podagricus generat Podagricum, aut Epilepticus Epilepticum, &c. quia sanum iecur, aut cerebrum sanum, aut testes similiter sani sigillant semen. Nõne vides, quòd solæ partes, quæ ægrotabant in parente, ægrotæ nascuntur in filio? Ergo illa intemperies communicata fuit à partibus morbosis: si enim pedes generarẽtur robusti, & partes transmittentes sibi assimilarent alimentum, & excrementa per consuetas expellerẽt regiones, non nasceretur filius Podagricus, Epilepticus, aut Lienosus: ergo talis intemperies communicata fuit semini à partibus ægrotis, neutiquam à sanis. Vincor ab Hippoc. & gaudeo esse victum à tanto Magistro. Fateor morbos hæreditarios partiales non posse aliunde prouenire. Forsan alius aliter intelliget, sed conueniat mecũ ad disputandum, confidimus, Deo fauente, omnes obiectiones euassuros.

Argumẽta Arist. & aliorum in principio huius disputationis dissoluuntur.

SEd notandum prius plura ex argumẽtis nõ esse contra Hipp. sed aduersus illos, qui dicebant ab vnaquaque parte decidi particulam: quam sententiã Tostati impugnatam reliquimus.

Ad primũ ergo dico, maiorẽ esse difficultatẽ declarare, quare omnes filij non sint similes omnino parentibus? Torquemur in inuenienda causa similitudinis, & magis laboriosum est inuestigare causas dissimilitudinis, quia certè naturale est vnũquodque agẽs simile sibi generare, & contrariũ videtur præter naturã: nã quãuis similitudo in natura specifica, est quæ primò intenditur, tamen negandũ nõ est Ad 1.

indi-

indiuiduum, vt indiuiduum est simile, nõ intendere.

Sed respondeo ad formam argumenti, si forsan militat contra Hypp. & dico, quòd ab omnibus partibus concurrit humidum, vt fiat semen, non tamen est necessarium, vt diriuetur à capillis, sufficit vt diriuetur à partibus generantibus capillos; & sic nil mirum, quòd filij exeant similes in barba, & capillis. Idẽ dico de voce, clarum est, nihil humoris decidi à voce, sed à partibus producẽtibus vocẽ. Si enim partes pectoris, & asperę arterię, & quæ in gutture, & ore consistunt, possunt ad hanc, vel illam vocem cõducere, similitudo in istis partibus similem vocẽ in genito producet: ergo similis vox à similibus organis tali temperie, & tali cõpositione dispositis formabitur.

Ad 2. Secundum argumentum mouet risum, sicut & primum. Audi: Petrus antequam habeat barbam, aut canitiem, generat filium, qui postea habet barbã, & canitiem: ergo semen deciditur à partibus, quæ non sunt.

Dicimus, quòd nõ deciditur aliquid à capillis, quia illorum similitudo saluari potest in partibus, quæ illos debent generare. Sed Aristot. non aduertit quòd illæ partes, quæ non generantur in instanti generationis, vt dentes, & barba florescunt postea debito tempore à principio generationis, ibi derelicto, sicut in arbore flores, non quidem arbor florescit statim, sed postea exornatur. Itaque partes postremo apparentes latitabant in potentia præcedentium.

Ad 3. Ad tertiũ similiter dico, quòd auus, aut proauus non ministrãt suam substantiã numeralẽ nepoti, sed similem tẽperiem, qua vtitur formatiua. Contingit tamen aliquãdo, quod illa virtus seminalis occultetur in filio, & postea appareat in nepote, vt dicit Arist. quòd Helides habẽs rem cũ AEthiope, peperit filiã albã, sed filia cõiuncta cãdido, peperit nigrũ. Multa exẽpla possunt explicare rationẽ supradictam, quia videmus aliqua agẽtia habere in virtute, id quod postea demõstrãt in actu, remoto impedimento. Venenũ ad tẽpus nõ statim damnũ inducit, quia impeditur, & detinetur, sicut lapis impeditur, ne tendat ad centrũ: cõsumptis ergo illis partibus, quæ impediunt venenũ, apparet mortifera qualitas. Rosa, & fructus non apparent in hyeme, vbi nã sunt? In suis causis profecto latitant virtualiter: ergo causæ seminales aliquãdo detinentur à potẽtiori, quo cõsumpto emergunt post multũ tẽporis spatiũ. Helides ex Aethiope habuit filios albos, impedita specie nigredinis à potentiori seminis virtute: at latens virtus Aethiopica minorem resistentiam inuenit in semine filiæ, & germinauit AEthiopem.

Miror in quarto argumento debilitatẽ rationis, potius inseruit contrariæ opinioni; nã affirmandũ est, semen plantarũ virtute fieri totius plantæ, sed quæ sunt in plantis obscura, pluribus modis manifestantur in animalibus. Habent plantæ aliquid, quod correspõdeat cordi, & vias quasi venas, quibus humor per totũ illarum corpus expanditur, & ad semen producendum humor concurrit à toto, sed paulatim, & ocultè. Atque si adest terræ pinguedo, & celestis irroratio semen paruulæ plantæ solet producere ingentẽ arborẽ pluribus ramis condecoratã: similiter videbis filiũ grandẽ ex patre paruulo, quia non attenditur in seminibus moles, sed vis, & efficacia, quæ procedit ab anima, quæ, supposita debita quantitate materiæ extendit, vel coarctat genitum. Ad 4.

Ad quintum sæpius dictum est, generatiuam potentiam respicere simile in specie, quamuis soleat limitari ad quasdam conditiones indiuiduales propter rationes particulares modificantes. Descẽdit autem humidum, vt docuit Hippoc. ab omni parte similari, & ab organicis, vt compositis ex similaribus, quia organum non alterat humidum alimentitium in quantum organum præcisè, sed in quantũ similaribus constituitur, & ita alterat per qualitates actiuas similarium, & consequenter fœtus exit similis, quoad organa. Ad 5.

Ad sextum sciendum est, quod ex quacunque parte seminis cum debita quantitate Ad 6.

titate, itaque quantum attinet ad numerum filiorum, non solum duo, sed plures solent nasci, quia quantitas multa seminis reperitur, & sanguinis menstrui pro numerosa prole, quia in parte adæquata, & sufficienti seminis sunt materiales dispositiones ad totum, & suas partes siquidem sunt partes correspondentes omnibus, quibus debet genitum dotari. Tamē natura melioris finis auida disponit, & separat partes seminis, ita vt fœtus exeat cum debita quantitate, & perfectione, quod si contingat sufficientem esse materiam ad plures, id non renuit, atque secundum victoriam seminum cōtingit, vt mas, aut fœmina generetur [de quo puncto multa in Hipp. Philosophia] neq; negamus simul signa patris, & matris aliquando in filio apparere, nam & hoc modo plures vidimus, inter quos hermaphroditi possunt numerari.

Ad 7. Ad septimum pro isto puncto videndus est noster labor in Hippoc. Philosophia fol. 56. & 57. sed specialiter, quod fœmina sola posit producere intra se tractatur text. 73. qui incipit: *Neque solum virum hoc facere oportet, sed mulierem.*

Ad 8. Octauum nihil probat, nam si genitū dissimile producitur in specie id contingit, vel ob miscellā duarum specierum, vt cum generatur Mulus, qui nec maternam, nec paternam sequitur speciem, sed confussam, itaque nulla specie vincēte generatur, vel monstruosis, & errantibus causis. Sic certe in Africa varius, & confusus coitus diuersorum animalium noua, & varia, atque dissimilia animalia demonstrat, promiscue seminibus contendentibus inter se, & nullo omnino superante.

Ad 9. Planta cum extensā, & diuisibilem habeat animam, si ramulus eius inseratur, ac seminetur, plantam producit, quia habet totam animam, siue virtutem totius animæ, vt clarius loquamur.

Ad 10. Hoc decimo argumento putant aliqui probare Arist. contra Hippocrat. sed non aduertūt nil tale reperiri in eius lib. scilicet quod breui illo tempore coitus descendat à longinquis partibus seminalis substantia, descenderat quidem, & vt supra diximus: semper descēdit materia, vt parata sit, & vltime excocta in testibus.

Est tamen maxime notandum, quod Hippoc. docuit tempore, scilicet coitus totum animal intra se agitari, & sanguinem calefieri, quod hoc equidem tunc temporis vniuersum humidum corporis mouetur in quacumque parte fuerit, maiorque copia spiritus vitalis per arterias, & animalis per neruos ad vasa spermatica, & testes concurrit; nam & appetitus animalis vim habet localiter mouendi ad tales partes, non solum spiritus, sed & sanguinem atque cum in illo spiritu taliter moto vis generatiua ab anima infūdatur; profunde cogitauit Hippoc. si dixit tempore coitus omnia moueri, & calefieri, vt Princeps spiritus gignitiuus perfectam formatricem illam facultatem suscipiat.

Hic itaque spiritus, sine dubio tunc descendit, nam licet testes illo non careant; hic tamen facile tabescit, indigetque noua reparatione, & actu, quæ postrema dispositio illo temporis articulo acquiritur.

Quod si non recipis hanc Hipp. Philosophiā. Dicas nobis, Quare imaginatio, & appetitus in ira habent vim ad mouendum sanguinem circa cor, & in hac passione, de qua loquimur, non moueant eædem potentiæ totum sanguinem, & spiritum ad loca generationis?

Sed illud quod dicebat Aristot. in 4. argumento ponderandum. *Si semen procedit à corticibus plantæ, etiam semen debet habere corticem.* Ducit ad inconueniens, quod semina habeant corticem, cum ipse alibi dixerit agens de semine plantarum, *Semina omnia e duabus corticibus sunt* lib. 1. de Plantis cap. 2. fol. 36. vt adducit Ioannes Bapt. Bernard. in suo Philosophico Promptuario, & reuera videmus semina aliquem corticem habere, aut loco corticis peliculam. Sed vt

quid quærit Arist. actuales partes in semine, quas ipse docuit latitare in potentia. Eius verba lib. 1. de Generat. animal. cap. 18. *Semen sua natura tale esse requirit vt ex eo primo oriantur, ea quæ secundum naturam constituuntur.* Orietur ergo cortex plantæ ex semine, quia cortex secūdum naturam debetur plantis.

Ex dictis argumentis bene constat, quod Aristot. disputat cum illis, qui dicebant partes actuales paruulas ab alijs decisas componere semen, atque cùm Hippoc. nec per cogitationem, ita senserit, vt ex celebri loco de Genitura probatum manet; restat, vt quasdam rationes Aristotel. scrutemur, quæ magis propinquæ videntur locis Hippocraticis.

Ex cap. 18. lib. 1. de Generatione animal. quædam dubia dissoluuntur.

ALIQVI Sine vlteriori consideratione contra nostrum Hippocr. arguunt, sumptis ex Arist. quibusdam responsionibus ad loca adducta. Percurramus omnia.

1 Primo notant. Quod voluptas non sentitur, quia seminis natura exeat à toto.

2 Secundo dicunt, Imbecillitatur totū ergo à toto deciditur, quæ duæ rationes videntur debilissimæ.

3 Tertiò. Quare mancus non generat semper mancum? aut ægrotus ægrotum? siquidem experimur contrarium, cognouimus parentes Gallicis, & alijs morbis oppresos genuisse filios felici valetudine præditos, quod fieri non posset, si semen à partibus ęgrotis decideretur.

4 Quartò. Dicere semen esse colliquamentum totius corporis [vt est apud Hippocr.) est omnino falsum, siquidem colliquatio est violenta naturæ, seminatio vero naturalissima.

5 Quintò dicunt contra Hippoc. nullas esse vias à toto ad testes per quas seminalis demandetur substantia.

Vltimò, Non esse possibile, tam breui tempore moueri localiter humores, & spiritus, vsque ad vasa spermatica.

Similibus credunt Hipp. doctrinam labefactari sed falluntur.

Ad primum, dico argumentum sumptum à voluptate simul cum alijs rationibus conducere ad probationem conclusionis. Nam licet infernæ partes primo delectentur, & per consensum totum corpus, tamen necessario aliquid dandum est reductioni ad liberiorem statum relinquarum partium à quibus separatur materia, quæ superfluit. Diximus enim supra, quod licet semper paululum ad testes deriuetur, tamen magis tempore coitus, sicut in prægnantibus toto tempore grauidationis aliquid trahitur à fœtu, & expellitur à toto, sed magis tempore menstruationis, ob quam rationem omnes fœminæ sentiunt tunc temporis sensibilem motionem sanguinis in toto, & per lumbos, & hypogastrium. Ita in semine contingere credendum est, nam licet testes semper aliquid trahant, colligant, & seruent, tamen ad actum generationis concurrunt duo, pulsio seminis confecti, quæ fit à partibus determinatis, & secundo nouæ materiæ motio (ab omnibus corporis partibus,) quæ futura est semen perfectum; hæc vero separatio humoris ex accidenti causat delectationem in membris, tanquam remouens, quod superfluit, siquidem partes delectantur ablato eo quo non indigent, neque causat [cum descendit) dolores, sicut in grauidis. Primò, quia maior est copia menstrui, quæ distendat, & maior compresio viarum vteri conclusi ad fœtum seruandum; at in coitu patulæ reddūtur viæ, & humor in toto motus ab vnaquaque vena, licet paucus nullam excitat distensionem, quæ sit doloris causa. Ad 1.

Voluptas, modo quo diximus, sentitur & non eo, quem impugnat Arist. nam relicta causa consensus (quam concedim⁹) humor qui à toto concurrit non causat delectationē in partib⁹, neq; id somniauit Hipp.

Hippoc. sanguis qui nunc mouetur per tuas venas causat ne delectationem? neutiquam. Quare? Quia omnes cōditiones necessariæ ad voluptatem deficiūt, tam ex parte obiecti, quā ex parte sensiterij. Poterūt ergo aliquo modo sentire delectationem qui ab aliquo indebito onere liberati reducuntur ad meliorē statū.

Ad 2. Ad secundum de debilitate contracta est facilis responsio, non enim concludit contra Hipp. quia quamuis à toto veniat materia seminis debilitas contingit propter exhaustum spiritum, & cōsequenter propter aliarum partium inanitionem, sed de hoc puncto videnda est nostra quæstio in fine lib. de Hipp. Philosophia, vbi probatum est non esse necessarium simpliciter coitum ad salutē.

Ad 3. Ad tertium dico. Non semper defectus parentum apparet in filijs, quia vincitur ab alijs causis de nouo excitatis; sicut similitudo ad auos excitatur in remotis nepotibus, quæ obscurata fuit ab alijs similitudinibus, vt dicebamus de Helide, & Ætiope. Postea vero exsurgit separatis impedimentis, & hæc est ratio quam debiliter contemplantur Moderni. Omnes enim existimāt Hipp. dixisse mancum semper generare mancum, quod neutiquam tale legitur in lib. Hippoc. nunquam inuenies illam particulam semper, sed vt plurimum. Nō legunt loca quæ citant, nam in libro de Aere, Aquis, & Locis sæpius citato, non inuenies particulam illam semper, sed vt plurimum contingere dicit. Atque adeo eadem ratio procedit contra Arist. & sequaces, nam concedunt quod aliquando pars læsa generat lęsam, ergo aliquid deficit materiæ, vel sigillationis. *Repetitio necessaria.*

Rursus quando sine vlla læsione generatur fœtus à parentibus læsis, quomodo poteris probare, nil descendere, quod respondeat parti deficienti, aut morbosæ? sine dubio non poteris: cœcus generat filium videntem. Quare? Quia facultas formatiua reperit materiam correspondentem, vel idoneam à patre, aut à matre decisam. Diximus supra, ex Hippocrat. in alimentis quamuis aliquantulum remotè latitare partes animales (irrepunt in hominem, &c.) quæ postea ab anima eliciuntur ad propinquiorem statum ex massa sanguinaria. Ergo dum formatrix valeat, formabit oculos ex materia elaborata seminis, & sanguinis. Idem dico de alijs partibus deficientibus, quia vt non deficiat bonum perfectum speciei, prouidit natura, vt in massa quatuor humidorum essent partes correspondentes membris. Hic est finis formatiuæ, non tristetur mancus, nam licet brachium deficiat, aut crus filium integrum generare poterit, quia natura (verissima mater) diues est, brachia, & oculos, & alia omnia membra seminata habet in massa sanguinaria, vt pullulent. Miserū certe, & maxime dolendum erat, si cuiuslibet particulæ animalis esset necessaria sigillatio, nam illa deficiente semper in posterum imperfecta generarentur animata. In tam pulchro vniuerso magna turpitudo. *In virtute formatiua & in partibus materialib⁹ humidorum reposuit natura reparationē defectuū.*

Idem philosophamur cum Hippo. in alijs ęgrotis. Hæreditatur morbus, quando tales sunt partes morbosæ, vt vincant alias selectas, quæ ministrantur à matre, aut ê contra, vel à partibus materialibus seminis paterni. Nam multos vidisti morbo Gallico infectos, quorum filij bona fruebantur valetudine, sine dubio partes seminales ægrotæ victæ fuerunt ab alijs sanis, quę non receperunt contagium. Quas debes considerare, vel in matre, aut in partibus aliquibus massæ sanguinarię, non infectis, parentis.

Sed antequam discedam ab isto puncto vellem adnotare, nullum esse Autorem antiquum, aut neothericum, qui agens de morbis hæreditarijs non conueniat cum nostra sententia.

Ad quartum non intelligas Hipp. dixisse semen esse colliquamentū, sicut in febribus colliquatiuis colliquatur pinguedo, aut caro, sed largo modo illud quod vi caloris licet naturalis, aut vi motus etiā *Ad 4.*

naturalis separatur solet dici colliquari, vt quando quod crasum est, & quietum tenuatur, & mouetur, largo modo dicitur colliquari.

Ad 5. Ad quintum facilime respondetur ex dictis: sufficere, quod materia demandetur à venis ad venas, ab arterijs ad arterias, à neruis ad neruos, vasorum spermaticorum, & testium.

Ad vlt. Ad vltimum supra dictum est, materiam paulatim descendere ab omnibus partibus, & colligi in vasis spermaticis, sed tempore coitus maior copia spiritus concurrit, & materia succesione ad id quod euacuatur etiam mouetur. Atque hæc pro hac quæstione dicta sufficiant.

Ad illam partem textus.

Contingit hic morbus secundum genus.

SED Antequam ab isto textu discedam, ponderanda est illa pars textus. *Incipit autem hic morbus per genus, aut cognationem.* Diximus produci hunc morbum læsis ipsis principijs generationis parētum; principia vero instrumētalia semina dicit esse Hippoc. quæ à sanis sana, à morbosis morbosa proficiscuntur. Sed agitemus iterum ista verba vt sciamus quid sit morbus hæreditarius, & quæ illius differētiæ. Tertio. Morbo Sacro proprias adaptabimus differentias, illas scilicet, quæ pertinent ad hæreditatem, & cognationem; nam reliquas ad eruditos, & practicos Autores remitto, & quæ ad meum textum pertinent, attingo.

Quid morbus secundum genus, aut hæreditarius.

ABSIT Quod studio contradicendi moueat, veritati, breuitati, & claritati incumbo, vt Deo placeam, & meis auditoribus prosim. Audi longisimam, confusam, & mille difficultatibus implicatam diffinitionem morbi hæreditarij. Morbus hæreditarius, nil aliud est, quam qualitas, character, sigillatio, modus substantiæ, proportio quædam, aut dispositio, vel impressio præter naturam in vno, pluribus, aut omnibus membris geniti impressa, à sui ortu ex vi seminis parentum, auorum, aut proauorum, à simili affectu in eorum aliquo membro; aut membris præter naturam quoque præexistente: quo veluti instrumento natura, vel causa alia vtitur, vt natos sibi similes gignat, & eadem labe fœdatos. In quibus verbis neque inuenio genus, nec differentiam, nec quid se habeat, vt formale, aut materiale, an detur per quatuor genera causarum; ignoro prorsus, neque habet illam breuem claritatem, quam debent habere diffinitiones.

Et primo dubito, An omnia proposita vocabula sint synonima. Nam si diffinitur vnum per plures voces, vnum debent significare. Video plura tangi Prædicamenta in hac diffinitione cum morbus hæreditarius habeat aliquam rationem communē sub qua continentur aliquæ differentiæ. Dicit, quod est character; at character, importat figurā, & signa quædā, & ita literas quasdam, aut figuras vocamus characteres, & vt sic pertinet ad quartam speciem Qualitatis, vt aduertit D. Thom. 3. part. quæst. 63. art. 2. Verum, quando dicit ista diffinitio, quod est dispositio, morbum istum ponit in prima specie. Quando dicit quod est proportio, ponit in prædicamento Relationis, quando dicit, quod est sigillatio, coincidit cum charactere, omnis siquidem character, quasi quædam sigillatio, aut sigillum est, & signum impressum. Præterea dicere, quod est modus substantiæ, est mutare sermonem, imo & rem ipsam. Ostēdo. Nam supposito, quod loquimur de rebus corporalibus (nō de spiritualibus) clarū est, quod figura characteris, sigillatio, impresio nil aliud sunt, quam Dub.

modi

modi quidam poſsitionis quantitatis, vt demonſtratur in cera, quando ſigillatur; aut quando typographus imprimit literas, nil aliud eſt, quam facere figuras, variata forma quantitatis. Sed obſecro quid cum hoc habet modus ſubſtantiæ apud Medicos? Medici per modum ſubſtantiæ (nulla facta mentione quantitatis, aut modi illius,) ſemper intelligunt, craſum, tenue, mediocre, friabile, frangibile, miſcibile, vt late dixim⁹ in 1. tomo. Ergo dicere, quod morbus hæreditarius eſt character, & modus ſubſtantiæ, nõ videtur conueniens, nec ad vſum Medicũ bene intelligibile. Præterea cum modus ſubſtantiæ, de quo loquimur, ſit ſecũdarius effectus mixtionis qui reperitur in mixtis, clare patet, quod autor iſtius diffinitionis, ponit eſſentiam morbi hæreditarij, in illo quod conſequitur tertio ad prima corpora: quod videtur falſum, nam multoties iure hæreditario diſtẽperantias primarũ qualitatũ filij patiũtur, in quibus morbis nullus modus ſubſtãtiæ hẹreditatur morboſus, ſed ſolitaria intemperies. Præterea falſum eſt dicere, quod natura, aut cauſa vtitur qualitate morboſa ad faciendos filios morboſos. Natura ſemper intendit bonum, & melius bonum, neque ſumit inſtrumentum ad malum (vt late probatum eſt in noſtro opere de morbo, & ſymptomate) ſed potius impeditur, ne generet filios ſimiles; illa ſemper ſollicitat ſimiles in bono, neutiquam in malo, quam doctrinam, niſi ex præfata noſtra lucubratione non poteris clare percipere, vbi egimus de eſſentia morbi. Hæc & alia poterunt aliquem ſuadere, vt hanc prolixam enarrationem morbi hæreditarij relinquat, & quærat aliã. Ego iuxta meum ſatis debile ingeniolum ſic diffinirem.

Morbus hæreditarius eſt affectus præternaturam actionum læſiuus, ab anteceſſoribus, in poſteros per principia generationis deriuatus. Certe omnia illa, quæ ſuperior deſcriptio continet, non pertinent ad eſſentialem diffinitionem, ſed plura ad ſpecies accidentales morbi hæreditarij; nam quod fiat in vno, aut pluribus membris, quod filius exeat defedatus, hoc aut illo modo, bene vides, totum hoc pertinere ad varias differentias hæreditatas. Noſtra vero diffinitio, reſpicit in communi veram rationem hæreditarij, quam inquirimus, poſtea diuidendam per differentias.

Præterea ſumo ex diffinitione morbi quam accepimus à Galen. eas particulas quas oportet ſumere.

Nam morbus hæreditarius debet conuenire cũ omnibus morbis, in hoc quod ſit affectus præternaturam, hoc quidem genus eſt. Loco differentiæ ſufficit ponere modum productionis, quia producitur per principia generationis, ſcilicet per ſeminaria, quæ concurrunt ad generationem fœtus, ad differentiam reliquorum morborum. Sed quibuſdam dubijs explicatis, clarius res elucefcet.

Primò dubitas. Quare dixi, eſt affectus læſiuus, & non (vt Galen.) lẹdens? Conſulto id feci, quia licet verba in diffinitione ſoleant dicere aptitudinem, & non actum ſecundum; tamen hæreditarius participat hoc genus læſionis (intellige obſecro) magis per modum potentiæ, & virtutis, quam per modum actus, quia plerunque morbi hæreditarij latitant, ſine vlla actuali ſenſibili læſione actionum; at morbus definitus à Galen. includit ſenſibilem læſionem, & ideo dixi, quod hæreditarius eſt læſiuus, vt inſinuem radicalem illam, & virtualem rationem ad lædendum, quæ ſine vlla ſenſata læſione latenter occupat principia generationis, & fœtum ipſum. Quia & ſi omnes morbi rigoroſe loquendo ſint læſiui; tamen iſte magis habet de hæreditario quanto latentior, licet poſtea (ſicut venenum ad tempus) ſuã exerceat, & manifeſtet poteſtatem per actuales læſiones operationũ. Hoc igitur intelligo per læſiuum. Dub. Reſp.

Sed dubitas, nam multi ſunt hæreditarij morbi qui à principio lædunt actualiter

liter in actu secundo. Et multi sunt morbi non hæreditarij, qui non actu lædunt, vt quartana exquisita, aut tertiana, morbi sunt, non à principijs generationis, tamen neutiquam lædunt tempore interualli, sed conseruant veram rationem morbi, in illo esse læsiuo, sicut homo rationalis conseruat (quando dormit, aut delirat) esse per suam potentiam rationale. Ergo omnes morbos debemus dicere læsiuos, & non solum hæreditarios.

Acute dicis, & id ego fateor. Sed notandum, quod hæreditarius morbus per multos annos solet delitescere, vt dixi de veneno ad tempus, & erumpit postea ablatis aliquibus impedimentis. Ergo sicut venenum non lædit in actu secundo sensibili, vsque dum vincat impedientia, aut alio modo auferantur: ita similiter morbus hæreditarius, licet habeat suam essentiam in actu illo primo, qui dicitur potentia respectu secundi; aut in illo defectu quo determinatur à causa; exit tamen in actũ ablatis, aut victis impedimẽtis, & ita aliquando manet in illo priori læsiuus, & si non lædens sensibiliter. Exẽpla patentissima id nobis explicant; intemperies Epileptica hæreditate acquisita, detinetur ab aliquibus impedimentis, per aliquod tempus, vel adiuuatur à similibus, & sic ablatis impedientibus, aut adiuta, exit ad actualem secundariã læsionem, & mouet accessiones. Igitur ne confidas, si videris puerulum sanũ genitum à parente Epileptico; nam dum minus de casu cogitas, apprehendetur morbo Sacro, sicut rabie affligitur, qui post duodecim annorum curricula sanus, & liber degens rabie agitatur, quia nescio quis canis morsus parui pensus, incremẽta iecit. Erat igitur illa qualitas rabida toto illo tempore læsiua, licet nõ lædebat sensibiliter, vsque ad præfinitum actionis terminum.

Dub. Sed inquiris differẽtiã inter morbos hęreditarios, antequã lædant, & morbos intermitẽtes, antequã lædant per accessiones. *Resp.* Nã in vtroq; casu æger videtur liber à morbi læsione actuali. Dico longis distare terminis. Nam morbus hæreditarius antequam erumpat, nullo pacto lædit actiones, sed fruitur homo sanitate, & ad omnia valet. At morbus intermitens, aut in pulsu, aut vrina, aut in alio effectu, vestigia relinquit venturæ accessionis, & licet ad aliquas valeat actiones, non ad omnes ita perfectè. Nota, quod dixerim antequã erumpat, nã post manifestationẽ aliquid relinquit morbus hęreditarius, quo possimus eius præsentiam inuestigare. Similiter in morbis deprauatæ figuræ vidi gibosam mulierem parturire filiam sanam, & optime figuratam, & processu temporis, sine extrinseca violentia, secedebant paulatim ossa, & facta fuit gibosa, non solum versus dorsum, sed quandam partem pectoris eleuatiorem altera manifestissime demonstrabat, ita vt fuisset necessarium multis linteis duplicatis partem depressam replere, vt æquaret alteri, & sic simularet vitium. Itaque non solum morbi in intemperie postea apparent, sed morbi in compositione.

Sed dubitas quomodo hoc fit, aut quæ sunt impedientia, quæ detinent, ne statim ab ortu compareant hæreditariæ affectiones? *Dub.* Respondeo, hoc non esse proprie huius loci (cum solum interpretemur textum.) *Resp.* Sed nunc dico primo. Quod sicut attemperatio duorum contrariorum impedit, ne vnum libere, aut intensè agat: ita si alterum remittatur, clarum est aliud elucescere. Et sic intemperies Epileptica, quæ erat quasi ligata, v.g. à calore vitali selecto, & viuifico, si iste remittitur (vt fieri solet à varijs causis,) vigebit illa. Si vero intẽperies hæreditaria calida est cum tali, aut tali modo; solet impediri à pituitæ copia, aut à melancolia, quibus humoribus, aut exhaustis, aut reuulsis, apparet effectus secundus illius intemperiei. Et ita mirum est, quod ablato humore maneat morbus, magis fixus; sed non mireris, nam humor conducit magis ad accessionem Epilepticam; intemperies ad principium radicale morbi.

Dico

Resp. 2. Dico secundo. Quod cum per ætates à principio generationis, vsque in mortem naturalem, mutetur temperamentum substantificum, vt ostedi in opusculo de senectute, fieri potest [imo debet fieri] quod morbus hæreditarius si fuerit impressus ex vi alicuius temperamenti substantifici deprauati materni, aut paterni, vsq; dum adueniat aliquod mutatũ esse in tali temperamento, non apparebit morbus ad sensum Medici, & infirmi. Quæ contemplatio experimento firmatur. Videbis aliquos statim à teneris vnguiculis Epilepsiam depromere hæreditariam (quamuis purgatum fuerit cerebrum in vtero, vt statim dicam.] Ob quid? Ob nil aliud, nisi quia intemperies Epileptica, fundatur in illa (vt sic dicam) tenera mixtione in qua nondum sunt excocta miscibilia ad perfectas operationes; elucet ergo nimia humiditas (non loquor de humiditate excrementicia, de qua postea] elementalis in ipso ortu, quę potest esse principium tanti mali. Rursus potest esse alia Epilepsia hæreditaria, ab alia diuersa mixtione elementorum, qui modus, in adultioribus conspicitur. Ita vt verus sit Hippocr. sermo, quasdam ætates morbos aliarum curare. Quod dixit specialiter, loquens de morbo Sacro in Aphor. 7. lib. 5. & lib. 2. Aphor. 45.

Resp. 3. Vt supra tetigi. Dico tertio. Morbos aliquos conformationis etiam aliquando latitare, & postea apparere. Quia dum vtero fœtus claudebatur, licet calore, & humiditate loci, & proprio ipsius fœtus, partes extẽdi plus possent, aut curuari vt fuerunt in matre, aut patre: tamen potuerunt cõprimi, & teneri in optima figura à continente secundina, & ab vtero, ita vt si virtus formatiua, v.g. moueret homoplatum, aut costas ad extra, impediretur à compressione vteri, aut naturali, aut artificiali. Artificiali dico, quia solent tales mulieres prægnantes, ventrem, & stomachum chartis, ita comprimere, vt cogant vterum ad compressionem fœtus. Sed postea in lucẽ edito fœtu, virtus illa derelicta, in spiritu implantato, mouet localiter ad extra, in similitudinem matris gibosæ. Bene verum est, posse ex toto impediri per artem, si dextere fascijs ligetur, & caute tractetur (quando membra, ita blanda sunt, vt facile cedant.] vt diximus in lib. de causis morbor. cap. 7. agentes de morbis conformationis.

Sed interrogas quare potest impediri per artem actiuitas illa principij, ita fixi & naturalis? Recte dubitas. Sed audi quęso. Motus localis impediri potest à valentiori, si ergo prudenter tenera membra ligaueris in ordine ad debitam naturæ conformationem, & firmus perseueras; virtus illa hæreditaria, quæ in spiritu residet, vel in parte tenuiore ipsiusmẽbri, ad eum terminum deuenit, vt fatiscat, nec possit mouere localiter; nam quotidie consumitur pars illa tenuis, & spirituosa sedes potentiæ, & quotidie amittit vires: Artifex vero persistit, & æquali robore mouet ad optimam figuram, & dum hoc fit exsiccatur membrum, siccitate ætatiua, & melius retinet figuram adeptam. Si vero spectes formatricis læsæ motum, & indurationem partium, iam certe nullo modo poteris conformationem emendare, nisi mortem velis ægrotantis. Miserum opus! His diebus cum hæc scribo vocatus ad infirmũ, referam quod vidi: inueni adolescentem gibosum dorso, gibosum pectore, spuẽtem sanguinem, hecticũ, phthisicum, atq; in hosduos morbos incidisse, postquam audax seductoris ignorantia promisserat reductionẽ ad optimam figuram. Ille pulchritudinis desiderio allectus; quia etiam placere vxori, quam spectabat, cupiebat: promissionem alacri animo admisit, nummos donauit. Ergo ferreis laminis, tam fortiter compressum pectus ligatũ fuit, vt per aliquos dies, difficili respiratione pauperculus adolescens laborans, tandem, stillatione in pulmones oborta, in læthalem deuenerit statum, & qui lorica ferrea armatus, pro salute dimicabat, vt sanus duceret vxorem, duxit mortem.

Itaque

Itaque pars ſiccata non reducitur, ſed frangitur.

Dub. Sed dubitas circa id quod ſuppono, dari qualitatem Epilepticam. Quæ eſt iſta qualitas Epileptica? Secundò cum iſte morbus conſiſtat in obſtructione cerebri, quæ eſt à fluxu humoris, conſiſtit, Quid prodeſt intemperies hæreditata, ſi alia ex parte, exquiſito, & optimo victu impeditur, ne ſuppediteturhumor ad obſtructionem?

Ex dictis cõfirmatur, nã ſupra diximus, cõparari hãc qualitatẽ veneno ad tẽpus quod diu latet, &poſtea aſſurgit. At venenum, aut quidvis aliud, ita operans fundatur in aliquo humore, aut vapore glutinoſo (ſicut dicebat Fracaſtoreus de cõtagio) ergo ſimiliter eſſet dicẽdum de intemperie Epileptica. Nã ſi nuda exiſteret, neutiquam aſſurgeret; vnde nam? à principio vitali, aut miſtionis intrinſeco? Hoc certê vt falſum, & impoſsibile reiecimus in noſtro opere de morbo, & ſymp. Ergodeclarare oportet, quo pacto ſit hæreditata Epileptica dicta qualitas, an cum humore, an ſine illo?

Reſp. Propter iſtud dubium, dico quarto. Quod vt ſupra inſinuaui, iſte morbus habet duo, vnum quaſi in radice, ſcilicet intemperiem cerebri, alterum ſecundario, ſcilicet præſtare cauſam acceſsionibus particularibus. Equidẽ cũ omnis intẽperies deiiciat actũ virtutis, quædã magis, quædã minus, alia ſenſibiliter, alia vero, ita paulatim, vt nõ ſentiatur; fitprofecto, vt hæreditaria intemperies cerebri vno ex dictis modis, aut coctricem, aut expultricem afficiat, aut vtramque, & conſequenter ſuperſint, & congeruntur excrementa ad ſubitam acceſsionem Epilepticam; ad quam etiam contemplor concurrere debilitatem natiuam ventriculorum, ita vt hæc Epilepſia per eſſentiam in cerebro hæreditata, duabus innitatur partibus intemperatis, cerebrali ſubſtantia, aut tunicis, imo & craneo, & perycraneo recremẽta aliqua cumulantibus, & vẽtriculis, & parietibus cauitatũ facile recipientibus. Itaque licet intemperaturæ prædictæ ſint nudæ, non dependentes ab humore, tamẽ ſunt cauſæ humoris ſuperflui, qui circa eaſdem partes aggregatur, & acceſsiones cauſare poteſt. Qualitas vero Epileptica ſic dicitur ab effectu.

Dub. Sed dubitas. Quare ergo ſtatim ab ortu non incidit in acceſsiones puerulus, qui iure hæreditario tantum malũ participauit? *Reſp.* Reſpondeo, quia multoties cõtingit, vt prædicti effectus inſenſibiles ſint, adiuuatque exquiſita victus ratio nutricis, aut lactis temperies; quæ cohibet prædictas læſsiones, quin, & aliquando non ſolum prohibet effectus, ſed curat ipſam radicalem intemperiem pueri. E contra vero ſi victus ratio, aut nutricis, aut patientis ad excrementa paranda cõducant, tunc nulli dubium eſſe poteſt, excitabitur certe acceſsio, ad præſentiã humoris præternaturam geniti: ſuppoſita diſpoſitione hæreditata, vt dictũ eſt. Vt igitur ſolet impediri in pueris qualitas Epileptica [ne congreget particularia excrementa) à cauſis nõ naturalibus, ſcilicet ab optimo cibo, ab optimo aere &c. Ita poteſt per aliqua annorum curricula impediri in adultis, & apparere aliquando, ſi non impediatur. Nam quãtumuis ſit à principijs generationis radicata, tamen quoad actum ſecundum poteſt frequenter impediri, & vt exiſtimo, quoad actum primum curari.

Ex dictis elicere poſſumus, quot ſint differentiæ iſtius morbi hæreditarij, ſiquidem tot exiſtunt, quot intemperies; iſtæ vero octo ſunt, quatuor ſimplices, & quatuor compoſitæ. Rurſus cũ fieri poſsit, vt congeſtio humoris appareat certis temporibus ad cauſandas acceſsiones, poteris affirmare omnibus octo aſſociari aliquando, congeſtum humorem acceſsionalem.

Secundo poſſumus conſiderare; cerebrum male affectum per intemperiem hæreditatam: ſed coniungi etiam aliquã partem mandantem per interualla portionem peccantis humoris ad cerebrũ, ad excitandas acceſsiones. Ita vt non

per

per congestionem, sed per nouũ affluxũ, intemperatam iam cerebri substantiam, apprehẽdat humor. Hæc vero differentia in multiplices diuidi valet; nam à vẽtriculo, ab vtero, à liene, à testibus, à venoso genere, quin, & à qualibet parte, vbi contraria, & venefica vaporatio potuerit excitari, motus Epilepticus etiam excitabitur, vt in illo puero, cui à crure ascendebat aura. Has vero partes mandantes à principijs generationis sic posse sigillari, vt transmittant ad alias, quis dubitat?

Contingere tamẽ potest prodigiosum quoddam accidens; quando continuata euaporatio, & separatio excrementorum partis intemperatæ, adhuc ab ortu, cerebrum debile, & neruos attingit, certè in motu perpetuo os, oculi, & caput versantur, & aliquando totum corpus. Poteritque accidere ex paulatina congestione, sed necessaria in ipso cerebro, vt dixi. Quod vidimus in puero nobili primogenito, [ciuitatis Secouiẽsis.] Sed hæc dispositio licet cognationem aliquam cum morbo Sacro habere videatur, diuersa tamen est, quia humor ille continuo illabens, non ad obstruendum ventriculos, sed ad tentandos dilabitur neruulos. Iste puer licet perpetuo die, ac nocte, similibus motiunculis agitabatur, non detinebantur internæ rectrices, signum certum, non obstrui, aut obturari ventriculos, & cauitates cerebri, aut alio modo claudi, sed perenni irritatione neruosas partes percelli.

Igitur quando Hippoc. dixit, morbũ hunc per genus deriuari, idest hæreditario quodam itinere discurrere, sub intellexit certe, aut essentialiter in cerebro partes scilicet mandantẽ, & recipientẽ, intẽperie affectas generari; aut, diuersa alia membra ad transmittendum apta, ad mentis arcem superflua relegare: vt quamlibet speciem Epilepsiæ hæreditari dixerit. Quod autem pars, quę congerit excrementa, in sibi vicinam, & propinquiorem, aut in se ipsam soleat deponere; explicuimus in lib. de Morb. & Sympt. non quidem semper à lõginquis peregrinãtur superflua. Atq; licet lib. 1. de Morbis dixerit Hipp. cerebrũ, vt cauum, & suprapositũ in partes infimas instillare; quis vetat in propinquissimas? cum tanta posit esse debilitas expultricis, vt proxime deponat onus, aut ibi humor detentus Epilepticamque accessionem ostendat?

Dub. Sed dubitas circa textum. An per genus, & per cognationem. Sint idem? & cum nullum in Hippoc. verbum inueniamus superfluum, consideratione digna videtur dubitatio.

Respi. Dico. [ni fallor] Morbus per genus ille est, qui à parentibus in filios, directe trãsmissus est, & ab ascendentibus via recta; per cognationem vero demonstrat Hippoc. quod licet immediati parentes, tali non fuerint morbo oppressi: Si tamen fratres parentum laborarunt; sufficit vt iudicemus, in sobrinos, siue sororinos deriuari posse, quatenus in antecessoribus mediatis, scilicet in auis, aut proauis talis repertus fuerit affectus; qui intermittens in parentibus, refulsit in nepotibus.

Locus animaduersus in lib. de Anima Francisci Suarecy Iesuitæ.

TExtum nostrum licet satis agitatum non licet relinquere, nisi prius rationes Francisci Suarecij perpendamus, viri omnium literarum, & sanctitatis ornamentis spectatissimi. Nam lib. 2. de Anima cap. 12, occasione cuiusdam quæstionis, vbi nam resideat potentia seminis formatiua? citat nostrum Hippocr. & (vt existimat) quinque rationibus, contra illum concludere intendit. Sed reuera non arguit contra Hippoc. sed contra somnium Abulensis. Nam neq; Hippoc. dixit ab vnaquaque parte descendere effigiem partis, nec aliquam particulam diuisam, vt satis explicatum manet; neque se impediunt partes illæ virtuales

les seminis, sed pro ratione efficaciori, quædam alias vincunt, & generatur sexus pro victoria formatricis.

Quærit tandem, vbi est potentia generatiua seminis? & vi principiorum Philosophiæ, in Hippocraticam veritatem incidit, Hippocrate incognito; nam dicit, partem materialem seminis in testibus elaborari; principium effectiuum, & formatiuum, à principalioribus, accedere membris. Verba eius num. 4. *Et pars quidem materialis à testibus elaboratur, illaque nutriuntur: de spiritu autem incluso obscurum est, an ab ijsdem, vel à nobiliori membro fiat, vt à corde, vel ab hepate, in quo residet naturalis facultas. De qua re nihil certi habeo: apparet tamen probabile, non fieri ab infimo aliquo, & ignobili membro, sed forte à corde, cuius est procreare vitales spiritus, & viuentibus alijs partibus principalibus, vt debitum temperamentum, & virtutem semen ipsum tandem recipiat, aptumque vndique instrumentum euadat ad mirabilem illam organicationem peragendam.*

Quam sententiam si penitiùs contempleris, nil aliud inuenies, quam quod superius ex mente Hipp. & omnium rectè sentientium, propalatum est. Atque vt omnia sibi consonent. Quærebamus in Hipp. Philos. quid esset virilitas, aut in quibus partibus cõsisteret? (ad text. 75. f. 169.) diximus in partium principalium quadam temperie influente in genitalia pro sexus necessitate. Sic nunc. Vbi residet potentia generatiua principij effectiui prolifici seminis? Respondendum est, esse in prædictis partibus præcipuis, vt Suarecius admittit [, licet non faciat mentionem cerebri, quia supponit,) & vbi cõficitur materia istius spiritus prolifici? Respondet Suar. in testibus: Ergo] addimus nos à principalioribus mẽbris in testibus vniri, & ad vnam massam seminalem deduci. *Etiã concurrente actiuitate testium.*

Neque intelligat aliquis aliquam esse contradictionem in nostris scriptis, æquo animo perlectis; nam si primo tomo agentes de semine, diximus à testibus sigillationem pro toto animali susci pere, non supra dictis contraria profitemur, nam Hipp. hunc ordinem, & concentum celebrat, vt omnes partes virtualibus qualitatibus signent materiam (quæ debet abire in semen perfectum.) Principaliores rursus suos spiritus, pro omnibus elaborent, purificent, eleuent; in testibus vltimo commisceant: Ita vt semper superaddatur aliquis gradus, aut modus perfectionis, ad prolificum semẽ producendum, vt late declaratum est.

TEXT. XXI.

Aliud porrò signum est magnum, ostendens hunc morbum nõ esse alijs Diuiniorem; pituitosis enim natura oboritur: biliosis vero non accidit. Atque si Diuinior est reliquis, similiter omnibus morbum hunc fieri oportebat, & non discrimen facere inter biliosos, ac pituitosos; sed enim ipsis cerebrum autor est, & causa huius affectionis; velut etiam aliorum maximorum morborum; quo vero modo, & ex qua fiat causa manifestabo.

Magnum signum dicit se proponere ad cognoscendum non esse hunc morbum magis Diuinum, quàm alios; nã (inquit) apprehendit pituitosos, non biliosos; ergo sequitur ad causas proprias, sicut & alij morbi. Vt enim corpora calida, & sicca sunt parata ad febres, ita pituitosa ad Epilepsiam, non autem biliosa; ergo signum magnum est sequi hunc morbum ad suas causas cõmunes. Ostenditur. Quia causa diuina, cum sit superior in agẽdo, & ita vniuersalis diuersa *Comment*

cor-

corpora vincit: Ergo pituitosa patiuntur & non biliosa ad causam inferiorem recurrendum est. Quæ autem sit ista causa inferior in textibus sequentibus declaranda.

Aliqua sunt difficilia in hac sententia. Primum, quare supponit corpora pituitosa esse paratiora? Hoc signum probandum erat. Secundò, licet causa Diuina sit quasi vniuersalis, vt corpus cœleste, aer, &c. operatur tamen secundum dispositionem materiæ; videmus enim ab aere infecto quosdam pati, alios neutiquam (aerem Diuinam causam interpretatur Galen. vt postea videbimus.] Similiter de alijs causis superioribus videtur dicendum. Tertiò, docet experientia biliosos, & melancholicos hoc affici morbo: ergo non solum pituitosos, vt dicit Hippoc.

Dico, quod Magi, vt supra visum est, ad Deos referebant causam huius morbi, & ob id Diuinum appellabant. Hoc supposito, argumentum Hipp. est efficacissimum; Dei hoc proprium est, vt nulla spectata corporis dispositione valeat immutare. Ergo si hic morbus est supplitium Dei, cuiuscumque complexionis homines apprehendet ad nutum Diuinum pro peccatis puniendis. Hoc autẽ non videmus, sed pituitosos affici potius, non biliosos; ergo magnum signum est non esse magis Diuinum hunc morbum, quam cæteros omnes; sed poterunt omnes à Deo causari, & vocari Diuini, & poterunt proficisci à causa naturali, & humana, & dicentur non diuini, sed humani. Hæc meo iudicio est mens nostri Senis.

Vnde ad primum dico. Pituitosos esse vt plurimum magis paratos ad hũc morbum, quia habent cerebrum debilius, & in ipso congregant excrementa sufficientis quantitatis, & qualitatis ad causandam Epilepsiam, aut per essentiam, aut per cõsensum. Quam doctrinam supponit Hipp. alio loco probatam, aut ex principijs deductam.

Tamen quando Hippoc. hanc propositionem repetit in hoc libro text. 25. inspicere oportet fundamentum. Primò dubitare quis posset. quomodo tam affirmatiue dicit Epilepsiam fieri in pituitosis, in biliosis non. Videmus enim contrarium. Et ratio ostendit, nam corpora biliosa, vt calidiora, maiores habent euaporationes ad caput, ergo magis parata ad Epilepsiam. Secundò. Quia etiam pituitosa indigent multa, & tenui bile, vt vehiculum sit pituitæ, vsque ad ventriculos cerebri; non enim solet præ crassitie penetrare. Tertiò. Quia, si ob aliquã rationem bilis non potest esse causa Epilepsiæ, est propter nimiam tenuitatem, & calorem, sic enim nõ est apta obstruere cerebrum. Sed hæc ratio non est sufficiens; nam plures species bilis sunt sufficienter crassæ ad obstruendum. Præterea quarto. Obstructio fit quãtitate humoris non qualitate; poterit ergo copia bilis obturare vẽtriculos. Quintò. Quia quamuis bilis esset tenuissima, tamen in cerebro sine dubio crasesceret ab illius frigiditate, & consequenter obstrueret. Sextò. Quia accessio Epileptica breuis est, ergo magis consonum videtur bilem calidam, & tenuem, & cito agitabilem, esse causam; cum pituita, crassa, lenta, frigida longiori indigeat tempore, ad ascendendum, ad penetrandum, & ad discusionem sui.

His non obstantibus. Doctrina Hippocr. est teneda, vt Aphoristica. Morbus Epilepticus fit in pituitosis, non in biliosis, ex text. 21. & text. 25. Pro cuius intelligentia notandum est biliosa corpora illa appellari, quæ propter temperiem coalternationis, quæ totius denominationẽ sumit, calida sunt & sicca; talia autẽ euadũt, quãdo præcipuæ partes ad hanc temperiem lapsæ sunt; vnde totum corpus calidum, & siccum denominatur, & ita iecore existente calidiori, corde etiam, & cerebro, ventriculo, & & aliquibus alijs membris similiter, sic vt plures sint partes calidæ; tale corpus absolute dicetur calidum, & siccum, & ex consequenti biliosum. Nam multa

bilis

bilis generatur in iecore, & non sunt partes à quibus coerceatur; nam quamuis cerebrum sit extra temperiem iustitialem versus calorem remissiorem respectu bilis, tamen nondum est potens, vt ipsam infrigidet, & inspisset; & idem dico de alijs partibus; semper enim in tali complexione temperies biliosa elucet. Tales dicit Hippoc. biliosos homines magis paratos ad tabem, & febres colliquãtes, & vstiuas, quam ad Epilepsiam: nam humores tenues abundãt, viæ patulæ sunt, & peruiæ, & consequẽter ratione talis temperamenti, non fiũt Epileptici. Potius ergo pituitosi, quorũ venæ, & ventriculi facile opplẽtur, quia nam sunt viæ amplæ, & alia ex parte adsunt humores obstruentes, & qui sanguinem terrahunt, & refrigerant, spiritumque detinent, vt in hoc lib. dicit Hipp. ergo recte asserit non fieri hunc morbũ in biliosis, sed in pituitosis.

Notandum secundo, quod ex accidenti, idest alicuius causæ complicatione bene contingit biliosos fieri Epilepticos; sunt verò qui ex prauo victu, & vita otiosa, quanquam biliosi sint, congerunt multa excrementa frigida, & pituitosa, quæ ad caput delata, aut in Apopplexiã, aut Paralisim, aut Epilepsiam, & Vertiginem incidant: tamen Hipp. quid ex natura rei, & ex conditione propria tẽperamenti eueniat, nobis proponit. In quem sensum explicuit Galen. Aphorism. 29. 3. sectionis, vbi miratur, quod recensuerit Epilepsiã inter morbos iuueniles, cum non ob ætatem, sed ob victũ eueniat.

Ad 1. Ex dictis constat solutio primę obiectionis; licet enim calidiora corpora habeant multam euaporationem ad caput, etiam illam omnino resoluunt: & consequenter pituitosa non resoluunt, quia exiguo calore pollent, & ideo parata magis ad suffocationes, & Epilepsiã, & similes morbos.

Ad 2. Ad secundum dico. Exquisite loquendo, pituita non eget copia bilis, vt cerebrum ascendat, & obstruat, sufficit tractrix, & expultrix membrorum, & calor reliquorum humorum, & partium, vt possit adire ventriculos. Nam talis morbus vt plurimum fit, partibus mandantibus, & cerebro recipiente, quando fit per consẽsum. At quando per essentiã in ipso cerebro generatur, mutatione loci, vel de tunicis, aut de substantia ad ventres fit Epilepsia; ad quem terminum non est alius modus substantiæ necessarius, sicut quando spuitur pituita.

Ad tertium dicendum, quod species crassæ bilis semper fiunt ob miscellam aliorum humorum, aut nimio, & intenso calore, assante bilem, & resoluente partes tenues; tamen omnia ista sunt superuenientia biliosis, quæ ex nouis causis contingunt. Hippocrat. vero loquitur de solis biliosis, facta comparatione ad pituitosos, sine alia noua causa, quæ complicetur. Ad 3.

Ad quartum dicendum, quod humor tenuis, nisi detineatur, non obstruit, fluit enim per cauitates, detinetur autem si crasescit, aut hæret, hoc non contingit humori bilioso naturaliter se habenti, & ob id dixit Hippoc. biliosis non accidit Epilepsia, quia non aptus est humor iste, sicut pituita. Quæ consideratio Galeni fuit, sine dubio, quãdo dixit 4. de Causis Puls. Pulmoniam non fieri à sola bile. Ad 4.

Ad quintum. Non quælibet frigiditas sufficit ad detinendam, & incrasandam bilem, non igitur cerebrum incrasabit, eam crassitie necessaria, imo potius calefiet à bile. Ad 5.

Ad sextum constat, Pituitosos Epilepsiæ esse paratos ob rationes supradictas; quando vero accessio breuis est, etiam pituita in causa potest esse, non quidem vitrea, aut gypsea, aut alia præ lentore immobilis, sed multæ aliæ species, quæ ob suum modum breui tẽpore discusiũtur, quas late inuenies in opusculo nostro de humoribus in Auicen. cap. proprio. Hæc dicta sunt, vt Hippocratis confirmemus doctrinam, quæ semper vera est, considerando rationem temperamenti Ad 6.

mẽti proprij. Cõstatq; quod in hoc textu non agit Hippoc. de causis efficientibus, sed de subiecto parato ad istum morbũ. Est quidem dispar ratio, & dissimilis disputatio, sicut vnum caput facimus de paratis ad febres, & aliud de causis in generali febriũ: ergo loquendo de paratis ad Epilepsiam efficacissimum est argumentum Hipp. præcipuè cum in hoc lib. vbi videtur, de Epilepsia agere per essentiã, quod in puerulis videmus nuper natis, quia antequam primam coctionem experiantur, Epileptici apparẽt, ab intemperie materiali cerebri, vt mucores, & pituitosa excrementa demonstrant. Idẽ in senibus, qui licet ætatiua siccitate tabescant, congregant copiã pituitosi excrementi (ob diminutum calorem) quo in Epilepsiam deducuntur.

Vnde si nobis obijcias iuuenem illum, qui vocabatur Appelleus Lariseus, Epilepsia correptum, lib. 5. Epidem. Certè respondet Hipp. obiectioni, dicens, erat valde vorax multi cibi. Quibus verbis Hippoc. defendit sententiam huius loci, asserens nõ ob ætatiuam temperiem, & dispositionem id contigisse, sed ob inordinatum victum. Equidem ita licentiose iuuenes viuunt, ventri dediti, & intempestiua libidine perciti, vt quos renuit morbos ętas, adiungat libertas. Erat valde vorax. Ergo, si discipulus es Hippoc. si principia tenes, intellige, cùm videris puerulum biliosum, & à parentibus verè biliosis, non dubites dicere, neutiquam, ratione temperamenti esse paratum ad Epilepsiam, sed ratione alterius causæ complicatæ.

Ad 2. Ad secundum dico, esse maximam differentiam inter causas diuinas [vt postea explicabo.] Dij autem Gentilitatis credebantur omnia hæc mala posse causare sine discrimine subiectorum, secundum vniuscuiusque peccata; & ita torquebãt tam biliosos, quàm pituitosos. At vero cœlum, aut aer nil causant sine debita patientis dispositione, & ita argumentũ Hippoc. habet suam vim. Si Deus solus causat istud malum, quare pituitosi magis, quàm biliosi afficiuntur? Semper ne pituitosi Deorum indignationem incurrunt? Quare non biliosi?

Ad tertium dico, propositionem textus esse doctrinalem, & ferè semper, & vt plurimum tenere verum. Pituitosi enim homines (certis conditionibus â nobis explicandis) semper sunt obnoxij huic morbo; biliosi per contrarias causas nequaquam. Habet doctrina Hippoc. magnam profunditatem, non quærenda est in superficie, sed in fundo. Ad 3.

TEXT. XXII.

CErebrum hominis duplex est, quemadmodũ alijs omnibus animalibus: medium autẽ ipsius diuidit membrana tenuis, quapropter non semper eandem capitis partem dolet, sed particulatim vtramuis, aliquando vero totum.

VT Probet causam huius morbi in cerebro existere, cõpositionẽ ipsius prosequitur explicare, quantum ad eas partes, quæ ad præsens pertinent institutum. Cerebrũ dicit esse duplex, idest, diuidi in duas partes, quia tunica, quæ mediat, diuidit quasi diaphragma vnam partem ab alia; & hæc est ratio, ob quam multoties pars sinistra dolet, & non dextra; aut è contra, quia causa dolorem efficiens ob tunicam intermediam non cõmunicat suam qualitatem alteri parti, nisi tanta sit, & talis causa dolorosa, vt vtramque partem valeat affligere. Comment.

Oportet tamen aduertere quod quando dicit Hippoc. membranam diuidere substantiam cerebri, intelligendum est dupliciter. Est enim cerebrum vocatũ, & cerebellum: hoc posteriorem partem occupat; illud anteriorem. Diuiditur autem vnum ab alio media membrana, nõ qui-

quidem omnimodè, sed per superiorem ita vt partes cerebelli mediæ, & infimæ continuentur cum cerebro. Rursus cerebrum anterius [quod ob maiorem molē cerebrum absolutè vocatur] diuiditur etiam membrana mediante in dextram, & sinistram partem: deducitur autē ista membranula à dura meninge; ab ea scilicet portione, quæ falcis refert figuram; non autem intelligit Hippoc. totum cerebrum diuidi à summo vsque deorsum. Sensus enim demonstrat, quod in parte inferiori, scilicet in basi continuū sibi est cerebrū; plures fuerunt vsus huius diuisionis: tamen Hippoc. vnum in hoc textu insinuat, ne quacunque ex causa totū doleret cerebrum.

TEXT. XXIII.

SEd & venæ in ipsum tendūt ex toto corpore multæ, & tenues: duæ vero crassæ; altera ab hepate, altera de liene: & quæ quidem ab hepate venit, hoc modo se habet: altera quidē venæ pars deorsum tendit per partes ad dextram iuxta ipsum renem ad lumbum: ad internam femoris partē, & descēdit in pedem, & vocatur vena caua: altera vero sursum tendit per venas dextras, ac pulmonem: finditur autē, & in cor, & in brachium dextrum; reliquum vero sursum fertur per claviculam in dextram ceruicis partem ad ipsam cutem, vt conspicua fiat. Iuxta aurem verò occulta tur. Atque hic finditur, & crassissima quidem, ac maxima; & cauissima ipsius pars in cerebrū desinit: alia vero pars in aurem dextram, quæ sane venula tenuis est: alia autē in oculum dextrū; alia in ipsum nasum; atque sic venæ ab hepate habent.

Tendit autem, & à liene vena in sinistra sursum, ac deorsum velut ab hepate, verum tenuior, & imbecillior.

ANatomes peritia (vt aliæ artis partes) ab Hippoc. incepit. Quæ incipiunt, non valent statim vltimam optinere perfectionem; ita contingit, vt posteritas multa adiecerit: illud tamen admiratione dignum, non desinā aduertere: nullā aliam venam pro humana salute hodierna die secari, nisi quā ab vno Hipp. didicimus. Lib. 5. Aphor. tex. 68. Venas frontis docet scindere. Lib. de Ossium natura, venam poplitis, & malleoli. Lib. 6. Epi. p. 1. in Nephritide venā poplitis. Lib. 3. de Morbis, venas sub lingua. Lib. de Ossium natura, venam humerariam, siue sanguifluā. Lib. de Victu acutorum in pleuritide, venam basilicam, internam vocant. Hæc dixerim, vt si aliqui carpere velint in sermone nostrum Magistrum, mirentur potius; quamuis distributionem venarū aptius, aut distinctius nobis proposuerit posterior diligentia; nunquam tamen fallit Hipp. quod si in lib. de Nat. humana reperitur quædam distributio venæ cauæ oriētis à cerebro in reliquas partes, quam longo sermone refutat Galen. dicens, talem sententiam esse alicuius ignorantissimi mixtā Hippocraticis, vt liber cresceret in maiorem molem. Contendebant enim duo Reges, Attalus, & Ptolomeus de erigenda insigni Bibliotheca, erogabant liberaliter cuicunque aliquem librum nouum adducēti alicuius insignis Viri; adducebant multoties aliqua spuria, vt liber videretur maior, & maiorem portionem pecuniæ acciperent. Ab istis forsan tam Comment.

stolida

stolida diuisio venarũ conficta est ad lib. de Natura humana. At verò in hoc loco ab hepate sumit initium venarum; diuiditque sursum, & deorsum: quod autem dicit à liene ramum venæ pronasci; intellige cum Hipp. non quod ibi incipiat esse vena (habuit quidem originem ab hepate) sed quod ibi dirigi incipiat per sinistras partes. Si verò legas locũ genuinũ Hipp. lib. 2. de Morb. Popularib. sect. 4 tex. 1. exactam, meo iudicio, venæ hepaticæ descriptionẽ reperies. Dicat quicquid voluerit Iacobus Steue, qui minus diligenter inspexit textum citatum: conuenit autem maximè cum nostro.

Iacobus Steue.

TEXT. XXIIII.

CAEterũ in has venas etiã spiritus copiã inducimus: hæ enim corporis nostri respirationes sunt, aerem in se ipsas trahentes, & in reliquũ corpus, ac venulas deriuãtes, refrigerantque, ac rursus dimittunt; non enim possibile est spiritũ stare, sed procedit sursũ, ac deorsũ. Si enim alicubi cõstiterit, atq; interceptus fuerit, impotẽs redditur illa pars, vbi constiterit. Cuius rei signũ hoc est. Quum enim desideat, aut decumbenti venulæ compressæ fuerint, vt spiritus à vena non discurrat, statim torpor occupat, & de venis quidem reliquis sic habet.

Comment. NOn obscurè dicit aerem, siue spiritum venas prædictas percurrere, aut per illas moueri, & probat ad sensum, quia nimis cõpresso aliquo mẽbro torpor accidit, non ob aliam rationem, nisi quia etiam spiritus inclusus detinetur; si vero membrum laxamus, & extendimus concitato spiritu, mouemur, nimirum reserata via spiritus.

Difficultas huius textus statim apparet; nã spiritus per arterias impetum facere, omnes nouimus ex Hipp. quas sæpe vocat venas. Per neruos spiritum animalẽ dictum, aut quicquid illud sit, breuissimè moueri, scimus; nil autẽ ex his potest dici respiratio corporis, quia hæc ad thoracem, & eius partes pertinet. *Dub.*

Deinde cũ exemplũ adductum potius ostendat detineri spiritũ animalem, aut comprimi neruos partis torpescentis; videtur, non ad venulas compressas, sed ad neruulos esse causam reducendam.

Motus animalis reddit post torporem ablatum: ergo quia impediebatur instrumentum, quale erat spiritus, aut neruus, aut vtrumque.

Dico, sententiã esse verã, loquitur, non de respiratione, sed de trãspiratione toti corpori ita necessaria, vt si omnino impediatur, læsionũ plura genera oboriantur. Respiratio propria per musculos fit, trãspiratio per spiracula & poros, aere ingrediente, & egrediente insensibiliter: primò per cute, deinde per minutissimas venulas, ad alias maiusculas, ad arterias, & totũ corpus. Ostendimus in lib. de Pulsibus arterias aerẽ externum suscipere per poros, & non solũ per respirationẽ; nõ equidẽ nobis deest subsidiũ omnibus corruptibilib⁹ cõmune, quod est trãspiratio, aliquãdo siquidẽ hac sola viuimus, vt plãtæ, in magnis morbis, qui respirationẽ, & pulsum tollunt [licet breui tempore] hoc vnum solatium transpirationis est. *Resp.*

Vnde ad primũ dicimus, Hipp. per impetũ facientia omnes spiritus intelligere & eos, qui sensibiliter per arterias cõcitantur, & qui per transpirationẽ insiliũt, imo & eos qui per neruorum ductus. *Ad 1.*

Ad secundũ diximus, differẽtiã esse inter respirationem propriam & alias motiones spiritus: illa per musculos, istæ vero, & trãspiratione perficiuntur, & pulsu. Elegantẽ locũ adduximus ex Galeno in nostro lib. de Pulsib⁹, vbi vocat pulsũ *Ad 2.*

vitalem respirationem cordis, sicut thoracis animalem.

Ad 3. Ad tertium dico, quòd trãspiratio, quę per poros fit, in venas transit, & per consensum neruos attingit; & animales spiritus: vnde obturata, & compressa parte externa impeditur transitus aeris ad venulas, deinde ad reliquas partes musculosas, & neruosas.

Ad 4. Ad quartũ concedimus in torpore impediri spiritum animalem, aut instrumẽtum motiuum, quia in torpore à cõpressione (de hoc loquitur textus) non solum aer transpirabilis impeditur; sed consequenter etiam vocatus animalis: nam si libera. & peruia esset transpiratio vsque ad aerem, siue spiritum animalem; sine dubio non impediretur motus animalis, (quantum agitur in hac causa.) Et ita exemplum, siue signum adductum de mẽbro cõpresso sufficienter explicat intẽtũ.

TEXT. XXV.

AT vero morbus ipse fit in pituitosis; in biliosis vero non. Incipit autem fieri in fœtu adhuc in ipso vtero existẽte.

Comment. SVpra diximus tex. 21. Comitialẽ morbum proprium esse pituitosis. Idem nunc repetit; huius rationẽ ibi inuenies. Quod autẽ in ipso vtero morbus incipiat dupliciter potest intelligi. Primò, quod causa ibi sumit exordiũ, & ex cõsequenti virtualiter effectus in sua causa. Secũdò, quod morbus actualiter lædens etiam in vtero incipiat. Vtrũque autẽ contingit, quando hereditarius est, causa semper à parentibus, & in parentibus seruata; morbus autẽ [vt scolasticè loquamur] in actu secundo aliquando incipit in vtero; quãdo sentiunt prægnantes quosdam motus Epilepticos ipsius fœtus; neque ratio cõtrarium poterit probare, nam causa, quæ extra vterum potest irritare cerebrũ pueri, quare non etiam intra vterum?

Sed notandum [vt infra dicam] quod duobus modis potest in vtero incipere. Primo iure hæreditario, comunicata intemperie Epileptica à parentibus. Secũdo (quamuis parẽtes perfectè sani sint;) quia ipse fętus nõ rectè purgatur, vt statim docebit Hippoc.

TEXT. XXVI.

PVrgatur enim, & florescit cerebrum, velut etiam aliæ partes, priusquã gignantur

Comment. EXplicat causam sanitatis, & morbi fętus: si enim bene purgatum fuerit in vtero, sanissimum statum habebit; non exactè purgatum, in morbũ incidet. Sed illa particula, antequam gignãtur, habet aliquid notatu dignum; & secundò, quæ purgatio? & quomodo fiat?

Duo dubia textualia.

Dico, fœtum (antequam in lucẽ exeat, si vires constant) propria excremẽta ex particularibus coctionibus resultantia, & quæ à parentũ seminarijs procedunt, expellere. Expellit autem prius attrahẽdo, & secernẽdo malũ à bono. Hoc opus si perfectè fit in vtero, nil amplius pro sanitate desiderari potest.

Prima purgatio ante formationẽ & tempore formationis. Incipit autẽ hæc purgatio in ipso semine, antequam formatio fiat, & durat toto tempore vsque ad partum. Nam calor naturalis, qui nunquã otiatur, partes seminales purificat attenuando, & quæ cruda inuenit, euaporando (non quidem mixtum ita purũ est, vt careat omni dissimili excrementitio.) Continuatur autẽ ista purgatio formato iã fętu à proprijs virtutibus vitalibus calorẽ ipsum eleuãtibus, & dirigentibus: nitente natura quoad possit sanissimum fętum producere. Habet ergo genitura duas sortes purgationis: nam quandam habet communem cum omnibus viuentibus mixtis, factam à calore attenuante, separante cruda, & æthorogenea, & congregante conuenientia: aliam, quæ per facultates vitales perficitur, quando iam fœtus anima fruitur, ita vt prima iam possit dici naturalis; postea

Purgatur fœtus iam formatus.

postea vero animæ subordinata dicatur vitalis. Vnde illa particula (*antequam gignentur*) dicit duo. Primò antequam formetur, & viuat, semper agit calor munus prædictum. Secundò postquam iam formatus fœtus non solum tenuat, & liquat expellenda, sed per vias debitas deturbat vt cerebrum omnino sanum sit, quod etiã & alijs partibus concessit natura. Et quã uis Martianus dixerit purgationem istã fieri à matre in suo sanguine nõ certe ad mentem textus, quia Hippoc. de geniture, & fętus actione loquitur. Præterea parum refert materna purificatio, si genitura non se purgat alliciendo meliora, & deturbãdo peiora. Quam veritatẽ longa experientia confirmaui, quia noui mulieres simul Hecticas, & Gallicas, & aliis morbis detentas, à me, & à socijs, soli prognostico derelictas, & parere puerulos sanissimos. Quid hoc est? quia purgat seipsũ fętus in vtero, & inter tã prauos humores eligit, & exquirit puriorẽ alimẽti portiunculam: An expectaret purificationem à matre? Nequaquam. Ad hoc quidẽ munus datæ sunt fętui facultates omnes, vt qui nouiter in mundum ad seruandam speciem venit; relicta materna vetustate morborum pullulet speciosus, & validus.

Martian.

TEXT. XXVII.

IN Hac autem purgatione, si quidem benè, ac moderate purgatum fuerit, & neque plus, neque minus, quam oportet, defluxerit, hic fœtus sanissimum caput habebit. Si autem amplior colliquatio à toto corpore facta fuerit morbosum caput augescens fœtus habebit, & sonitu plenum, & neque solem, neque frigus tolerabit.

Comment. DIximus istam cerebri (supponit esse partem affectam in hoc morbo) purgationem fieri à calore debito, & pro forma conseruatione contemperato (vt docuit eleganter per plures textus lib. 1. de Dieta in nostra Hip. philosophia) Vocat istam actionem colliquationem, quia certe crassi, & lenti humores, quales pituito si non possunt debili expulsione moueri, (qualis in fœtu reperitur in illis primordiis) nisi liquentur; liquati facile excurrũt ad vias ductuũ. Hæc itaque liquatio, & attenuatio modum requirit; nam si maxima sit, fluet non solum quod excremẽtum est, sed innata substantia, & debitus humor, quæ retineri debent. Si autem infra subsistit, nondum exactè purgatio celebratur, & caput morbidum manet, & debile à flatibus plerumque, a quibus sonus continuus in auribus, & sibillus, neq; mutationes aeris poterit perferre, frigus scilicet, aut calorem; imo neque lucem solis præuisus debilitate. Vide quam aptũ cerebrum ad Epilepsiam. Illud autẽ quod dicit. *Augescens fœtus habebit caput morbosum, & sonitu plenũ*, adumbrat indicia quæ solent remanere in cerebro non purgato [post natiuitatem] Epilepsiam futuram indicantia.

TXET. XXVIII.

SI vero ab vna aliqua parte colliquatio contigerit, aut ab oculo, aut ab aure, aut vena aliqua simul gracilis facta fuerit, ille sic afficitur, qualiter sanè colliquatio contigerit.

DIcit nũc in particulari, quod antea de toto cerebro docebat; si enim illa purgatio superflui in quacũq; parte rectè fit vt in oculo, aure, aut lingua, sine dubio actio illius partis perfecta erit, & optimo visu, & auditu, & alijs sensibus decorabitur fœtus. At vero si è contra partes prædictæ non exactè purificentur, cæcus, aut surdus, aut mutus nascetur puer. *Comment.*

Addit autem quandã dispositionẽ, quæ videtur pertinere ad morbum in compositione venarum, aut vasorũ particulariũ;

quando dicit, aut vena aliqua simul gracilis fiat; quod sic intelligo. Venam gracilescere, & tenuari à calore; facta vero gracilis non sufficienter ducit, aut vehit alimoniam; aut arteria spiritum ad partem. Vnde pars simul laboret est necessum. Quod autem propter gracilitatem venarum multa mala contingant perspicuum est, si venæ vmbilicales tenuentur, aut obstruantur, fętus periit tabidus defectu alimenti; idem considera in venis ipsius fœtus; nam si arteriolæ, aut venulæ quæ, ad aures, aut linguam tendũt à colliquante calore arescant; simul sensoria pereũt.

TEXT. XXIX.

SI Vero purgatio non contingat, sed in cerebro spissetur, ac cogatur, necesse est fœtus pituitosos esse.

Comment. CErebrum necessario pituitosum esse, & ex consequenti fœtum ipsum, ex dictis colligit Hipp. vt probet conclusionem, quam posuit text. 25. fieri scilicet morbum Comitialem in pituitosis, & non in biliosis, nam si pituita in cerebro congesta non purgatur. & calor nũquam ab actione cessat, sequitur pituitam fieri crassiorem, particulis quibusdam resolutis. Rursus à cerebro in ventriculum descendere, & in reliquas partes quis negabit? Sic fœtus pituitosus euadit.

TEXT. XXX.

ET Quibuscunque quidem pueris existentibus erumpunt vlcera in caput, & in aures, & in reliquũ corpus, & qui saliuosi sunt ac mucosi, hi ipsi progressu ætatis facillime degunt: hic enim abit, ac purgatur pituita, quam in vtero purgari oportebat; & qui sic purgati fuerint, Comitiali morbo, siue Sacro fere non apprehenduntur. Qui vero mundi sunt, & neque vlcus vllum, neque mucus, neque saliua vlla prodit, neque in vteris purgationem fecerũt, talibus periculum imminet, vt ab hoc morbo corripiantur.

PRobat à posteriori, & ab euentu à pituita (non purgata in vtero) morbum Sacrum procedere. Quicunq; pueri pituitam per nares, aut per os, aut per capitis vlcera, aut pustulas excernunt, sanissimi degunt toto vitæ spatio: ergo signũ est pituitam esse morbi huius causam; nam illa videtur causa alicuius effectus, qua existẽte contingit, ablata aufertur; sed expurgata pituita in pueritia, reliquo tempore morbus iste Comitialis nõ apprehendit: ergo talis humor, vt plurimum in causa est tanti mali. Comment.

Discant tyrones ex isto loco quomodo pueruli sint tractandi, cum capitis pustulis, vlceribus, aut custris affliguntur, cum & per aures, per nares, & os copia fluit pituitosi humoris; non enim coercenda ista vacuatio, cum sit à nobilibus internis partibus ad externas, exonerante se natura à copia, quam in vtero excutere non potuit: plurimi qui curationem subeunt, moriuntur suffoccati, aut apoplesia, aut Epilepsia, aut læthargo, aut alio soporifero affectu, aut thoracis, vel pulmonis mortalibus morbis. Igitur naturã relinquere oportet, quo vergit ad externa abscessũ facientem. Nam quod in Aphorism. dixerat mortale esse, Erisipelam introuerti; etiam de alijs abscessibus intelligendum est; dũmodo recursus non fiat ad vias purgationis, sine Principum partiũ periculo.

Raro tamen recurrit humor, sine damno interno, sed in nostro textu habet singularem efficaciam; nam excrementa cerebri per emunctoria repurgantur, per aures, nares, os, cutem; non tãtummodo retro aures. Tam excrementosum membrũ oportebat purgari, sed per multas alias

vias, vt tam eleuatæ potentiæ restringes liberè suo munere fungerentur: immo & per lipitudines oculorum.

Per pustulas intelligimus quicquid extraneũ est, inquod humor degenerat, furfures scilcet, ichores, scabies, pediculos, & alia huiusmodi. Vlcera à pituita possũt causari, à calore tenuata (vt exeat) salsuginẽ adquirit, & erodit, nisi velis etiã aliquid biliosi succi admisceri: præserti min calidioribus infantulis, sufficit tamẽ sola pituita calefacta. Igitur plus securitatis habent pueri his vacuationibus firmati; illi vero, qui pauca, aut nulla habent cerebri excrementa, & mundi sunt, parationes existunt ad morbum. Ex ista vacuatione à natura facta, & ex crisi hac, didicit ars humores per cutem in pueris deducere, & ruptoria facere, vt à morbo Sacro liberentur. Tamen quia aliqui dubitant, an puerulis, & infantulis sint applicandæ fontanellę, parumper in hoc puncto detinendum, non sine vtilitate.

DIGGRESSIO.

An precautionis gratia in suspitione Epilepsiæ, infantullis fontanellæ aperiendæ, & quo loco?

LIcet nostrũ institutũ ad explicationẽ huius libri solũ dirigebatur, quia practicas difficultates, fęlicissimè ab alijs authoribus, non solũ tactas sed ad perfectionẽ ductas inuenio, tamẽ aliquæ sunt, quarum enodationem fugere non possumus, quia magna ex parte huius libri authoritate fulciuntur, hoc loco plures confirmant fontanellas aperiendas puerulis, quibus deficiunt expurgationes cerebri, ne incidant in Epilepsiam. Hoc igitur obstaculum, aut tollendũ, aut declarãdũ, ne magni Hipp. doctrina causam tribuat errandi.

Primò, aut puer exit morbo Epileptico Hæreditario affectus; aut non. Si hæreditarius, habitualis necessario censendus, si habitualis, quis audet tam fixam dispositionem, & radicatam arcere; cũ incurabilis existimetur? in morbo incurabili, prognosim extollit, curationem respuit Hipp.

2. Quia vt plurimum morbus Sacer in qualitate præter naturã consistit, quã intẽperiã Epilepticam nominamus (loquimur de Epilepsia per essẽtiã hæreditata, aut postea succrescẽte, non de ipsa accessione, quæ sequitur ad generatã obstructionẽ, estquidẽ maximè diuersa res.) Sed talis intẽperies non potest curari per fontanellas, ergo neq; præcaueri. Ostẽ litur: nam intẽperies facta quęlibet illa sit, solo contrario curatur; fiens admittit causæ cõsiderationẽ, tamen facta, & indepẽdẽs ab humore, impossibile est per euacuatione aliquã curari quæuis illa sit, nõ aliter ac hectica: Ergo sicut hecticis nullũ beneficium præstatur per fontanellas, aut per aliam vacuationẽ, sed potius certissima mors. Ita dispositio illa facta in cerebro, quæ dicitur Epilectica semini, aut sanguini menstruo indita, nõ potest per ruptoria aboleri, sed per sua cõtraria. Quod autẽ talis morbus Hæreditarius, vt plurimum consistat in aliqua qualitate, quæ reddat cerebrũ aptũ ad incidendũ in accessiones conuulsiuas, admittunt omnes. Ex quibus sequitur, neque præcautionis gratia convenire fontanellam, quia ista nil adimit de aptitudine ad cadendum in paroxismum: quæ aptitudo fundatur in qualitate impressa habitualiter in substãtiã cerebri: non potest adimere, quia nõ habet contrarietatem cum illa.

3. Quia adhuc accessiones ipsas fontanella nõ impedit in ista habituali, aut per essentiã Epilepsia: quia fontanella tertię regionis excremẽta conuocat, & expurgat; prodest mirificè fluxibus à partibus externis in alias externas. At vero fluxibus à partibus internis, ad internas, aut nil, aut parum, aut longissimo interuallo prodest. Sed [quod maximè notandum] intemperies habitualis Epileptica, paulatina, & occulta congestione recrementa generat, quæ cadentia

in cerebri cauitates, Epilepsiam concitat; non remituntur talia excrementa, ad partes dissitas, sed ad vicinissimas. Quãta est vicinitas inter piam matrem, & substantiam cerebri? Quanta est vicinitas inter substantiam cerebralem, & ventriculos illius, & cauitates? Atq; ista excrementa licet in pauca quantitate sint: statim fere nulla facultate operante, aut parumper expultrice adiuuante, decidunt in vicinam cauitatem, & accessionẽ faciunt. Cùm ergo fontanella ista nullo pacto adimat particularia excremẽta internarum partium, quo pacto poterit prodesse Epilepticis, de quibus agimus?

4. Forsan prodesse poterit, si partes mandantes humorem, fuerint illæ, quas vocamus continentes (quia continent, & cooperiunt intimas) quales sunt cutis, adeps, membrana carnosa, pericraneum, craneum: tamen si partes contẽtæ, vt substantia cerebralis, aut pia, vel dura mater etiam laborent per propriam affectionẽ, aut hæreditariã, nullo pacto ab alijs partibus, trãsmisso humore; certè nõ apparet via, qua fontanellæ prodesse possint.

5. Experiẽtia confirmatur, cũ tales Epilepticos, licet multis ruptorijs oppressos, fontanellis, setonibus, vesicatorijs, &c. videamus; malum tamen suis viribus integrum vsque ad mortem perseuerat.

6. Teneritudo infantulorũ maxime cõtradicit, & repugnat. Miserrimũ certè, vt infans inter illos spiritus vitales generationis versatus [quos Arist. similes dicebat elemento cœlesti] cogatur experiri voracem ignis naturã nullo corpori parcentem, febres excitantẽ, humores quietos permouentẽ, omnẽ ordinẽ inuertẽtẽ.

7. Quia si pituita non recte expurgata fuit in vtero, vt hoc textu dicit Hippoc. potest alijs auxilijs deturbari; optima selecti lactis administratione, optimo nutricis, & contrario victu, abstersione sirupis blandis peracta, frictionibus, & aliquibus securissimis medicamentis, vt impleatur, quod scriptum est in Aphoris. quæ victus ratio non sanat, medicamentum sanat; quæ medicamentũ non sanat, ignis, & ferrum sanat. Quæ ergo est infelicitas infantulorum, vt solis illis statim postrema adhibeãtur remedia, nullo modo tentatis faciliotibus?

Quod probatur inferius ex Herodoto.

8. Circa locũ est difficultas. nã cõmuniter infra occipitiũ inter primã, & secũdã vertebrã causticũ, aut cauteriũ ignitum applicatur; quæ pars ob neruorũ exortũ, & cerebralis, & medularis substãtiæ propinquitatẽ, maximè timẽda est, eligẽdaq; videtur (si necessariũ fuisset) alia securior. Et quæ securior, quã retro aures? vbi glãdulas collocauit natura, ad cerebri superflua recipienda: melius ergo ibidẽ fluent excrementa, tanquã ad destinatã regionem. His, & alijs solet probari non esse ruptoria in casu dicto aperienda; tamen quid ex arte sentiendum sit. Aperiam.

Primò notãda sunt omnia, quæ de morbo Hæreditario diximus supra tex. 20. Nã si ibi adductas differentias non perpendas, & modũ generationis; neutiquã poteris in consultationibus curationem huius morbi per fontanellas decernere, neq; præsenti dubio satisfacere. Igitur postquã illum nostrũ discursum perfectè teneas, sequentes propositiones, tanquã manifestas, & rationalibus principijs innixas amplecti debes, & pro curationẽ obseruare.

Prima propositio. Si fœtus adamussim purgatus fuit in vtero, nõ incidet in morbum Sacrũ, & consequenter non indigebit fontanella. Sed interrogas quomodo dignoscam, an puerulus purgatus fuerit; nam de hac re nullus Author spcripsit. Huius solutio ex dictis, & dicendis constare poterit. Audi reliquas propositiones *1 Proposi.*

Secunda propositio. Si parẽtes toto vitæ decursu nullo modo accessione Epileptica fuerunt correpti, optimoq; rerũ non naturalium ordine vsi, existimare poteris, aut probabiliter suspicari extinctã esse qualitatem Hæreditariam, quæ forsan in antiquioribus antecessoribus præcessit: quod signum alijs adiũctum, maiorem certitudinem infert. *2 Proposi.*

Tertia propositio. Si mulier tempore grauidationis purgationes vteri ha- *3 Proposit.*

habuit [nam & istas sępe vidimus] pituitosas, aut alijs humoribus mixtas. Credendum est, magis liberum extare fętū, & saniorem. Quibus si adiungas abstinētiam matris à prauis edulijs, & largis potationibus, & moderata exercitia, & animi debita oblectamenta, autumare possumus fętum, à labe Epileptica depuratum exoriri. Nam sicut inordinatus victus morbum istum (qui nunquam fuit) de nouo generat: ita prudens gubernatio hæreditariam qualitatem deturbat, ablatis occasionibus, natura ad meliorē statum aspirante.

4 Proposit. Quarta propositio. Si puerulus in vtero tempore, quo debet moueri, validos, & exultantes motus manifestat: credendum est, cerebrum recte purgari, quia à cerebro vis motiua demandatur. E contra, si segnes, pigros, aut nullos motus efficiat, certum quippe est, quamuis nulla sit hæreditata malitia, posse de nouo fętū in illam incurrere, eo solum, quia invalidus est ad se expurgandum à proprijs, & matris excrementis.

5 Proposi. Quinta propositio. Ex vberibus magnum indicium desumitur, iuxta celebrem Aphoris. Hipp. lib. 5. tex. 52. *Si mulieri in vtero habenti, lac multum ex mammis effluat, debilē fœtum esse significat: si vero solidæ māmæ fuerint, magis sanū esse significat.* Certe, fętus robustus bene nutritur, meliorem partem sanguinis materni eligit, excrementa propriæ coctionis longe distrahit: quibus medijs cerebrum firmari, & expurgari, quis dubitat?

6 Proposi. Sexta propositio aliquid Astrologis condonat. Nam si Luna tale habet cum morbo Sacro consortium, vt per suas cōuersiones illum concitet, & ideò Lunaticus appellatur: non erit præter rationem inspicere, an tempore conceptionis ab Astris fuerit fętus debilitatus, ne valeat excrementa depellere, & tantū malum deuitare; vt Medicus difficiliorem æstimet curationē, quæ cœlesti influxui repugnare contendit.

Nunc conclusio responsiua quæstioni propositæ talis est, quæ nulla probatione indigebit, si propositiones quasi notabilia perlegas. Quāuis cognati, aut parentes morbo Sacro fuerint correpti, si infans recte purgatus, in lucem exierit, nullo modo conuenit fontanella. Ista conclusio ex prædictis sex propositionibus elucescit, & ex his, quæ diximus de morbo Hęreditario, tex. 20. Excremēta cerebri manutenent, aut conseruant qualitatem hæreditariam, si ergo natura omnia illa radicitus expellit, & mixtionē ad meliorē statū confirmat: nonne vides principia generationis ad præsentiā animæ fęlicius assurgere, & cōtrariā secūdā qualitatē, aut primam germinare posse? 1 Conclus.

Probat. 1.

Si mixta inanimata, si elementa, semotis impedimentis præternaturalē qualitatē exturbant: quare viventia (quæ perfectionibus præualent) semotis omnibus impedimentis morbosis ad habitum optimæ sanitatis non deuenient? Probat. 2.

Qualitas morbosa hæreditaria præter naturam est, ad cuius medelam in visceribus vitalis mixtionis, principium radicale latitat, vt emanet altera qualitas (sicut in aquæ forma latitat frigus virtuale) quæ omnem præter naturalitatem depellat. Notare quippe opus est, quod licet excrementa non pertineant ad mixtionē viuentis, tamen impediunt, ne emanet tēperies optima, quæ reducat se, & alias partes mixtionis ad perfectum terminū salutis. Ergo si sex propositionibus superioribus stabilitum puerulum videris, & exornatum, quamuis parentes laborauerint, neutiquam conuenit fontanella. Est quidem pessima consequentia, & ignorantiæ plena. Parentes sunt, aut fueruut Epileptici: ergo filiolo applicetur fontanella ad præcautionem: cùm præcautio aliqua poscat signa neutralitatis, vt causam paratam, aut latentem pellamus. Probat. 3.

Secunda conclusio. Si puerulus nō fuit purgatus in vtero, & cognati, aut parentes morbo oppressi Comitiali fuerunt. Vehemens suspitio est qualitatē hæreditariā irrepsisse, & fętū maculasse, atque adeò indigebit aliqua præcautione, aut curatione, 2 Conclus.

Sed interrogas, quomodo cognoscemus non fuisse purgatum in vtero? Dico cognosci, si non videas illas quinque supradictas propositiones adimpletas. Praeterea si puerum inspicias mucosum, saliuosum, lipientem, torpidum, signum certissimum incepisse naturam in vtero, sed non potuisse peragere, neque illam pituitam, aut consumere, aut alibi detrudere; in quo casu tertia conclusio tibi offertur.

3. Conclus. Non oportet fontanellam istis in hoc statu apperire. Ostenditur: nã adhuc natura versatur in illa quasi crisi, & potius per easdem regiones adiuuanda; saltim per nares: quod munus praestabit Medicus, pituitam tenuando, & abstergendo, vt facultas potentior reddatur supra residuum. talis enim redditur, non semper per vacuationes (vt in adultis, aut febriẽtibus.) Sed disposito humore, & habiliori reddito, vt effluat. Neque tibi dico, vt herrinis vtaris, aut effumationibus per nares; suffocares certè puerum. Sed suadeo pituitam in ventriculo, aut cerebro disponere melle virgineo, cum aqua stilatitia peoniae, aut tiliae, &c. quorum ditissimam supellectilem inuenies in practicis doctissimis. Frictionibus etiam poteris vti, & lacte selectissimo, & medicamentoso.

Probat. 1.

Probat. 2 Si ista causa est in motu, & nulla vrget accessio. Quae indicatio cogit ad fontanellam? Nulla profecto, nisi ignoranter velis maiora mala excitare.

Locus Herodoti illustratus, pro intelligentia istarum conclusionum.

Probat. 3. ex loco Herodoti. SEd contemplandus se offert locus Herodoti, ad istarum conclusionum probationem, lib. 4. Melpomene, circa finẽ inquit: *Ad occasum vero Tritonidis lacus iam non sunt pascuales Peni, neque eisdem moribus vtentes, neque idem circa infantes, quod pascuales solent factitantes. Nam Penorum, qui pastorales sunt: an omnes non queo pro certo habere, sed plerique hoc faciũt. Vbi filij ipsorum quadrimi effecti sunt, venas verticis illorum lana succida inurunt: nõnulli venas temporum. Eam videlicet ob causam ne vllo vnquam tempore phlegma, idest pituita defluens capite, officiat. Eaque de re se aiunt esse optima valetudine. Et sunt revera Peni inter omnes, quos nos nouimus, homines saluberrimo corpore. Incertum mihi an ob hanc causam: certe optima valetudine sunt. Quod si pueris inurendis spasmus existat, inuenta est ab eis medicina. Vrina enim Hirci inspersa eos liberãt. Ea refero, quae ipsi Afri narrant.* Haec Herodotus, digna quidem vt paululum evoluamus.

Dicit, eum fuisse Penorũ morem, qui iuxta Tritonidis lacum ad occasum habitabant, vt pueris quadrimis [idest, qui iam quarto anno transacto aetatis, quintum agebant, aut qui quarti partem] inurerent verticem capitis, & aliquibus tẽpora, ignita lana: sic pituita consumebatur, caput roborabatur ad causas futurorum morborum superandas. Existimandum est, vlcuscula superficialia in capite excitari ab igne, & aliquo tempore manantia, cerebrum, & tunicas, craneumq; ipsum expurgari, & exsiccari, tandẽ crassiore cute generata, aut pluribus cicatricibus obductis totum caput solidari, & calidius remanere aduersus morbos pituitosos. Haec est prima pars sententiae Herodoti, quam aliqui Medici sinistrè intelligunt ad praesentem disputationẽ, quia Herodotus ait, illam gentem vsque ad quartum annum non applicasse ignẽ puerulis. Hic agimus de vsu, qui in Italia inualuit, & iam in Hispania incipere videtur, vt nuper natis, ignis potentialis, aut actualis adhibeatur in suspitione morbi Comitialis: non igitur ad hunc punctũ citanda est sentẽtia Herodoti. Secũdò, quia illę vstiones fiebant contra omnes morbos à pituita, non in particulari contra Epilepsiam, quae à varijs humoribus, & vaporibus potest accidere, quod expresse ait Herodotus.

Dubium Sed dubitabis circa historiam: nam dicit illam gentem salubriter viuere, nullisque morbis tentari, an forsan quia non laborabant morbis pituitosis, ideò saluberrimi dicendi?

Res.

Resp. Respondeo, morbos propios illorum populorum potius fuisse pituitosos, quod ex situ constat; nam iuxta insignem paludem erat illorum habitatio, & ad occasum illius: ita vt non solum humidissimo aere semper circunfusi existerent, sed oriente Sole necessario, omnes illius lacus vapores ad occasum mouerentur, & domos illorum hominum replerent, assiduasque nebulas respirarẽt. Ergo vt plurimum morbis pituitosis vexabantur: cõtra quos aptissimum auxiliũ inuenerunt, vstiunculas partium externarum verticis, & aliquando temporum, sic caput exsiccatum in tam humido loco poterat liberari. Nec mireris, quòd locum prædictum à prædominio humidũ statuerim. Nam lacus ille Tritonidis, quem refert Herodotus, magnus est, & fluuio insigni ortum exhibet, qui nomen Lacus seruat, & Triton dicitur (quia verò Pallas Dea in illo lacu primũ apparuit, Pallas Tritonia ab Antiquis appellata.) Saluberrima igitur illa gens dicta, quia à patrijs morbis eo remedio liberata.

Tamen secunda pars sententiæ Herodoti animaduertenda. Ait. *Quodsi pueris inurendis spasmus existat, inuenta est ab eis medicina. Vrina enim Hirci inspersa eos liberant.* Iã non loquitur de morbis pituitosis in genere, neque de pueris quadrimis; siquidem absolutè inquit. *Si pueris inurendis spasmus existat.* Nondum ergo erant vsti, neque quartũ annum attigerant; quos, si spasmus apprehendebat, nõ vtebant, sed vrina Hirci fouebant, lauabant. Ergo clare vides, Penos medicamẽtis alijs curasse spasmum puerorũ, & non igne. An Herodotus per spasmum intelligat morbum Comitialem, incertũ mihi est. Sed cùm plures morbi à symptomate nomen adquirant: credendum est per spasmum, Comitialem intelligi, quia ex motibus comvulsiuis, siue spasmosis, vt ex proximo, & immediato inditio Comitialis accesio dignoscitur.

Ex loco Herodoti conclusio tertia firmatur.

TAmen quidquid senserit Herodotus de spasmo, & Comitiali morbo, nil interest ad nostrum textum, ad quẽ iam accedo. Et supra dictam tertiam cõclusionem confirmo. Nã in affectibus spasmosis Peni medicamentis vtebantur, nõ igne, faciliori medio tentantes malũ abigere, & quidem vrinam Hirci applicãtes, sanabantur pueri: ergo nos cum Hippocrate Magistro; nunquã ignem applicandum censemus, vsque dum medicamentorũ vsum experiamur, quæ mitiora, & blanda sint. Quodsi hæc non prosint ad valentiora transeundum.

Dub. Sed dubitas circa tertiam conclusionem: diximus contingere, vt puer quasi quadam crisi expurgetur extra vterum per regiones, quas cerebro habet destinatas natura. Sed Hipp. præcepit in Aphoris. nullis medicamentis esse vtendum, sed sinere oportet ea, quæ iudicantur: ergo præter rationem adductus est locus Herodoti.

Resp. Sed ausculta obsecro. Non dico in 3. conclusione, audaciter ad medicamenta esse accedẽdum, sed (sicut facimus in vacuationibus pigris) subueniẽdum, ne detineatur humor, & aliquam accesionem faciat: hoc autem consequimur faciliorìbus, manudicimus naturam, non irritamus, reprehendimus temeritatem multorum, qui statim fortia medicamenta suadent. Peni quidem, vsque ad quartum annum, igne non vtebantur in pueris, sed alijs medicamentis, vt Hircina vrina in spasmo. Vbi notandum, nunquã isto medicamento vsos fuisse vsquedum, motus comvulsiuis, aut comvulsio apparebat; ergo cum Hippoc. sentiebant, per gradus quosdam paulatinos esse medicandum; aliquando tardam naturam excitando, aliquando partem humoris resoluendo, aliquando vires roborando. Non igitur præter institutum est locus Herodoti, vt postea magis clarescet.

Sed

Sed quando de infantibus Penorum locuti sumus, dubitare quis posset. Quare pueri, spasmo, aut forsan aliqua specie Epilepsiæ affecti, sanabãtur vrina Hirci admota? Dico ægrotos illos (vt iam supra tetigi) à pituitosis causis laborare, & ab humoribus crasis, & viscidis. Vrina Hirci maxime calida est, & subtilium partium ad penetranda membra, & discutiẽdum humorem; erat igitur saluberrima lauatio facta ex vrina, & linteorum eadẽ madefactorum applicatio. Nam de sanguinis Hircini fortitudine ad dissoluẽdos lapides, plura legimus, & vidimus. Quare similem virtutem non concedamus sero illius? saltem ad dissoluendum humorem crasum, & calefaciendam pituitam, & tandem resoluendam? Ad quartam cõclusionem deuenio.

Dubium.

4. *Concl.* Si alia non prossunt medicamenta pro isto morbo puerili, & accessiones vrget, capiteper essentiã affecto fontanella sine dubio aperienda. Hæc conclusio, omnino deturbat, & prohibet vsum ignis circa caput, vbi per consensum afficitur, vẽtriculo, aut toto corpore, aut alia inferna parte humores, vel vapores amandante. Ista conclusio non indiget probatione, cum notissimum sit maiorem partem curationis, & prouidentiam ad partes transmittentes esse conuertendam.

Dub. At statim insurgit dubitatio. Si intemperies Epileptica, nullo modo per fontanellam aufertur, & alia ex parte debilitatur caput vicinitate vlceris, videtur maius esse damnum quam commodum.

Resp. Respondeo (explicando magis, & probando conclusionem) in similibus morbis per essentiam dictis; in ipsa parte laborante est principium morbi, & symptomatis; nam illic inest intemperies, & in eadem parte congeruntur excrementa, quæ actuales accessiones depromunt. Cum igitur superflua, quæ ex continua coctione supersunt, non sufficienter à natura pelluntur; ars circa eandem partem emunctorium nouum fabricat, vt particulam vlceratam occupet superfluum excrementum, & saltim accessiones vitentur. Non sufficiunt reliquæ viæ, (nares, aures, comissuræ, oculi, os, &c.) sed ex citato vlcere, excitatur expultrix, quasi noua regione dolore inuenta. Quod si illa excrementa Epileptica (sic nomino, quia ab intemperie tali proficiscuntur.) continuam habent diuersionem ad ruptorium, iam diximus, quod ablatis impedimentis non solum cessauit accessio, sed intemperies poterit mutari ab intrinseco vitali principio. Ergo omnes practicæ doctissimorum virorum, & omnia illorũ consilia, quæ fontanellam laudant, & extollunt, prædictis fundamentis innituntur. Superest vt dicamus quo tempore, & quo loco?

Manifestissimum periculum vitæ spectare oportet, si recens natis applicetur, vel fontanella, vel setaceum, aut aliqua vstio. Equidem tenerrimũ corpus, quod omni ex parte exhalat, & vias patulas habet à calore proprio, & vteri dilatatas, & cuique malo peruias credendum est, citissime cõpati intranea, & aut febre, aut maiore mali commotione, & lactis fastidio fatiscat puerulus. Vnde nil mirum, quod Peni quatuor annis vstiunculas retardarent, vsque iam puer ablactatus, solidioribus vtens alimentis resistere posset. Et quidem non ferro, sed lana, quasi stupa ignita leuissime primam cutem vlcerabant.

Sed interrogas quo ergo tempore vstio conueniet? Dico prudentiæ Medici hoc relinquendum: dummodo obseruet nullo modo esse tractandum puerulum prædictis medicamẽtis circa ortũ. Si enim exit iam accessionibus oppresus, morietur statim, & merito infamarentur talia auxilia, quæ sine vlla spe vtilitatis, mortem accelerant. Ergo vt dictum est alijs suauioribus vtendum, vt faciebant Peni, & quanto longius à partu alia tentare. Inspecta attentissime conditione infantis, an valeat tolerare, an tanta sit copia excremẽtorũ, vt etiam ruptoriis apertis, nequeat expellere. Omnia ista non cadunt sub arte, sed ad maturam æstimationem cordati Philosophi referenda, dummodo impijssimum

simum putet, talia aggredi, sine actuali, & vrgenti necessitate, & sufficientibus viribus. Sitque semper persuasum, præcautionem alijs posse solicitari auxilijs.

De loco cui debet applicari manus chirurgica non possum probare indistinctam audaciam. Nam qui futuram coronalem, qua sagitali committitur cauterio, aut actuali, aut potentiali aggredi debere contendunt, manifeste aberrant. Nec me potest mouere perdoctus vir Fabricius ab Aqua Pen. qui de oper. chirur. cap. de fonticulo quinque rationibus probat huius loci vtilitatem. *Fabric.* Ego semper cōsidero in aliqua indicatione, pondus contrariarum, harum vires penitius contemplandæ. Apertæ sunt rationes Hieron. Fabricij, & probant quod intendit; sed non ponderauit damnum, quod potest sequi ex tali cauterio; siquidem ossa in isto loco tenuissima sunt, & membrana duriuscula, fibris, neruis, arterijs, venis, pericraneoque cōiungūtur, & facile inflāmatione exorta, cerebrum, in consensum deuenit. Ergo si tanta vrget necessitas (vt in Apoplexia, & similibus) expurgandi ab ipsamet parte, non cauterio, sed cutaneis solum vlcusculis, vt faciebāt Peni. Video meam sententiam probari à doctiss. illo Montano in suis cōsilijs 36. 143. & 170. *Montan.* A Mercurial. in suis etiam consil. *Merc.* à Fabio Pacio 5. meth: cap. 13. *Fab. Pac.* Ludouic. Sep. in animad. med. testatur *Ludo. Sep. Li. 6. n. 107* per spatium 40. annorum, nullum commodum ex tali cauterio vidisse, sed multa pericula. Idem sentit Zechius in suis *Zechius.* consultationibus cons. 75. & refert vidisse quendam, qui statim à cauterio in phrenitidem incidit. Sed quid spectas crassos, & graues humores ascensuros ad superiora, cum proni potius sint ad inferna? ergo si ruptorium in decliuiori possit parte collocari, fœlicior exitus spectandus.

Alia opin. Hinc aliqui partibus adenosis retroauresdicunt debere imponi tale cauteriū, cū sint à natura destinatæ ad excipiēda cerebri recremēta. Sed in his de quibus loquimur puerulis timēdus esset, ad fauces angi nosus affectus. Melius ergo inter secundā, & tertiā vertebram infra partē posteriorē capitis fonticulus aperiendus, cui vtilitatem debendam putamus, & cum minori periculo; nam locus anterior qui eligitur à Fabricio Aqua Pen. non ita à parte ipsa euacuat, aut deriuat, sicut in posteriori parte à nobis signata. *Conclus.* *Fabricius.* Quia illa vena, quæ ad cerebrum tendit, cuius mentionem facit Autor iste, potius monstrat, magis deseruire fontanellam, ne humores confluant ad cerebrum, quam vt ab ipsa parte vacuentur.

Illud vero non est silentio prætereundum; in istis conflictibus capitalibus melius probari setones, vt qui duo habeant orificia, quibus humor expurgetur, & sine vllo periculo. *Eligendi Setones in hoc casu.*

Monemus tandem, si puer liber iam est & recte expurgatus, & sponte vlcus renuit manus artificis, clauditur, & solidatur, ne iterum ad noua tormenta infantē reducas; fidendum aliquid naturæ. Vidimus miseros euentus ob nimiam solicitudinem curantium. *Errāt qui clausā fontanellam, iterum aperiunt.* Quod consilium maiorem vim habet, si nulla accessio, aut in parentibus, aut in puero visa fuit. Nam tunc sine metu relinquendus est puer, quamuis claudatur fontanella, cūm certissimum adsit signum exactæ purgationis, & reductæ temperaturæ.

Sed iam videndum est vtrum illa, quæ proposuimus argumenta aliquid habeāt dubij.

Ad 1. arg. Diximus in lib. de Morb. & symptom. & hic etiā; morbos internos deprauatæ cōpositionis esse incurabiles. Sed eos qui in intemperie licet hæreditaria cōsistūt sapiētis Medici iudicio subijci; est vero maxime aduertendū, posse ad morbū Sacrū hæreditarium concurrere deprauatam cerebri structuram, quæ etiam omnino erit incurabilis; in aspectabilem naturam dixit Hippocr. lib. de Dieta mutare est impossibile.

Ad 2. Ad secundum dico. Intemperiem non curari fontanellis (vt recte dicit argum.) sed ablatis excrementis, & omnibus impedimentis, natura producit per eminatio-

nationem, sibi bonam qualitatẽ, vt aqua frigescit semoto igne.

Ad 3. Concedimus propriè fontanellas tertiam respicere regionem, & primario; & ita si causa Epilepsiæ esset in craneo, aut tunicis, proculdubio statim, & manifestissime opem ferret. Tamen illa recrementa ex cotidiana coctione substantiæ cerebri, & partium circumiacentium non minus deriuãtur, sed æque feliciter natura, paulatim trudit; quæ paulatim generantur. Vbi notandum, quod non solum vacuantur, sed diuertũtur, ne incidant in cauitates cerebri, & sic vitatur accessio, & roboratur optima temperies.

Ad 4. Idem ad quartum. Nam licet prædicta intemperies non esset in partibus cõtinentibus, sed in ipsa substantia medullari cerebri: eandem vtilitatem præstaret fontanella, nam prædicta recrementa substantiæ cerebralis, paulatim diuertit à cauitatibus.

Ad 5. Dico, si aliquibus non profuit istud auxilium id contingere multis de causis. Etenim omnes qui laborant per consensum ab aliqua parte inferna, fontanella iuxta caput adhibita, peribunt sine dubio; nam partes mandantes nunquam cessant à transmissione humoris imbecillitato amplius capite, plusq; recipiet. Igitur hoc sit statutum nocere potius fontanellas circa caput, si ab hepate, si à crure, si à ventriculo, si ab vtero, si à toto corpore, &c. pendet causæ transmissio.

Ad 6. Ad sextum iam dictum est, magnam impendendam solicitudinem, vt quantum possibile sit, à partu distet puer, & imitando Penos, alijs remedijs, saltim retineamus malum, vsque dum, tam recens teneritudo solidetur; nisi grauissima sit vrgentia, prædictoquè prius periculo.

Ad 7. Septimum argumentum non est contra nostram determinationem, sed illam confirmat.

Ad 8. Ad octauum iam locus explicatus est.

TEXT. XXXI.

SI Porrò ad cor progressum fecerit defluxus, tremor apprehendit, & anhelationes, & pectora corrumpuntur; aliqui vero etiam curui fiunt. Cũ enim descenderit pituita frigida ad pulmonem, aut ad cor, perfrigeratur sanguis, venæ autem perfrigeratæ violenter ad pulmonem, & cor resiliunt, & cor tremore concutitũr; vt præ hac necessitate anhelationes incidant, & spiratio ceruice erecta. Non enim spiritum suscipere potest, donec ia quod influxit à sanguine, fuerit superatum, & calefactum in venas fuerit diffusum.

ENarrat quę morbo Comitiali coniunguntur accidentia, & illorum causas, nam quamuis aliqua possint contingere, sine morbo prædicto per solum defluxũ ad partes, quas refert; tamen satis constat Hippocratis scopum esse, quæ accidunt in morbo Sacro ad propias causas reducere; sicut falso Magi illi reducebant ad Deos, vnicuique accidenti suum Deum assignantes, vt supra visum est. *Comment.*

Cum morbus iste inuadit, non solum pituita cerebrum aggreditur, sed plures alias partes tentat, nam vt liquata fuit, vt penitiores partes capitis adiret; ita etiam aliqua portio ad alia membra descendit ad thoracem, ad pulmonem, ad cor: vnde tremor, & palpitatio, respirationis difficultas, anhelatio, orthoplinea, quæ accidentia pectoris corruptiones appellat. Curuantur præterea; quod accidens Areteus etiam adduxit lib. 1. cap. 5. dicens: *Ceruix incuruatur, siquidem nonnumquam pro-*

pronum, sicut arcus inflectitur, &c.

Causam dicit esse pituitam refrigerantem venas: venæ autem sic refrigeratæ retrocedunt, siue resiliunt ad cor, & pulmonem, non quidem quod venæ retrocedant, aut saltum faciant, sed sanguis contentus concurrit ad interna (quasi per antiperistasim) perfrigeratus à pituita, & impeditus, ne extendatur per totum corpus, retrocedit ad fontes caloris, & facit tremores, & suspiria anhelosa. Præterea posset quis dicere, venas violenter refrigeratas à pituita defluente, resilientem, sanguinem ad cordis, & pulmonis spatia à calore, & motu dilatata; redit vero libera respiratio postquam pituita fuerit à sanguine calefacta, & tenuata, diffusaque per venas.

TEXT. XXXII.

DEinde, & tremor, & anhelatio sedatur, sedatur autem prout copia eius fuerit; si enim amplius influxerit tardius, sin minus, citius. Et siquidē densiores, ac crebriores fuerint defluxus, crebrius Comitiali morbo corripitur: sin minus rarius. Hæc itaque perpetitur homo, si ad pulmonem, & cor fluxus processerit.

Comment. AGit de duratione istorum accidentium. Sequitur autem duratio quantitatem, & qualitatem causæ, & robur, aut debilitatem caloris naturalis. Si multa, & crassa fuerit pituita tardius liberantur ægri. Si pauca, & tenuis, breuiter. Si medio modo se habuerit, etiam medio tempore persistet. Si frequenter inuadit morbus Comitialis, & eius accidentia etiam fluxus frequenter fit. Intelligit defluere humorem pituitosum; nam ad parietes internos cerebri fluit emissus ab alijs capitis particulis [si primarius morbus est) aut ab alio membro inferiori], si per consensum. Et rursus in reliquas partes læsas, quales sunt pulmo, & cor, vt mōstrāt accidentia, nam & postquam excitatus est æger à paroxismo, videbis manifestas pulsus mutationes, & pectoris cōstrictiones, ob partem humoris defluxi.

Quæ omnia nobis indicant quales extiterint in accessione: vnde ni fallor, hunc textū non percepit Martianus. Itaq; semper fluit humor, vt Epilepsia fiat; nā quāuis in ipso capite generetur ab intemperie propria; fluit tamen tempore accessionis ad interiores partes cerebri, frequenter, si frequens sit fluxus; raro si per interualla maiora fiat.

TEXT. XXXIII.

SI vero in ventrem; profluuia alui apprehendunt; si vero ab his vijs exclusus fuerit, & in venas, quas dixi, defluxum fecerit; mutus fit, & suffocatur, & spuma ex ore effluit, & dentes constringuntur, & manus conuelluntur, & oculi distorquētur, & nihil sapiunt. Aliquibus autem stercus inferne secedit; atque hæc fiunt aliquando in sinistra, aliquando in dextra, aliquādo in vtraque; quomodo ergo singula hæc perpetiatur, ego narrabo.

ALias partes refert, in quas incumbens humor accidentia plura causat; nam si ad ventrem descenderit, deiectiones sequūtur. Si vero rursus hanc non incommodam regionem relinquens iterum (quasi turgens) ad superiora recurrit con- Comment.

Conuulsiones oculorum, & mammarum, dentium cõpressiones eueniunt, & sensuũ priuationes (has enim vocat insipiẽtias.) Aliquando etiam inuoluntaria, & non tentata accidit excrementorum deiectio. Sed notanter dixit; *aliquando in sinistra fieri conuulsiuos motus, aliquando in dextra, aliquando in vtrisque partibus.* Cõtra suppositionem illorum Magorum, qui supra dicebant conuelli quasdam partes, & non alias.

Sed quid est quod Hipp. dicit, si in vẽtrem tendit humor, eueniet fluxus ventris; & postea dicit: aliquibus stercus secedit?

Dico multa diuersa docere Hippocratem, nam in prima parte signat locum, & regionem, qua tendere incipit humor, sede relicta, & noua incepta via, quasi turgens superiora petit ad pernitiem ægrotantis; melius fuerat profluuium ventris præsertim cum humores frigidi, crassi, & graues hanc regionem respiciant. At postea cum dicit: stercus secedit. Aliud, maximè diuersum symptoma commemorat, quod solet contingere defectu sensus, & facultatis retrentricis, & alia ex parte cõcitato illo motu conuulsiuo totius corporis propellente, quæ non retinentur. Vnde non solum stercora in accessionibus Epilepticis secedere solent, sed semen etiam inuoluntariè, quod Aretheus docuit lib. 1. cap. 5. *vbi ad mali remissionem* (inquit) *perueniunt, aluus fluit, nonnullis ad strictis, compressisque vasculis genitura excernitur.* *Arethaeus.*

TEXT. XXXIV.

MVtus quidem est, cum pituita repente in venas delapsa aerem excluserit, & non admiserit, neque in cerebrum, neque in venas cauas, neque in ventriculos, sed occuparit respirationem.

Comment. APparere incipiunt multa difficilia, & perobscura; attentionem petit maiorem noster Magister. Pro cuius intelligentia notandum est, consuetudinem Hippocratis fuisse mutos vocare non solum ἀφώνους, idest sine voce, sed per excellentiam illos, qui omnium rectricum operationum priuationem incurrunt, ita lib. 4. Aphor. Galen. monet. *Maxime* [inquit] *obseruanda est Hippocratis consuetudo, qui mutos nominat illos, qui quouis modo obstupuerunt*, sed clarius lib. 6. Aphor. 51. his verbis: *Mutos solet Hipp. nominare, nõ eos tantum, quibus læditur vox; verum secundũ exuperantiam quandam vna cum eius læsione dat nobis intelligendas omnes, quæ sunt, secundum electionem, operationes, &c.* Vnde Hippocrat. incipit causas reddere mutescentiæ, & Epilepsiæ simul, quia eędem sunt; non quod mutus necessario sit Epilepticus, sed è contra, quia omnis Epilepticus mutescit, siquidem eadẽ causa, quæ sensationes internas prohibet, simul aufert vocem, vt hic declarat.

Sed cum omnes sensationes externæ deficiant, quare Epilepticos, aut Appoplecticos mutos appellat? & cur non surdos, aut cæcos? Existimo, quia cum agat de morbis hominibus contingentibus, & solius hominis sermo proprius sit actionum internarum explorator: mutus dicitur per antonomasiam, quia sic oppressi, neque internum verbum, neque externũ edere valent, D. Greg. idem explicabat 2. Moral. cap. 5. dicens: *Alienis oculis intra secretum mentis, quasi post parietem corporis stamus; sed cum manifestare nos metipsos cupimus, quasi per linguæ ianuam egredimur, vt quales simus intrinsecùs ostendamus.* *D. Grego.*

Cum igitur istis morbis oppressi, nullam cogitationem, nullum verbum forment internum, neque loquelam externam, ergo diuinus Hipp. philosophice loquitur, quando tales ægrotos per excellẽtiam mutos nominat, quia non solum lingua, sed internis verbis mutescũt. Sed cũ in hoc textu, causas humorales huius mutescentiæ doceat: illas ponderemus.

Pi-

Pituita, inquit, repentè, & impetuosè delabitur ad vacuitates, siue spatia, per quæ spiritus fluit, & refluit, vocatq; istas cauitates ventres, & venas [male omnes interpretes vertunt vētriculos; tale enim vocabulum non est in istis textibus; sed ventres.) Cumque pituita impediat exitum, & ingressum spiritus, qui omnibus operationibus necessario inseruit, sequitur, vt ad spiritus defectū deficiant operationes. Non enim potest lingua loqui sine spiritu à cerebro continuè transmisso: ergo cum etiam in ipso fonte deficiat spiritus ad actiones internas, mirum non est, quod simul deficiat ad externas. Sed quomodo pituita impedit ingressum, & egreisū spiritus? Dico, quantitate, & qualitate: quātitate quidem obstruendo, aut impediendo ingressum externi aeris, qui materia partialis est spiritus; sicque nec ad organa sensus potest exire qualitate, spiritum iam genitum alterando, inspissando, torpidumque reddēdo, sicq; mutescentia fit in lingua, & detentio facultatum internarum, per priuationem debiti spiritus animalis.

Dub. (margin, beside "est, quod simul deficiat ad externas. Sed")

Dub. Sed dubitabis, quomodo pituita, quæ ista mala causat in cerebro impedit respirationem? Hæc ad musculos pertinet thoracis, inquit in vltimis verbis textus, *Pituita occupat respirationem.*

Dico, quod in doctrina Hippocratica multiplex est respiratio. Prima, quæ proprie talis est, & hæc (aere attracto) celebratur ad motum thoracis, & pulmonis. Secunda, quæ eodem aere inspirato per nares, & os ad cerebrum spiritus animalis materiam quādam defert. Tertia per totius corporis venas, & arterias, per quas aer, siue spiritus discurrit: igitur pituita in cerebri cauitates delapsa impedit, ne aer intret ad illas, & impeditur secunda respiratio cerebri, quæ naturalis potest dici, quæ est debita dilatatio, & cōpressio illius: nam sicut cordis pulsus intermittit, ita motus cerebri dilatatiuus, & compressiuus potest intermittere. Prima verò respiratio, quæ proprissime talis est, impeditur etiam, quādo tanta est priuatio spiritus animalis, vt nil descendat ad musculos, vt in forti Appoplexia; in qua sensibilis nō apparet respiratio; & eo tempore [vt aliqui docti dicunt) sufficit transpiratio per poros; quæ dici potest largo modo, quasi quartum genus respirationis. Alię causæ mutescentię nō pertinent ad nostrum textum.

TEXT. XXXV.

QVando enim accipit homo per os, & nares spiritum; primò quidem ad cerebrum venit; deinde vero in ventrem magna ex parte; pars vero ad pulmonem; & pars ad venas: ex his vero ad reliquas partes in venas dispergitur; & quantum quidem eius ad ventrem venit, perfrigerat, & nil aliud confert; istud autem in pulmonem venit.

Diuerso modo istum textum interpretor, & vt existimo, satis conformiter veritati Hippocraticæ: nā omnes, quos vidi pro ventre (vt est in Græco) transferunt ventriculum, atque vt notissimum est, hac voce (ventriculus) absolute intelligunt Medici officinam alimenti chilosi, quam stomachum Auicenistæ communiter appellāt. Hincque mirantur, quomodo dixerit [magna pars aeris vētriculum ingreditur) quod falsum est, cùm ad ventriculum cibus, & potus tantummodo tendant. Mirari tamen desinant, nec falsitatis notam huic locó tribuant, cùm mos sit Hippocratis cauitates insigniores, ventres nominare, vterum, ventrem, seu capacitatem omnem vmbilicalem: stomacum, thoracē, cauitates cordis, & iecoris, & cerebri; tandem quicquid in interioribus vacuitatem habet, in qua aliquid fluctuare possit. Id rectè notauit

Comment. (margin, beside "Diuerso modo istum textum interpre-")

eruditus

Philot. eruditus ille Philolteus ad Aphor. ventres hyeme, & vere calidissimi sunt. 1. Aphor. 15. Hæc animaduerterim, vt multa dubia istius libri de medio tollam. Præterea memorari oportet Hippocratem per venas etiam intelligere arterias, præcipue quando de spiritu, & aere agit. His suppositis explico textum inhunc modũ. Quãdo homo accipit aerem, siue spiritũ per os, & nares, primo ad cerebrum portio aeris trahitur, sed maior pars ad ventrem, seu cauitatem magnam thoracis, & ad pulmones, & arterias. (Supponit enim cor suscipere etiam aerem in sinũ, & ventriculum suum per arteriam venosam.) Rursus ab his partibus ad reliquas aer dispergitur; magna vero illa portio, quæ thoracem ingreditur, nil aliud facit quam refrigerare, & tẽperare; idem præstat ad pulmonem veniens, refrigerare scilicet. In Græco codice non sunt illa verba (idem præstat ad pulmonem veniens) sed ita: istud autem ad pulmonem venit, suppone, quod aer inter Græcos est neutrius generis, quasi dicat: istud aereum ad pulmonẽ venit. Et quid faciet? Idem profecto, scilicet refrigerare. Sed aduertenda breuitas, & profunditas Hippocratis, nam cum aer iste ad cor venerit, aliud munus implet præter refrigerationem. Audias sequentem textum, vt ex vtroque compleas explicationem.

TEXT. XXXVI.

QVI Verò ad venas peruenit aer: confert ad ventres ingressus, & ad cerebrum; atque sic sapientiam, & motum membris exhibet.

Comment. DIxerat, aerem thoracem, & pulmonẽ refrigerare, neque aliud quippiam in his partibus facere; philosophicè certè, nam primo ingressu nil aliud facit in his membris, per quæ tanquam per vias transit ad complendum finem proprium in corde, & cerebro. Nunc vero dicit, quod postquam aer vasa strictiora (qualia sunt venæ, seu arteriæ) ingreditur, eam viam accipit, vt ad ipsas cauitates cerebri, & cordis deueniat, in quibus subagitur, & decoquitur, & in verũ spiritum vitalem, & animalem transmutatur. Et hæc magna vtilitas, & necessitas explicatur, quando dicit confert ingressus aeris ad ventriculos. Quid cõfert? Nonne infrigidat? Nonne compescit calorẽ? Sine dubio tẽperat, vt temperabat thoracem, pulmonem, os, & nares, & alias vias per quas transibat. Quæ ergo est differentia inter aerem positum in thorace, & pulmone, & eum qui est in finibus cordis, & cerebri? Magna profecto. Nam in vijs solum attemperat: At in ventriculis non solum attemperat, sed induit nouam naturam spiritus, per quam fit instrumentum omnium actionum: hoc modo præstat sapiẽtiam, & motum omnibus membris. Per sapientiam intelligit actiones rectricum facultatum, quæ magis ad sapiẽtiam accedunt; per motum intelligit omnem motus speciem, tam vegetalis, quam animalis, qui ope huius spiritus ab anima perficitur. Itaque in præcedenti textu solum docuit effectum aeris antequam sit spiritus perfectus; in hoc verò loco docet conferentiam, & vtilitatem aeris trãsmutati in verum spiritum. Irrideo illos, qui putant aliquam aeris portiunculam non seruari, vt tendat in spiritum animalem, & vitalem.

TXET. XXXVII.

QVare, vbi fuerit exclusus à venis aer præ pituita; eũque non susceperint, mutum ac desipiẽtem hominem reddunt.

EST Conclusio præcedentis discursus. Nam cum sit ostensum, spiritum conducere, vt instrumentum ad omnes actiones, ergo si ob copiam pituitæ vasa, Comment.

reple-

repleta, aut grauata, aut infrigidata spiritum non recipiunt, sed excludunt (vt in vase pleno aere, aut aqua contingit. Si aliud corpus ingrediatur, clarũ est quod exit aer, vel aqua) ergo mutus, & insipiẽs, & sine sensu remanet homo ablato spiritu, qui erat prædictarum actionum instrumentum.

TEXT. XXXVIII.

At vero manus impotentes fiunt, ac conuelluntur sanguine quiescente, & dum non diffunditur velut solebat.

Comment. 1. Dub. Conuulsiones manuum (subintellige, aut brachiorum) explicans, quid est quod nullam facit mentionem spiritus?

Resp. Dico hunc esse morem Hippocraticũ, vt non repetat quæ supponit, sed addat aliquid, quando de particularibus agit. Qui dicendi modus obscuriorẽ facit doctrinam; exemplum patet in hoc textu: nam dixerat in antecedenti, ad defectum spiritus sequi priuationẽ motus, & sensus. Nunc verò in manuum conuulsionibus addit quietẽ sanguinis, qui non spargitur, vt solebat; quibus verbis videtur turbare doctrinam.

Respondeo, manus impotentes [vt vertit Cornarius, sed melius diceret, manus inobedientes, aut non subiectas imperio volũtatis, siue quę non continentur debitis facultatibus, hoc enim insinuat dictio Grȩca] reddi defectu spiritus, vt supra dixit; ad defectũ spiritus sequitur quies sanguinis, quia spiritus est qui fundit, & mouet sanguinẽ: nã quãuis pituita impediat tamen si sufficiens copia spiritus descenderet, omnia calfaceret, tenuaret, & moueret. Itaq; ob hanc causam suprà tactã, quiescit sanguis: non tamen cessat motus mẽbri, quia quiescit, sed quia deficit spiritus; ita vt quies sanguinis sit effectus concomitans motum deprauatum.

Sed dubitabis cùm motus cõuulsiuus sequatur ad concusionem cerebri, quod est origo neruorũ, excitatã ad irritationem causæ molestãtis. Quid habet cum ista causa sanguinis quies? Imo potius cõtrarium effectum causabit, quia quies sanguinis quietam manum continebit; non autem conuellet. 2. Dub.

Dico iterum, quod non ponit Hipp. quietem sanguinis, vt causam motus deprauati: nam defectus spiritus est causa motus tam in mẽbro, quâm in sanguine: ergo posuit quietem sanguinis, non tanquã causam, sed vt signũ causæ: nã vnus, & idem defectus spiritus priuat motum voluntarium, & motum naturalem sanguinis, quo debet discurrere ad omnes particulas. Sed de causis motus conuulsiui, & conuulsionis, latissimè in libr. de Morb. & Sym. Resp.

TEXT. XXXIX.

Oculi quoque distorquentur aere a venis excluso, & commouentur.

Vides quã apertè supponat quę diximus de conuulsione manuũ. Nã dicit [& oculos distorqueri, ob defectum aeris, idest spiritus) per illam particulam *quoque*, intelligens, similiter affici manus defectu aeris, vt iam declaraui. Sed quare in conuulsionibus oculorum non dixit concurrere quietem sanguinis? Forsan quia in oculis magis ostenditur spiritus copia ad illorum bonã valetudinem. Sũt oculi partes paucissimi sanguinis, & plurimi spiritus; atque adeo læsiones istæ manifestiùs sequuntur ad spiritus absentiam, quod non dixit agens de manibus, & brachijs, vbi multę venæ, & cõspicuæ, & multus congeritur sanguis. Comment. Dub. Resp.

Sed qui dicunt conuulsionẽ fieri à solo spiritu, quomodo istos textus poterũt explicare? Sed in nostro opere de Morb. & Sym. de hoc puncto contra Cesalpinum multa inuenies.

TEXT. XL.

SPuma verò ex ore prodit ex pulmone; cum enim spiritus non ingrediatur in ipsum, spumescit, & ebullit velut moriēs

Comment. GEneratio spumæ diuerso modo explicatur a Galeno 2. Aphor. 43. de quo puncto alibi latius, quia præsens institutum mentis Hippocratis petit expositionem. Doctrina ista verissima, neque contra illam aliquid possunt dicere Neothetici: sed notādum ad illius claritatem, quòd materia spumæ in ore Epilepticorū procedit, & à capite, & à pulmone. In hoc textu partem spumæ à pulmone quomodo generetur explicat. Ad spumam generandam sufficiunt tria debito modo applicata; motus localis, aer, siue flatus, & humida aliqua substantia. Motus inseruit agitationi, mixtioni, & diuisioni partium: flatus diuisus per particulas, & mixtus humori à propria leuitate parumper ascendit, & secū fert portiunculas humoris, & fiunt minutissimæ ampullæ, siue bullæ albicātes. Dico minutæ ampullæ, quia sic vera spuma apparet, & albicans: idem contingit in pulmone, nam mouetur pulmo, & pituita, & portio aeris ibidem detenta agitantur simul, & miscentur à motu locali pulmonis, & à motu altero, qui sequitur caloris actionem.

1 Dub. Sed dubitabis primò, quomodo ista spuma deuenit ad partes supernas oris? Non enim exire potest à pulmone, nisi per tusim. 2 Dub. Secundò, quomodo dicit, quod non ingreditur spiritus? Si enim adest respiratio [vt necesse adest; non enim est fortis Apoplexia, in qua non solet sentiri fortis respiratio] ergo necessario debet ingredi aer. Confirm. Et confirmatur dubitatio, quia sine aere ingrediente, & egrediente cum impetu, non potest apparere talis spuma; ergo videtur spuria ista Hippocratis sententia. Tertiò, illa particula 3 Dub. (velut moriens] ingerit maiorem difficultatem, quia in morientibus ex febre, aut alio quouis morbo, non apparet spuma in ore, imo neq; in pulmone videtur generari; tātummodò enim audimus stertorem quemdam, quem vocant oregmō: ad istum verò affectum non sequitur spuma.

Resp. ad primum, quòd spuma, de qua Res. ad 1. loquitur Hippoc, non pellitur per tusim, sed duo illi motus locales, quorum mentionem feci, continuatione quadam deducunt spumam vsque ad os, vt aqua feruens in olla ascendit, vsquedum exeat foras: ita similiter à pectore, & pulmone spuma illa eleuatur, quæ cum non possit intus contineri, exit, & à leuitate sursum lata, & à compressione thoracis adiuta.

Ad secundum dico, quòd quamuis sit Resp. ad 2. aliqua respiratio, & ingrediatur aliqua portio aeris, non est tanta, quanta sufficiat ad debitam pulmonis refrigerationem, & ventilationem, & ob id dicit textus, quòd nō ingreditur aer, quia pro nihilo reputatur quod neutiquam implet finem naturæ.

Ad confirm. resp. quod vt fiat spuma in Res. ad cōfirm. pulmone non est necessarius nouus ingressus aeris externi, sed ex aere iam recepto, & humore ibidem reperto fit miscella quædam, quæ agitatione, & cōcussione terminatur in spumā: ita enim in strangulatis, & laqueo suspensis contingere videmus: nam cessante omnino respiratione consurgit spuma à causis iam dictis.

Dico ad tertium, quòd pulmo appo- Resp. ad 3 nit etiam suum vltimū conatum (vt morientia omnia faciunt) quatitur ergo, & mouetur modo, quo potest. Calor præterea, qui statim defectu ventilationis incēditur, feruorē concitat in ipso pulmone. Vide duos motus locales; alterū sequutū ad calorem intensiorē, sicut in aqua feruenti: alterū ipsiusmet pulmonis sequentis solitas mutationes. Si vis, adde totius corporis concusionē per motus conuulsiuos

siuos: ex his omnibus sequitur quod dicit noster textus spumescit, & ebullit. Si dicta attente legas, inuenies spumæ causas.

TEXT. XLI.

Stercus vero subinittitur, dũ violẽter suffocatur. Suffocatur autẽ, hepate, & vẽtre sursum ad septum transuersum irruẽtibus, & stomacho ventris concluso. Irruũt autem cum tantum spiritus in os non ingreditur, quã tùm solebat.

Comment. INuoluntariæ deiectionis stercoris in hoc morbo causam adducit perobscurè quidẽ. Inquit. Accidit deiectio infer na quando violẽter æger suffocatur, quę suffocatio maior est, quia hepar, & vẽter sursum eleuantur, & comprimunt septũ transuersum, quod respirationi seruit: cõcluditur etiam stomachus, quæ omnia accidunt ob defectum aeris; nõ enim ingreditur quantum oportet.

Prima dubitatio. Sed dubitabis primo. Quare emittitur excrementum, quando suffocatur? quid habet hæc causa cum isto effectu?

2. Dub. Secundò, quomodo potest eleuari iecur, & venter, vt comprimãt septum? De iecore videtur impossibile, quamuis venter possit quoad infimam partem euerti, vt contingit in vomitu.

3. Dub. Tertiò, quod intelligit, quando dicit stomacho ventris concluso?

4. Dub. Quartò. Quare mouentur sursum, si nõ intrat sufficiens aer? Vterus enim mulieris ascendit aliquando, aut fugiens malum irritãs, aut flatum, aut odorem. Quis ergo vetat, quod prædictæ partes ascendant ad comprimendum septum transuersum, nulla interueniente aeris priuatione, sed fugientes aliqua mala?

Ad 1. Resp. Dico ad primum. Male interpretes vti illo verbo submittitur, non enim submittitur stercus, sed excurrit, & dilabitur potentijs vitalibus non operantibus: verbũ autem (mittitur) dicit ab aliquo agente mitti, quod neutiquam adest in Græco, sed dicit subeffluit, aut inferius excurrit & dilabitur, hoc enim proprissimè significat dictio Græca. Hoc adnotaui quia maximè variat sentẽtia Hipp. si vno aut alio vocabulo vtamur, & hæc est ratio, ob quam Hipp. sentẽtiæ obscuriores apparent; vide ergo quã exactè loquatur diuinus Senex. In accessione Epileptica, cum prohibitus sit descensus spiritus ad partes inferiores: necessarium est, vt facultates, quæ isto spiritu indigent, à proprio munere ferientur. Ergo excrementa tempore sanitatis mittũtur foras à facultate expellente, & debito tempore retinentur à retinente, vt melius postea pellantur. Igitur cũm tẽpore accessionis, desit in ventre inferiori, & eius partibus spiritus, non mittentur excrementa à facultate expellente, quia hæc otiatur, neq; retinẽtur à retinente, ergo dilabi debet, & excurrere. Et hæc fuit mens Hipp.

Ex quibus iam vides causam, quare in hoc morbo, & in strangulatis soleant excrementa, sine opere facultatis effluere, quia in suffocatione deficit instrumentũ facultatum gubernantium talia excrementa.

Ad 2. Resp. Ad secundum dico, Quod causa præcipua suffocationis est illa, quæ impedit transitum spiritus; ad istam sequũtur aliæ; partes enim infernæ recipiunt spiritum à superioribus, à vitalibus scilicet, corde, thorace, & pulmone ipsum spiritum vitalem gubernãtibus: & præterea ab animalibus, cerebro scilicet, ventriculis, & eius neruis spiritum animalem. Est itaque talis omnium partium consensus pro communi, & proprio bono, vt in tanto conflictu partes inferiores motu naturali (partium in toto) moueãtur ad quærendam suam conseruationem, connectẽdo se ipsas versus membra respirationis, quale est septum transuersum, quærant

viuere, & hoc non possint consequi, nisi vnione ad illas partes per spiritum, & hoc est, quod dicit Hipp. irruunt, seu cadunt impetuosè supra septum; non quidem intelligit mutare locum totalem hepar, sed cum indigeat spiritu, & ventilatione propria, aliquam exercet dilatationis mutationem, per quam compressa vna parte vicina, etiam septum transuersum opprimat. Sed quis negabit partibus mundi minoris, quod partibus mundi maioris concedimus? Si ergo in mundo maiori partes ascendunt, aut descendunt contra particularem inclinationem ob naturalem appetitum conseruationis cũ toto. Quare partes in nostro corpore proportionaliter non habebũt aliquem similem motum? licet non mutent locum totalem, mutabunt saltim se ipsas in eodem loco, & ex consequenti vicinas afficient.

Dub. Sed dices partes vniuersi perficiunt se, quando vniuntur; at verò hepar, & vẽter si irruunt in septum, aut tangunt ipsum non perficiunt se, sed laborant, & infirmantur, & oppressionem, & malum inducunt partibus vicinis.

Resp. Dico, quod non est intelligendum partes solidas nostri corporis moueri de loco in locum, vt aqua quando ascendit ne detur vacuum; non tale somniauit Hippoc. sed dicimus cum illo, quod partes infra septum in tanta necessitate pro sua, & superiorum conseruatione accedunt modo, quo possunt; nam periculo suffocationis partes musculosæ thoracis, & pulmonis, & cor etiam (quamuis nobis non appareat ad sensum) trahunt à vicinis, quando non ab externo aere: sed quid trahunt? Equidem aerem, siue spiritum, siue vaporem in spatijs, seu poris vicinarum partium contentum. Ad istam tractionem sequitur accessus, aut aliqua motio partium: non enim possũt trahere, & expetere aerẽ, nisi quodãmodo moueant partes, ne detur vacuum, & ista dicitur motio hepatis, & ventris ad septum transuersum. Vnde resultat anxietas quædam naturæ viuentis propè mortem ad angustiam partium sese comprimentium, & aspirantium ad quærendam ventilationem, & afflatum spiritus: hoc ergo modo comprimuntur mẽbra respirationis ab inferioribus partibus. Nunc ad obiectionem dico, quod exempla adducimus ad explicandum, non quia identitas rerum reperiatur: dicimus quod sicut in vniuerso ea, quæ attrahunt, & ea quæ attrahuntur vnicum finem habent, nempe conseruationem propriam, & ex consequenti conseruationem vniuersi: ita similiter partes respirantes, & quæ maiori copia spiritus indigent, in tanta illius priuatione trahunt quod possunt, vt seruentur tempore possibili, & partes, quæ succedunt, etiam intendunt cõseruari, quærentes id, quod illis deficit. *Resp.* *Ad 2. Interrog.*

Ad tertium. Quod stomachum appellabant antiqui os ventriculi; ita Galen. lib. de alim. facultat. cap. 26. & lib. ad Tyrones, agẽs de pul. affect. stomach. & 6. de sanit. tuend. & sæpe alibi. Dicit ergo Hipp. etiam ad descensum excrementorum conducere claudi stomachum, & stringi: parte siquidem superna clausa, & cõpressa, soluitur inferna; quod apparet in purgatione, quæ fit à medicamentis comprimentibus. *Ad 3. Resp.*

Ad quartum respondeo, complendo sensum huius textus, quod partes mouentur versus septum, cum deficit sufficiens quantitas aeris, seu spiritus. Ratio est, quia appetitu cõseruationis fugientes malum, quærunt bonum; scilicet spiritum, quo se ipsas perficiunt in esse, & operari. Mouentur autem versus alias partes, quæ ministrãt respirationem [vt dictum est] qui motus non est localis totius partis, sed vrgentia ad alliciendum spiritum. Est autem pulchra contentio, & controuersia inter partes precipuas vitales, & naturales, omnes ad inuicem petunt, & repetunt; nam partes vitales (quas voco, cor, thoracem, pulmonẽ, arterias,) exigunt spiritum ab omnibus, quæ sursum, & deorsũ sunt; & naturales, scilicet iecur, venter, & c. repetunt à su- *Ad 4. Resp.*

à superioribus,& hæc est agonia suffocatorum à pituita defluente,de quibus hic agit, Hippoc.& hoc dicit, *irruere partes ad septum transuersum.* Quæ agitatio fundatur in fuga mali,& acquisitione boni; & ita in hoc conuenit iecur cum vtero mulieris(vt adducitur in dubio] nam sicut vterus retrahitur à noxijs,aut allicitur à iucundis, & extenditur ad voluptuosa;ita etiam in suffocatione, de qua nunc agimus, iecur petit per suas venas & arterias spiritum conseruatiuum, & partes supernæ petunt ab illo;sed hæc est differentia,quòd vterus sensibiliter, & maximè dilatatur,& comprimitur, quia ad alium finē(continendi scilicet fętū & pariendi)erat fabricatus:iecur vero dilatatur tempore tantæ necessitatis minus conspicuè.

Igitur iecur,& venter ab alijs malis si irritentur,suas habent facultates & vias, per quas expellant nociua,&trahant proficua;at vero in aeris priuatione,& spiritus indigentia,nullam habent viam, neque modum,nisi prædictum, vt aspirent ad sui tutelam:qui modus potest vocari conatus quo vitam expetunt.

TEXT. XLII.

CAlcitrat autem pedibus,cū aer in membris conclusus fuerit,& foras penetrare non poterit præ pituita verum exiliens per sanguinem sursum,deorsumq; conuulsionem,ac dolorem inducit & propterea sanè calcitrat.

Comment. LIcet communem quamdam causam statuerit Epilepsiæ mutitatis,& priuationis multarum actionum;nunc in particulari rimatur causam motus conuulsiui crurium,& pedum.Nam vt sæpius diximus discurrit per omnia accidentia, quæ Magi ad singulos Deos referebant, & ea ad suas,& proprias causas reducit. Quid velit Hipp.clarè insinuat; nam dicit quod pituita fluens per venas detinet spiritum,spiritus autem detentus impetuose mouetur, vt exeat, sicut contingit aeri cauernis terræ incluso; atque deorsum,sursumque delatus membra ipsa mouet,sicut terra tremore concutitur ad impetum venti exilientis,& hanc motionē conuulsionem vocat dolorosam,siue cum dolore.

In ista doctrina duo se offerunt contēplanda.Primo,an vera sit, & suis principijs consona?Secundo,an consentire possit cum Galenica,& fere omnium Medicorum disciplina.Tamē hæc latius in tractatu de cōuulsionis causis agitanda.Hic ad textum pauca dicam.

Quod spiritus interclusus impetum faciat,existimo certum, quod apparet in palpitatione,quæ nostris corporibus cōtingit,& in tremore terræ; magna quidē vis est aeris detenti,& compressi,& exitum sollicitantis,de quopuncto plura elegantissime Seneca in quæst. naturalibus. *Seneca.* Tamen cum differentia sit inter palpitationem,tremorem,& conuulsionem, de qua agit Hippoc.poterat aliquis in dubium vertere,an verum sit quod conuulsio oriatur à spiritu commoto, & impedito. *Dub.* Huncdicendi modum amplexus est Arist.quando dixit spiritum conclusum esse causam terræ motus li.2.de Meteor. c.8.& Cesalpinus in suis quæstionibus; *Cesalpin. refutatur.* quamuis hunc librum non legerit, vt constat lib.2.q. Met.cap.16. Sed iste Autor aberrauit omnino : omnem conuulsionē (vel à repletione, vel à siccitate,aut inanitione] fieri dixit, per quasdam passiones spiritus animalis. Quam opinionē late destruximus:Hipp. vero Cesalpin. errorē nec subolfecit in his textibus,quāuis motiones spiritus inducat vt causas.

Sed negari non potest, quin sicut palpitatio causatur ab aere,aut flatu incluso motum localem exercente, ita & motus conulsiuus membrorum, licet loco affecto differant;nam palpitatio contingit in partibus particularibus(vt plurimum)carnosis,& si in alijs, quæ motum liberum exerceant,aut vitalē, possit fieri,

ri, non tamen impedit voluntatis imperium: at vero quando neruosis, & musculosis partibus accidit similis clausio spiritus, motus iste conuulsiuus causari potest, quem dicit Hipp. quia sicut spiritus distendit partem in palpitatione; ita in conuulsiuo motu distendit; ad distẽsionẽ sequitur partium retractio, sicut in conuulsione à plenitudine cõmuniter dicta.

Dub. At vero, an ista doctrina Hipp. contradicat sibimet in Aphor. quando dixit: Conuulsio fit ab inanitione, aut repletione, & Galeni, & Auic. decretis: an vero possit constare sine contradictione dubitare quis posset. *Resp.* Tamẽ revera nulla est contradictio: nam spiritus in hoc casu eundem effectum præstat, ac repletio, & ad illam reducitur. Quis probare poterit omnem conuulsionem à repletione, debere esse ab humore? Nullus certè. Siquidem fieri à flatulenta substantia, aliquãdo nemo negabit. Sed quando Hipp. nõ agit in hoc loco de conuulsione propria, sed de motibus conuulsiuis Epilep. nulla remanet dubitandi ratio. Illud tamen ausim dicere, causam motus conuulsiui, quã hic textus inducit, à nullo Practico fuisse subodoratã. Nã omnes concurrunt ad humores irritantes, & pungentes tunicas cerebri, aut neruorũ. Sed revera est causa, vt à solo Hipp. inuenta, ita à nullo tacta. Nõ negamus quæ Gal. & alij docuerunt, sed excitamus veritatem præ antiquitate nouã. Asserimus ergo, quod quãuis non adessent humores irritantes, sed sola spiritus interclusio (quã nunc docet Hipp.) excitari motũ conuulsiuũ. Nõ audio Prosperũ Martianũ, qui imbibitã habet opinionẽ Cesalpini; sed suscipio tãti Magistri sententiam, & ea quæ accidunt maiori mũdo, cõtingere minori defendo, vt scilicet cõclusus spiritus, aut aer coactus, exitũ quærens, moueat mẽbra, sicut subertit terrã. Nec iste spiritus, de quo loquitur textus, vere spiritus animalis est, vt falso existimant isti authores. Nã statim, ac continuitatem ammisit cum suo principio influxum vitalem non suscipit, neq; valet ad mouẽdas partes volũtariè,

Prosp. Martian. Cesalpin.

vt antea, sed habet se quasi aer nõ gubernatus ab anima. Sed de his latius loco citato.

Quodsi aliquis, ingenij ostentandi causa, velit dicere: Prædictũ spiritũ [postquã perdidit continuitatem cũ cerebro, & illam animæ gubernationem illustratione peractam] desinere in substãtiam alienã, mala qualitate affectã, & consequenter irritare naturam ad istos motus. Non est alienũ dogma à Philosophia: nã res perfectæ, cũ deflectũnt ab illo statu, incidũt in deterrimum, vt sanguis cũ corrũpitur, semen, lac. Cur ergo idẽ nõ cõtiget spiritui animali iam ab illustratione animæ deserto? Irritabit ergo.

Sed dubitabis: Quare dicit adesse dolorem? siquidem nullus in Epilesia sensus tactus, neque imaginationis, aut cogitatiuæ, ergo neque dolor. *Dub.*

Dico, aliquam esse conuulsionem dolorosam, quando scilicet libera manet sensatio, & multoties videmus conuulsiones cum ingentissimis doloribus: at vero motus conuulsiuus, qui Epilepsiam sequitur, non habet connexum actum dolendi, quãuis habeat causam doloris, quia mẽs detenta est iuxta illud: Quicumque aliqua parte dolentes (idest habentes causam doloris) dolorem [non sentiunt, his mens ægrotat. Igitur quando Hipp. agẽs de motu Epilep. doloris mentionem facit, intelligit adesse causam doloris, idest distendentem. Quodsi absolutè de conuulsione propositionem intelligere volueris, nil est dubij; cõiungitur enim dolor cum conuulsione. *Resp.*

TEXT. XLIII.

PORRO Omnia hæc perpetitur; cùm pituita frigida defluxerit in sanguinem calidum existentem. Perfrigerat enim & sistit sanguinẽ. Et siquidem fluxus fuerit multus, aut crassus, statim occidit.

Domi-

Dominatur enim sanguini pe- frigus ipsumque congelat; si vero paucior fuerit, statim dominatur obturans respirationem. Deinde temporis progressu, cum dispersus fuerit per venas, & ammixtus sanguini multo existenti, ac calido, si sic superatus fuerit, venæ aerem suscipiunt, atque ita ægri resipiscunt.

Comment. FIrmiter hærens suæ sententiæ, pituitam inducit, vt causam antecedentem istius morbi, vt etiam docuit in superioribus. Nunc vero qui ægroti moriantur; qui verò ad statum pristinum reducantur, explorat; id vero consequitur ex magnitudine, & qualitate causæ: ab isto enim principio collatione facta ad vires, præsagium certum desumitur ex eius doctrina in libro de Prognostic. Dicit ergo, quod si fluxus pituitæ frigidæ fuerit tam copiosus, vt calorem sanguinis extinguat statim moritur æger, & exhibet rationem, quia præ nimia frigiditate sanguinem congelat. Ad congelationem sanguinis, sequitur totius spiritus destructio: non remanet portio aliqua, quæ faciat motus conuulsiuos, vt supra dicebat, sed loco Epilepsiæ generatur Apoplexia fortis.

At si neque ita multus, neque adeo frigidus fuerit fluxus, statim dominatur obturans meatus spiritus, & cadit homo; tamen insurgit natura suis instrumentis, calore scilicet, & facultatibus mouentibus, & dispergit fluxum, pituitam miscet cum calidiore sanguine, & sic attenuatur crassus, & lentus humor, & ingreditur aer nouus, & spiritus inclusus temperatur, & homo redit ad antiquum statum; hoc enim significat verbis illis [& resipiscunt) Erat quippe æger priuatus omni actione rectrice cerebri, & insipiēs: resipiscit autem, cum prædictas actiones recuperat.

TEXT. XLIV.

ET Quicunque pueri parui hoc morbo corripiuntur, vt plurimum moriuntur. si multus fluxus contingat, isque humidus existat. Venæ enim tenues existentes pituitam præ crassitudine, ac multitudine suscipere non possunt, sed perfrigeratur, ac congelatur sanguis, & sic moriuntur.

Comment. IN Textu antecedenti docebat causam mortis ex hoc morbo, absolutè inspecta natura causæ. Hic rationem ætatis contemplatur, & pronunciat aphorismum magis vniuersalem. Omnes paruuli pueri (quos infantulos vocamus) moriuntur ex morbo hoc, si fluxus contingat multus, & humidus.

Dub. Sed dubitandum, de qua ætate loquatur? Resp. Loqui Hippoc. à primo ortu, vsque dum dentes iam extra apparuerint; hos enim pueros paruulos vocat. Nam pueri absolutè etiam qui duodecimum, & quatuordecimum annum attingunt, solent nuncupari, sed de his latius in opuscul. de ætatibus diximus cap. 2. Sed in præsenti textu loquitur de paruulis, igitur de infantibus; nam dicit quod moriuntur, quia exiles admodum habent venas incapaces ad tantam copiam pituitæ suscipiendam. Quæ doctrina proprie habet locum in nuper natis, vsque dum ablactentur; postquam enim deserentes lac, solidioribus vtuntur alimentis, iam certum, est venas esse latiores, & capaciores, perferreque posse fluxum pituitæ, sine certo periculo mortis, quamuis nulla sit in ista ætate certitudo, sed magis, & minus variare

possunt præsagium, quia variatur causa, & dispositio patientis.

2. Dub. Secundo dubitas, quare dixit fluxus humidus, & non frigidus.

Resp. Dico, quod in ista ætate ita humida, semper dicitur pituita à prædominio humida, & ideo fluit; quia adhuc durat in illa non solum calor proprius, sed calor maternus, quo liquida existit, vt facilius diffluat. Sed notandum, quod propter fluxilem humiditatem ingreditur venulas angustas, sed cum calor, qui liquat, sit in ista ætate, ita facile per poros exhalabilis, & præterea sit calor humidus, parum actiuus, fit, vt ipsa pituita facillimo negotio crassescat, & reducatur ad maiorem frigiditatem, atque ex consequenti vasa repleat, spiritum extinguat, & mortem inducat. Quæ duo textus insinuat; nam primo vocat fluxum humidum, & secundo vocat crassum, & frigidum; nam in puerulis nuper natis, vt plurimum fluit pituita pre humiditate nimia; & etiam non posset vasa occludere, & spiritum destruere, neque posset infrigidare, & incrassare sanguinem, nisi post primam liquationem reduceretur ad natiuam frigiditatem, & ad maiorem crassitiem, absente calore materno.

TEXT. XLV.

SI Vero modica existens pituita in vtrasque venas defluxũ fecerit, aut in alterius partis, superuiuũt, nota ex morbo impressa relicta, aut enim os conuellitur, aut oculus, aut ceruix, aut manus, vbicunque sane vena pituita repleta superata fuerit, & gracilis reddita. Hanc itaque venam necesse est debiliorem esse, & hanc corporis partem defectuosiorem. Verum ad longius tempus plerunque prodest. Nõ enim amplius morbo apprehenditur, si semel notam impressam susceperit.

Comment. DIxit causam mortis, nunc docet causam, ob quam à tanto malo liberantur. Primam terminationem dicit fieri, quando modica copia pituitæ in vtrasque partes sinistram, & dextram, & per illarum venas dispergitur; diuisa enim & sanguini permixta vires amittit: Nam si in vnum locum principem cumularetur, magnum induceret periculum; tamen quia longe à cauitatibus cerebri, & longe à corde, & pulmone per venas aliarum partium discurrit; tales ægroti superuiuunt, & liberantur. At vero (& est secunda terminatio) si humor simul, aut maior illius copia in vnã particulam defluxerit, talis certè particula manet sigillata ab illa morbi impressione; atque adeo solet per totam vitam læsa, & malè affecta permanere. Vt enim ex Apoplexia videmus aliquos euadere Paralyticos, aut Emiplecticos, aut in aliqua parte determinata morbosos: ita ex Epileptico apparatu (dicit nunc Hippocrates] contingit causam firmari in aliquo membro particulari, & os tortum remanere, aut oculus, aut ceruix, aut manus. Tandem vbi abscessus firmatur, ibi defectus, ibi debilitas; quia ibi defectus spiritus ob copiam pituitæ, ibi defectus commodi alimenti, & gracilescunt venæ illius partis: quamuis contingat aliquando intumescere: imo & videmus eos, qui oris spasmo manent correpti, semper habere labium crassius, & saliuosum; non quia melius nutriatur; venulæ enim, quæ alimentum optimum debent continere, gracilescunt ob dictam causam, & ita illa pars tumet ob copiam excrementi, & gracilescit ob inopiam alimenti.

In vltima parte textus loquitur de securitate recidiuæ. Inquit. Non enim amplius morbo apprehenditur, si semel notam impressam susceperit. Æger nō amplius in hunc morbum incidet, si aliqua pars susceperit causæ morbificæ notam, siue sigillationem. Est enim quædam laudabilis humoris trāspositio de parte nobili in partē ignobilem, quæ dicitur Metastasis. Ista vero sententia vera, & vniuersalis est, si nullus error accidat in rebus non naturalibus, perfectoque regimine vtatur æger; & si puerulus est, si nutrix perfectissimè se gerat, aut vt talis eligatur, quæ nequaquam causam morbi augeat. Et ratio est, quia cum natura inuenerit particulam debilē, in quam molestantem detrudat humorem, ibi vt in emunctoriū continuò transmittet, principibus liberatis: & hoc est quod dicit; verum ad longius tempus prodest.

Equidem verba huius textus (licet alia plura sint sparsa per lib. Hipp.) maximè nobis commendant inurendorū puerorū vsum, & fontanellas in plurimis morbis: nā ars edocta à natura, debilitat aliquam partem, vt ad eam decumbat humor, & natura propensa in illam liquatos humores effundit; ad longiusque tempus prodesse solent, vt verbis Hipp. vtamur, neque amplius morbo apprehenduntur.

TEXT. XLVI.

Quapropter necessario etiam reliquæ venæ affliguntur, ac partim simul gracilescunt, vt aerem quidem suscipiant; pituitæ autem defluxus non amplius similiter illabatur: debiliora tamē similiter membra esse; verissimile est venis afflictis.

Comment. Quamuis æger liberetur à principali morbo, decubitu acto, & Metastasi in aliquam partem; tamen iudicat nunc Hipp. non remanere reliquas venas ita immunes, & liberas, quin aliquid nō patiantur: cùm enim supponat id morbi genus fieri in pituitosis, nō videtur vna sola particula sufficiens ad recipiendam totam, & continuam pituitæ sarcinam, vt reliquum corpus omnino sine aliqua lęsione permaneat: læsio autem hæc solet esse debilitas mēbrorum; hoc ita supposito, textus talis est. Quapropter necessario reliquæ venæ afficiuntur: nam quamuis spiritus transitum, & ventilationem habeat, & quamuis pituita non fluat, sicut tempore morbi: est tamen rationi consonum, vt membra non ita firma sint, & simpliciter sana, sicut essent nulla omnino existente abundantia pituitæ; nam mēbra debilia, aut firma sunt, prout venæ, & arteriæ in ipsa deferunt magis, minusve alimenti pituitosi, & ideò vocat venas gracilescentes, quæ viuido, & copioso sanguine non abundant. Itaque iam non suffocationes, non interceptiones, non priuationes sensus eueniunt, vt solebant, sed debilia remanere membra necesse est, ob causas dictas.

TEXT. XLVII.

Quibuscumque autem imperfectis, & valde modica pituita defluxerit, & ea in dextras partes, hi citra notæ impressionem superuiuunt, verùm periculum est, ne morbus connutriatur, ac simul augescat; si non his, quæ cōmoda sunt, curentur.

Comment. Aliam speciem terminationis huius Sacri morbi proponit, quando scilicet non per decubitum, aut læsionem alicuius particulæ: sed quando parua ad modū quantitas pituitæ fluxerit in dextras partes. Aggreditur pauca quantitas pituitæ

pituitæ cerebrum, tamen detruditur in partes dextras, vbi tenuatur, & resoluitur, sunt quippe partes calidiores alijs omnibus, & consequenter liberatur æger. Sed suspicio est ne, si non perfectè gubernetur, noua causa paulatim aggregetur (hoc dicit *connutriatur*) & morbus auctus, & sẽsibilis appareat. Paulatim quidẽ congeritur causa, & coaceruatim apparet, vt ipse Hipp. dicebat, quæ duo contingunt, & ex derelicta intemperie, & prauo vsu rerum non naturalium.

TEXT. XLVIII.

PVeris quidem igitur sic fit hic morbus, aut quam proxime huic modo. Seniores vero non occidit, si accedat, neq; distorquet. Nã & venæ sunt cauæ, & sanguine calido refertæ; quapropter neque superare potest pituitam, neque perfrigerare sanguinem, vt cõgelet ipsum; sed ipsa superatur, ac sanguini citò amiscetur; atque sic venæ aerem suscipiunt, & sapientia contingit, signaque prædicta minus inuadunt propter fortitudinem.

Comment. MOdestia magna Hipp. nam postquã longo discursu modum generationis huius morbi in pueris explicuit; dicit fieri sic, aut aliquo modo proximo huic, relinquens posteritati vigilandi occasionem: nam si aliqua magna difficultas circa prædicta se obtulerit; sufficit vt qui primus hanc veritatem fuit contemplatus (& ante illum nullus) aut illam attigerit, aut proximè ad illam deuenerit. Secundò exhibet rationem, ob quam si adultos iste morbus occupat, non statim occidat. Et certè vidi quamplurimos hoc morbo per totũ vitæ discursum laborare. Ratio est nostri textus sumpta ex parte loci, & ex temperie: ex parte loci, quia vasa omnia, & ventriculi, qui à pituita occupari possunt, habẽt maiorem amplitudinem, & non adest periculum suffocationis, neque facilè obstruuntur, & obturantur, sicut in puerulis, qui angustiores habent meatus. Ex temperie, quia adulti sicciores sunt, & calidiores quoad effectum: intensiuè enim sunt sicciores, quàm pueri, & quoad effectum; & efficaciam sunt calidiores, & consequenter pituita superatur à sanguine calido, & illi admiscetur ad bonũ corporis; & quãto fortior fit temperies, minus apparent signa periculi ex tali morbo; venæ, atque arteriæ, & nerui debitum spiritum liberè suscipiunt: vnde facultatum omnium optima operatio (quæ sapientia dicitur ab Hipp.) resultat.

TEXT. XLIX.

AT vero antiquissimis, si hic morbus accedat, propterea ipsos occidit, aut leuiter sideratos facit, quia ipsis venæ euacuatæ sunt, & sanguis modicus est, ac tenuis, & aquosus. Si igitur multum defluxerit, & hiemis tempus fuerit, occidit. Suffocat enim respirationem, & sanguinem congelat, si in vtrãq; partẽ defluxus fiat. Si vero in alterã tantum, leuiter sideratum facit. Non enim potest sanguis pituitã superare, cũ tenuis sit, frigidusq; ac modicus; sed ipse superatus cõgelatur, vt impotentes fiant illæ partes, iuxta quas sanguis fuerit corruptus. Ad dextras autẽ magis

gis defluit, quàm ad sinistras, quia venæ sunt cauiores, & plures, quàm in sinistris. Ab hepate enim tendunt, & liene.

Comment. NVnc ætatem senectutis contemplatus, in qua accidere potest morbus iste; antiquissimos, siue valde senes appellat eos, qui viridem senectutem transierunt, & mediam, aut vltimam agunt: his morbus iste lethalis est, quia extenuati sunt, ob defectum humidi radicalis, & sanguis paucus, & ob ætatiuã frigiditatẽ hepatis frigidus, & aqueus existit. Habet præterea copiã pituitosi excremẽti: si autem multa copia huius humoris ad meatus confluxerit, & tẽpus fuerit hiemale, statim occidit: nam & ratione ætatis, & ratione temporis, siue constitutionis hiemalis magna copia pituitę cumulatur, & præter easdem causas vires maximè debilitatæ sunt. Tales siquidem senes maximè patiuntur hoc tempore. Nã licet aliquis posset dicere hieme esse partes internas calidiores, tamen valde senes ideò periclitantur, quia calidũ quod retrocedit, paucum admodum est, & pituita, quæ increscit multa nimis: vnde cũ ratione frigoris externe retrocedãt, necessum est, maius esse damnum, quod cõsurgit ex affluxu pituitæ ad interiora, & nulla vtilitas ex recursu calidi influẽtis: quia potius obtunditur, & suffocatur, & ob id Hippoc. mentionem fecit hiemis, vt certissimum faceret mortis præsagiũ. Igitur quatuor considerauit; primò, debilitatẽ virtutis; secundò, pituitæ copiã, & paucitatem sanguinis aquosi, & frigidi; & tertiò, aerem frigidum, & humidũ; quartò, locum obstructum, & oppressum. Et dicens, vtrasque partes, idest sinistram, & dextram, significat omnes ventres cerebri, & vasa vtriusque partis oblædi; ex quibus mors necessario debet sequi.

Præterea secundò docet, quid accidat, quando non tanta est copia fluentis pituitæ, neque in omnes fluit partes: dicit fieri leuiter sideratos, idest leui Epilepsia, aut leuissima Apoplexia, aut leui aliquarum partiũ Paralysi affectos, in quas humor incumbit.

Vltimò affici magis partes dextras, quàm sinistras, asserit. Quæ propositio verissima est in casu nostri textus; licet enim communiter loquendo dextræ partes sinistris fortiores sint, & possint ad sinistras, vt imbeciliores trãsmittere: tamẽ hìc considerat caput pituitosum, vt partem præcipuè huic morbo subiectam & pituitæ promptuarium. Rursus pituita grauis humor cùm sit, & in senibus sit crassus, melius mittitur à capite in venas ampliores, & per illas melius descendit (quales sunt in dextro latere existentes.) Hoc experientia etiam docet, fluxũ alicuius rei facilius sumere viam per ampliores meatus, quàm per angustiores: fit autem frequentius in valde senibus ista transmisio, quia quantùm debiliores sunt facultates, tantùm sequitur natura propẽsionem humoris currentis, & capaciores vias. Si enim in antiquo robore persisteret cerebrum, non ad dextras, sed ad sinistras, & inter sinistras ad debiliores particulas onus deponeret.

TEXT. L.

DEfluit autem, & eliquatur pueris maxime quibus sanè caput fuerit percalefactum, siue a Sole, siue ab igne, siue etiã derepente inhorruerit cerebrum, etiam tunc pituita secernitur. Eliquatur etenim per calorem, & cerebri diffusionem; segregatur autem à frigore, & concretione; & sic defluit. Et quibusdam quidem defluxionis causa hæc est.

Di-

Comment. DIxerat in antecedentibus causas humorales, & intẽperies huius morbi (à principio generationis) tam coniunctas, quàm antecedentes, quæ intra corpus existunt, & ob id vocantur ab Auicena corporales. Nunc ad externas, & pro chatarticas deuenit, & in omnibus rationem ætatis contẽplatur, vt nil remaneat intactum, ad probandum ab illis causis fieri hunc morbum, à quibus omnes alij.

Textus sola indiget paraphrasi, inquit: Fluxus pituitæ excitatur à causa externa calefaciente, vt à Sole, ab igne; liquant enim, & fundunt. Secundò fluit à causa frigida repente horrorem efficiente; tũc enim separatur pituita, & fluit. Modus, quo fluit, talis est; segregatur à frigore, & cõcretione, & liquatur à calore. Quid hoc

Dub. est? Quomodo dicit segregatur à frigore? Frigus enim omnia indifferenter cõgregat homogenea, & ęthereogenea: quare ergo dicit segregatur à frigore, liqua-

Resp. tur à calore? Dico, quod frigiditas concretiua (de qua loquitur) ab ambiente frigido facta compressione partium, carnosarum externarum cerebri exprimit humorem ad interiora; & expressio hæc est motus localis, & segregatio pituitæ à locis, in quibus erat quieta. Itaque concretio congregat quasdam partes, & exprimit alias. Istas ergo partes pituitę liquat, & fundit calor, seu calidum, quod antiparistasi increscit etiã. Et hoc est, quod dicit: liquatur à calore, segregatur à frigore. Nam proponit primò solam causam calefacientem, & statim ponit cerebrum à duabus causis horrescere; à frigore scilicet comprimente partes viuẽtes, & exprimente humorales, & à calore liquante. Sensus vero horroris in istis causis sequitur, quando portiuncula aliqua per partes delabitur sentiẽtes; non enim omnes ad interiora cerebri. Et cũ loquatur de causis externis, à quibus afficiuntur corpora; hæc videtur textualis explicatio: sed præcipuè in pueris, qui tenerrimi cum sint, & expressionem, & liquationem facillimè patiuntur. At qui quando dicit cerebri diffusionem, non intelligas cerebralem substantiam diffundi & liquari. Non tale contingit, sed liquata pituita, etiam cerebrum calescit, & laxatur; & ita viam præstat penetrationi pituitæ: aliter enim non posset malũ prædictum in penitioribus partibus ipsius causari.

Ex dictis constat duas causas proposuisse Hipp. huius defluxus, calorem, & frigus, vt explicui. Neutiquam horrorẽ, vt putat Prosperus Martianus: nam motus horroris non est alia causa distincta, sed effectus destillationis iam excitatæ à calore, aut frigore. *Notatur Prosperus Martian.*

TEXT. LI.

ALijs vero etiam vbi derepente post Aquilonares vẽtos, Auster flare cœperit, compactum, ac debile cerebrum derepente soluit, ac laxat, vt pituita redundet, & sic defluxum facit.

QVod dixerat de congelatione, & perfrigeratione, & calefactione, exemplificat in alijs aeris mutationibus. Aquilonis venti sunt maximè frigidi, reddunt cerebrum compactum, & pituitam immobilem; si tamen [vt multoties fit] repente surgat Auster, qui ventus calidus est; sine dubio fluxiones excitat, nam laxat cerebrũ, & pituitam liquat, & soluit. *Comment.*

TEXT. LII.

DEfluit insuper, & ex ignoto timore, siquidem timuerint, aut aliquo vociferante, aut inter plorandum spiritum citò reuocare nõ potuerint; id quod pueris frequenter contingere solet.

Quidquid sane horum ipsorum acciderit, statim horret corpus, & æger mutus factus spiritum non trahit, sed spiritus quiescit, & cerebrum compingitur, & sanguis consistit, & sic secernitur, ac defluit pituita. Et pueris quidem hæ ipsæ causæ sunt, vt ab initio à Sacro morbo corripiantur.

Comment. ALIAS Causas memorat. Primo affectum animi, qui timor dicitur; si enim ignotus, aut obscurus timor acciderit, in Epilepsiam incidunt: prima pars timoris repente reuocat spiritum, & sanguinem ad interna, quæ sufficiens causa est obstructionis, & liquationis, & suffocationis spiritus; sed quem vocat ignotum, siue obscurum timorem? Certe illum, qui sine perspecta obiecti cognitione, sed cõfussa quadam perceptione contingit, qualis in pueris accidit, qui quandiu imperfecti sunt, bonum confusè appetunt, & malum confusè timent, sine distincta, & specifica obiecti cognitione. Timorē ergo hoc modo factum vocat Hippoc. ignotum seu obscurũ; cuius timoris causa licet per sensus plures percipi possit, tamen generaliter prius locutus est, dicens. *Ex ignoto timore*. Potest enim in somno timor accidere: potest & viso aliquo nouo, aut terribili aspectu in vigilia; sed quo pacto affectus animi morborum causæ existant, longa disputatio est.

Secundò per auditum causa pasmi afficere valet; si aliqua vox magna, & terrifica audiatur. Quare doctrina Hippocratis instructi semper monemus nutrices, & custodes puerorum, vt neque spectra, neque repentinas, & magnas voces permittant.

Tertio potest accidere Epilepsia ex magno, & intenso ploratu, cum non possint respirare, seu reuocare respirationē: videmus pueros hoc modo plorãtes suffocari. Omnes siquidem causæ relatæ ab Hippoc. contingunt: horror scilicet, causa calida intra detenta, mutescentia, spiritus retentio, compactio siue concretio cerebri à frigore partium externarũ, sanguis inspissatus ob defectũ spiritus: pituita etiam soluta ob dictas causas defluit ad cauitates, & complet suffocationem. Sed quare concludit textum dicens, & istæ causæ sunt, vt ab initio pueri hoc morbo corripiantur? Dub. Dico considerasse Hippoc. ætatis conditionem, & principiorum generationis tenerrimam massam, atque si prædictæ causæ adhuc adultos opprimere valent, quid dicendum, si statim ab ortu pueros aggrediantur? R. p.

TEXT. LIII.

AT Vero senibus Hyems infestissima est: cum enim ad multũ ignem senex caput, & cerebrum percalfecerit, deinde in frigore versatus fuerit, atque inhorruerit, & ex frigore ad teporem accesserit, & ad ignem desederit, idem hoc patitur, ac sic à morbo Sacro apprehenditur iuxta prædictum modum. Periculum vero multum est, vt & Vere patiantur hoc idē, si caput fuerit insolatũ: Minimè autem Æstate, non enim fiunt repentinæ mutationes.

Comment. SEnes statim post consistentiam manifeste frigefiunt, & humidiores sunt ab excrementis iam augescentibus, ob diminutionem caloris natiui. Patientur ergo magnas molestias ab hyemali frigida scilicet, & humida constitutione: nam

si à

si à frigescente temperie talia congerũtur excrementa, apertum est ab aere frigido, & humido recedente Sole ad alterum Tropicum; intendi etiam intemperiem, & generari excrementa pituitosa: ergo quantum est ex parte apparatus materialis, & ex parte qualitatiuæ dispositionis senes apti sunt ad morbũ Comitialem tempore Hyemis. Et hæc est prima propositio huius textus.

2 Propos. Secunda propositio sumitur ex modo viuendi, & consuetudine: cùm enim senes ita frigidis lædantur, quærunt statim focum, & semper ad ignem applicati, nõ solum pedes, & manus, sed faciem, & caput, & cerebrum adurunt. Dixit Hipp. cerebrum, & caput percalfaciunt, vt insinuaret, non solum percalefieri caput, quo intelligimus generaliter partes externas capitis, iuxta illud [formosum caput, sed cerebrum non habet] sed etiam cerebralem substantiam. Videbis enim senes in fornacibus super ignem respirare aerem calidissimum; tãtus illis est frigoris timor. Igitur internæ, & externæ partes capitis, satis superque calescunt. Deffessi autem, aut ipso corde iam appetente refrigerium, relinquunt focum, & ad cubiculum frigidius exeunt, aut per plateas ad negotia, tunc quidẽ per apertos poros facile frigidus aer horrorẽ inducit; atque fugiẽtes iterum ad ignẽ concurrunt; itaque fugientes vnũ dãnũ incidũt in horrorem, quia quod à frigore retentum erat, iam calore liquatum, sentiẽtes partes titillat. Sed tãdem in cauitates cerebri, & vasorum delapsa pituita Epilepsiam causat.

3 Prrpos. Tertia propositio aphoristica nostri textus. Periculum multum est vt Vere patiantur idem hoc, si cerebrum fuerit insolatum. Ratio istius est, quia constitutio tẽporis Vernalis est calida respectu Hyemis. Corpora ergo constipata à frigore extremo, quid mirum quòd liquentur à calore Veris? Sed quia posset quis dicere, non esse tantum calorem Veris, vt valeat concreta fundere. Respondetur: Sufficientem esse liquationis causam: nam sicut Auster liquat post Aquilonarem, vt dicebat text. 51. Ita Ver colliquat post Hyemẽ; & ob id Hipp. 3. Aphor. 20. Comitialem morbũ inter Vernales enumerat, vt nulla ferè sit sententia in hoc libro, quæ in alijs genuinis operibus Hipp. non reperiatur.

Dub. / Resp.

Præterea addit Hipp. si caput fuerit insolatum, necesse est, vt liquentur humores; & quidẽ tales mutationes extremas non tolerat natura sine maximo periculo, imo & mutationes paulatinas ad contraria solemus persentire; precipuè qui sumus senes [ego id in me experior) quid fiet in mutationibus tam conspicuis?

Quarta propositio. Minimè autẽ æstate; non enim sunt repẽtinæ mutationes, quia mediat Ver. Si enim ab Hyeme immediate fieret transitus ad æstatem, magnum esset periculum in hoc morbo: nam copia aggregata in Hyeme liquaretur in æstate, & suffocaret: nam si est periculosa mutatio ad Ver, multò magis, si immediatè fieret ad æstatem, ita extremè contrariam. At verò meliùs tolleramus calorem æstatis assueti iã calori veris, tanquam remissiori; & ob id dicit: Senes minùs pati æstate, quã Vere. Quæ propositio intelligenda est cæteris paribus. Si enim senex cum tanta copia pituitæ ad æstatem deueniret (quod accidere potest ratione praui victus) sine dubio periculosa magis esset æstas, quàm Ver; tamen facta collatione inter temporis mutationes, minus periculi habet æstas, quia supponit calore Veris multam portionẽ humoris fuisse consumptam; & assuetã naturam meliùs pati calorem æstiuum. Sed quid est quod dicit: Minimè fiunt repentinæ mutationes? Dico, quòd repẽtina mutatio vocatur ab Hipp. quę fit de contrario in cõtrariũ cum violentia repentina: talis igitur erit, si tẽpore Veris, aliquis exponeret caput Solaribus radijs, magnum periculum esset incidendi in morbum Sacrum; maius quàm in ęstate, quia hoc tempore assueta est natura calori. At verò si calori Veris, in exitu ab 4. Propos.

Hyeme

Hyeme, fiat insolatio capitis maius periculum imminet.

TEXT. LIIII.

Postquam vero viginti anni præterierunt, non amplius hic morbus corripit, præterquam paucos; aut nullum, nisi ex puero cõnutritus fuerit: venæ enim plenæ sunt, & cerebrũ compactum est, & acerbum, ac rigidũ quare non defluit in venas: si verò defluxerit, sanguinem non superat multum; ac calidum existentem.

Comment. DOcet in hoc textu nõ esse hunc morbum familiarem adolescentium iam ad iuuentutem properantium; qui transierũt viginti annos, nisi (quod rarum est) apprehendat aliquem, præter quam si à principijs generationis aliquod suppeditatur huius morbi fundamentum, quo abineunabilis nutriatur. Si enim tempore pueritiæ aliqua radix latitat, quæ in adolescẽtia florescat; non mirum quod appareat morbus, non solùm in ætatis augmento, sed ex cõsistentia; & hoc est quod dicit, nisi ex puero cõnutritus fuerit morbus. Sed quid est connutritus morbus? Dico, connutriri morbum non esse aliud, quàm conseruari eius radicẽ in sua causa, aut illa sit intemperies nuda, aut simul cum humore; conseruatur autem à similibus, exurgit deinde certo tempore, vt venena vocata ad tempus. Conclusio ergo talis videtur; rarissimè inuadere morbum istum post viginti annos, nisi fomes adsit à principio pueritiæ.

Dub. Videtur maximum dubium in doctrina Hippocratica: nam lib. 3. Aphor. tex. 29. ita decernit. Adolescentibus autem sanguinis spuitiones, tabes, febres acutę, morbus Comitialis, & alij, sed precipuè ante dicti. Quodsi huic ætati familiaris est; quomodo nunc contrarium asserit?

Resp. Respõdeo, aphorismũ citatũ explicandum, & intelligendum esse secundũ doctrinã præsentis nostri textus. Vide quã genuina Hippocratis sit ista sententia, siquidem quæ in Aphor. celebrantur, nõ habent veritatem, nisi ex hoc libro. Igitur ratione adolescẽtiæ nõ aduenit Comitialis; quia contraria prorsus temperies, & medicinalis floret in hac ætate aduersum Epilepsiam, affectum quidem pituitosum: vnde dicebat in Aphor. mutatione ętatis sanantur. Probat vero in hoc textu efficaciter non esse hunc morbum familiarem adolescentiæ: (vt statim dicam) quam sententiam Galeni amplectimur in Cõm. citato, Oribasij, & Philothei; asserimusque nõ contingere morbum Sacrum adolescentibus, quia in ea ætate sit dispositio, aut apparatus ad illum, sed ratione multorum errorum in victu, quos ibi refert Galen. cuius verba audiamus. Morbi autẽ Comitiales, quãuis malo victu vtantur, tamen ipsis non multi accidunt, vt mihi mirari subeat, quomodo & hos Hipp. scripserit, cũ in alijs non modo quod abundant in pueris dixerit, sed quod etiã ex hac causa morbus puerilis nominatur, & quod ætatis mutatione sanãtur, fiunt igitur, & in quibusdam adolescentibus morbi Comitiales, qui prius non erant propter victus errorem, quem in his, quæ assumuntur, admittunt, & in his, quæ ab ipsis agũtur, operibus; & quia humi cubant, & Soli se exponunt, & imbribus, atque alijs similibus; verũ hi morbi non multi sunt. Hæc Galen. explicans certè nostrum textum, & dissoluens dubium propositum.

Oribas. Philoth.

Vltimò probat Hipp. suam conclussionem, scilicet quod ratione temperamenti ætatiui adolescentum properantium ad iuuentutem, & consistentiam nõ debeat accidere morbus Comitialis. Primò, quia cerebrum, quod debet affici, taliter est dispositum, vt maximè resistat.

Est

Est enim cōpactum, & rigidum; sed quomodo his conditionibus resistit? Est ne lapideum, & resistit diuisioni? Neutiquā: sed his verbis explicat ætatiuam siccitatem, quam adquirit. Consumitur enim pituita excremētitia; præterea ipsa substantia cerebralis redditur magis firma consumptis aliquibus particulis crudis, quas in prima mixtione contraxit: quibus sic stantibus, non est causa materialis sufficiens ad morbum causandum; & si adesset, iam ipsa substantia cerebri taliter compacta est, vt non facilè cedat, neque admittat ingressum pituitæ ad vētriculos, sed potius ad emunctoria depellat; quod non poterat facere, quando præ nimia humiditate facilè admittebat causas præter naturam; & hanc dispositionem significat, dicens, cerebrum esse compactum, & rigidum, idest, firmum, & constans, & cùm ea resistentia, quæ intra limites substantiæ cerebralis, & medullaris potest cum determinata duritie seruari. Ad pensum enim siccitatis ætatiuæ inducitur constans durities.

Secundo probat ex parte humorum existentium in venis; adest enim copia sanguinis calidioris, qui non potest superari à pituita, si forsan defluxerit: ergo qui hac ætate fruuntur, non erunt obnoxij morbo Comitiali.

TEXT. LV.

IN quo vero à puero augmentum cepit, ac connutritus est, in eo per consuetudinem facit, vt in mutationibus vētorū patiatur, & vt plurimū morbo Sacro corripiatur, præcipuè Australi, ac humida aeris constitutione, & liberatio difficulter contingit. Cerebrum enim humidius, quā ex natura sit, & præpituita inūdat, vt defluxiones quidem frequentiores fiant; non autem amplius possibile sit pituitam excerni, neque cerebrum resiccari, sed perrigatur, & humidū existit.

Comment.

COntinuat probationem superioris textus, quoad alteram partem, quod adulti corripiuntur hoc morbo, quando ab exordio fuerit morbus connutritus. Diximus nutriri hoc malum similibus; similia autem sunt alimenta pituitosa, vita sedentaria, regio frigida, & humida; aut Australibus mutationibus exposita. His augetur causa passiua, & actiua; passiua, nam cerebrum fit humidissimum, & aptissimum ad suscipiendas fluxiones; actiua, quia pituita maxime increscit. His sic stantibus malum difficilimum fit: nā neque cerebrum potest exsiccari, quia continua pituitosa irrigatione madescit. Vnde sequitur, vt mutationes temporū difficulter ferant, sed præcipuè ab Australi, & humida constitutione maximè patiātur. Quæ omnia contra adolescentiæ tēperiē, ita militant, vt eā destruant, & omnino vincāt. Est enim tāta vis causarum præter naturam, vt non solum hunc morbum, verùm ipsam senectutē in ipso nascentis exordio valeat inducere, quam Hecticam senectutis solemus appellare. Nil ergo mirum, si pituitosus nascens, & debilis cerebri, non emendatus contrario regimine, cum hoc morbo ad alias ætates perveniat, nisi prius moriatur.

TEXT. LVI.

COgnouerit autē hoc ipsum quis maxime ex ouibus hoc morbo correptis, & præsertim capris; hæ enim frequentissime corripiuntur; si enim caput ipsarū disse-

dissecueris, reperies cerebrum humidum esse, & sudore refertum, ac male olens; & in hoc nimirum cognosces, quod non Deus corpus affligit, sed morbus.

Comment. DIxerat pituitosum, & humidum cerebrum esse aptissimum ad Epilepsiã, probauit ex causis, & à signo; nũc probat exemplo in ouibus, & capris, quorũ animalium cerebrum inuenitur humidissimum, & sudore, aut quadam aqua, seu madore refertum, & fœtore præditum. Sũt autem ista animalia maxime obnoxia Epilepsiæ, sed magis capræ; ergo satis constat causam huius morbi esse pituitosum, & aquosum humorem; atque cùm morbus Sacer, quo homines corripiuntur, sit eiusdem naturæ, erit etiam eiusdẽ causæ: ergo Deus nõ est author istius mali, neque ob id Diuinus censendus.

In explicatione huius textus illud aliquis contemplari posset; an verũ sit exẽplum de ouibus, & capris? Tamen cum Hipp. referat quæ vidit, & quæ doctissimi post ipsum scripserunt, & quæ nos etiam conspeximus, non remanet locus dubitationi; diximus aliquid supra tex. 8. *Arist.* nũc ex Arist. lib. 8. de Histor. animal. cap. 24. addendum duxi plures eruditos affirmasse ab experientia, oues eisdem morbis opprimi, quibus homo, atque ex consequenti etiam Epilepsia, quamuis lib. 31 Problem. 27. solũ hominem dicat Epilepticum fieri; sed in Problem. non omnia exactam habent probationem: tamẽ textus noster semper nobis probandus erit; aut disputando, aut explicando. Quẽ *Contra Mer. discursus.* si bene perpendisset Mercurial. non dubitaret de Epilepsia caprarum lib. 4. variar. c. 9. Oues iam concedit Epilepticas, quia pronæ semper terrã olfaciunt, & humiditates trahunt (ista sit illius ratio) sed capræ, quæ eleuatũ caput gestant, & febriculosæ sunt, ignorat quomodo sint Epilepticæ. Hoc declarat Hipp. dicens, quia cerebrum aqua fętida, & madore repletũ habẽt: quod si legeret Mercurial. rationem non difficulter inueniret, nã humiditas illa sufficiens causa est, vt frequentius in Epilepsiam incidant capræ, aut obstruendo, aut irritando, & ad irritationem compressis meatibus, qui angusti sunt, vt inquit Plutharchus in Roman. Problem. Itaque ex doctrina nostri textus, & ex sententia Plutarc. integra colligitur veritas. Quod autẽ adducit Mercurial. ex Clemẽte Alexand. 7. Stromat. iam explicauimus tex. 8.

Locus vero Plutarc. insignis Problem. *Plutarch.* Rom. 111. sic habet. *Quid est quod Cane, & Capella Sacerdotem adeò abstinere voluerunt, vt non modo attingere, sed ne appellare quidem liceret? An quòd capram quasi luxuriosam, atque olidam abhorrerent? An quod tanquam morbidam timerent? Videtur enim præter cætera animalia Comitiali morbo tentari, & qui gustarint, aut attigerint huius morbi aliquid inurere. Huius rei causam assignant poros angustos, quibus clausis etiam spiritus sæpissime includitur: quod arguit vocis tenuitas. Qui enim hoc morbi genere tentantur, similem Capellæ vocem edunt, &c.* Sed certe quæ statim de Cane prosequitur; admiranda, & religione plena sunt. Redeo ad Mercur. pro defensione nostri textus, non legit hunc integrum, vt debuit legere; nam subticuit causam, ob quam Hippoc. Epilecticas capras appellat: nempe ob fętidam serositatem, quam congregant in cerebro, sicut etiam ouibus contingit; sed non ita frequenter. Rationes vero, quibus innititur iste Autor, nullam habent efficatiam. Primò, Capræ alto capite, vt plurimum, pascuntur, nec demisso *1 Ratio.* semper in terram, vt oues, & consequẽter nõ prauas exhalationes, & vapores hauriunt. Secundò, quia siccam habent *2* temperiem. Tertiò, quia continuo febricitant: *3* ergo non rectè dictum est ab Hippoc. oues corripi hoc morbo; sed præcipuè; & frequentissime capras.

Sed fallitur Mercu. Ratio prima falsissima est, licet apparens: nam oues, & ca- *Resp. ad ration. Mer.*

præ non vocantur à nostro Præceptore Epilepticæ, quia demisso capite herbubulas rodunt, aut quia subodorant terram, & auriunt alitus, sed quia quandam male olentem humiditatem in cerebro congerunt; in hoc conueniunt. Quod vero pascantur alto capite, aut demisso, nil aut parum facit ad morbum Sacrum. Nã plura animalia (vt sues) videbis, non quomodocumque caput submittentia, sed terram ore, & naribus subuertentia, luto, & ceno affixa, neque illum fętidum sudorem, aut madorem in cerebro congerunt, nec fiunt Epileptica. Ergo ex modo sumendi alimentum, demisso, aut eleuato capite tepidum argumentum adduxit Mercurial. Secundũ, & tertium in idem incidunt, & nil probant. Nã siccitas, & febris caprarum poros strictiores, & angustiores valent efficere (vt aiebat Pluthar.) etiam venulas, neruulos, & arteriolas capitis: quibus sic stantibus facile fœtidus mador in cerebro colligitur, qui debuerat per poros, & vias alias effiari, & qualibet obstructione impeditur exitus. Est vero maior strictio pororum in capris, ergo frequentius incident in Epilepsiam. Colligimus autem maiorem strictionem, ex tenuiori balatu; igitur quãuis dissecuerit Hipp. capita ouium, & caprarum, & in vtrisque aqueam illam humiditatem fœtentem inuenerit, sed non æqualiter; nam in capris maiorem copiam, & fœtidiorem reperit, & viarum angustiam. Quam nostram explicationem e longinquo attingit Celius Aur. nam dormire super pellem caprinam, malum dixit, ob fœtidam qualitatem cerebro inimicã, vt recte aduertit Aldrob. proprio cap. de Capris. Ex quo clare duas propositiones elicio. Prima est, capræ frequentius in Epilepsiam incidunt, ob angustiam pororum, & vasorum cerebri, & secundò, quia congerunt in cerebro serosam illam humiditatem fętore affectam: atque licet copia congesta soleat obstructione malum prædictum causare; probabile existimamus frequenter à mala illa qualitate cerebrum irritante, concussionem caprarum excitari, siquidem Aurelianus vir tantæ authoritatis, ob similem qualitatem nociuas ait esse pelles caprarum. Quid ergo erit dicendum de ista qualitate in suo fonte, & principio existente, nempe in cerebro?

Mercur. *Plutharc.* *Cel. Aur.* *Aldrob.* *1 Propos.*

Secunda propositio, oues licet humiditates in cerebro congerunt, non ita fętidæ existimandæ sunt, nec malitiosæ; nam nec dormire in earum pellibus, nociuum esse, dixit Hippoc. aut Aurelianus, & alia ex parte non strictos habent poros, sicut capræ: ergo neque ita frequenter morbo Sacro corripientur. Omnia hæc parturit tam breuis textus. *2 Propos.*

TEXT. LXVII.

SIc vero se res habet etiam in homine; cum enim ætatem adeptus fuerit morbus, non amplius curabilis est; cerebrum enim eroditur à pituita, & colliquatur. Id vero, quod colliquatur, aqua fit, & foris cerebrum ambit, & circumalluit, & propterea frequentius, ac facilius a morbo hoc corripiuntur.

Comment. EXplicat quo pacto, sicut in prædictis animalibus morbus iste cõnaturalis dici potest, quia à principijs generationis per totam vitam infestat, humiditate praua non repurgata, sed redundante in cerebro; ita etiam in homine cùm morbus inueterascit, incurabilis est, quia cerebrum natiua distemperie affectũ ex coctionibus particularibus recrementa pituitosa distemperata generat: à quibus rursus conseruatur, & augetur, si augeri potest distemperies habitualis, & quasi erosione consumitur, &

& liquescit. Id vero, quod ex tali actione resultat tenue, & aquosum superhatat, & cerebrum ambit (nam neque ad istam prauam aquositatem ex toto expellendam vires suppetunt) atque irrigat. Quę omnia necessario habitualem morbum manutenent, & conseruant, & accessiones frequentiores deducunt.

TEXT. LVIII.

PRopterea vero diuturnus est morbus, quia id, quod influit venis tenue est, præ multitudine, & statim superatur a sanguine, & calescit.

Comment. EXplicuit in textu antecedenti similitudinem causarum inter hominem affectum hoc morbo, & oues, & capras. Nunc causam peculiarem diuturnitatis adducit; & obscurè satis. Primò, quia diuturnitas morborũ pendentium à distemperie cum affluxu materiali, de quibus hic agit, pendet à crasitie, & tenacitate, vt à conditionibus quę causam reddunt resistentem calori natiuo; imò etiam & medicamentis,

1. Dub. Quomodo ergo dicit, quòd morbus sit

2. Dub. diuturnus, si humor sit tenuis? Secundò auget difficultatem dicens præ multitudine; quid enim habet tenuitas cum multitudine? Nullam certè connexionem habent ista duo, quia ex eo, quod humor sit multus, non sequitur quod sit tenuis. Quo ergo pacto intelligenda, & declaranda est propositio? Quod influit venis

3 Dub. tenue est præ multitudine? Tertiò dubitandum: nam si id, quod fluit, statim superatur à sanguine, & calescit; ergo in bonum vertitur humorẽ. Vnde ergo fit diuturnus morbus? quod si non vertatur, sufficit vt attenuetur humor. Si ista tria dubia, seu obiectiones ad textum explicemus lucidè, remanebit mens nostri venerandi Senis.

1. Dico ad primam dubitationem, quòd humor pituitosus [de quo semper loquitur in hoc libro] habet duas partes diuersas, & secundum modum, & secundũ quantitatem, & secũdum tẽpus. Explico In istis morbis diuturnis, & precipuè capitis semper supponimus intemperiem, quæ congerat quãtitatem humoris, quã Hipp. vocat multitudinẽ pituitæ crasæ, & frigidæ, tanquam antecedentem causam, & mediatam, quia (vt rectè adducitur in dubio proposito) diuturnitas in morbis materialibus à tali intẽperie, & genere humoris proficiscitur, aut ab alio simili; tamen iste humor non est qui facit accessiones Epilepticas, sed quædam portio ab illo decissa, non ita crassa, sed tenuis respectu alterius, quæ remanet; quia non ad vẽtriculos cerebri, & ad par uula, & exigua vascula posset penetrare crassus ille succus, quo metiri debet longa, & diuturna constitutio totius morbi: percolatur ergo pars illa tenuior, quæ liquatione extracta fuit à tota massa pituitæ, & hæc est quæ causat accessiones particulares, & hoc modo multis annis viuunt Epileptici, nisi nouus error accedat. Et ratio istius est, quia ad diuturnitatem erat necessaria talis intẽperies, quæ generet pituitã multã, & crassam; sed cũ hæc non possit facere accessiones, saltim illas causat ex sudatione, & liquatione tenuioris, aut mediocris partis: & hoc fuit intentũ Hipp. quando dixit: tenuis præ multitudine: Sed quare nõ dixit prę crasitie simul cũ multitudine? Respõdeo, quia subintelligit sub illa particula *multitudine*; nã semper loquitur de pituita, quę infrigidat, & detinet, vt supra visum est. *Quia multa est, non potuit tenuari, nisi vna particula ad accessionem.* Ista autem neutiquam valet intrare penitiora cerebri, nam si intraret, non Epilepsiam, sed Apoplexiam efficeret: ergo reliquum est, vt portio quædam attenuetur, & liquescat, vt possit penetrare, & irritare simul, & obturare: nã vt dictũ est, ista portio est tenuis respectu pituitæ, à qua liquatur; & est crassior bile, atq; adeò sufficiens ad obstruendũ moderata obturatione, quæ pro Epilepsia requiritur: ex quibus elicimus in Epilepsia diuturna, & habituali constitutiones vniuersales esse

longis-

longißimas; acceßiones quippe esse breues; nam portio illa, quæ causat actualem accessionem, cum non sit ita crassa, citò dissoluitur; antecedens verò, cùm quotidie talis generetur, diuturnum morbum constituit.

Ad 2. Ad secundum patet ex dictis. Dictum est, quòd multitudo crassa, est materia, ex qua fit tenuis illa accessionalis portio: si enim accedat causa liquans, vt affectus animi, insolatio, aut refrigeratio, vt supra declarauimus text. 50. potus calidus, cibus acris, exercitium immoderatum, & alia huiusmodi; incidunt statim in accessionem, quia pars pituitæ illius crassæ, & multæ attenuata, intranea cerebri perturbat.

Ad 3. Ad tertium dico, quòd potius confirmat nostram explicationem; nam totum illud, quod liquatur, calescit, & superatur à sanguine calido, & breuiter Epilepticus reducitur ab illa accessione, sed non manet liber à causa alia multa, & crassa, quã diximus conseruare statum Epilepticũ.

TEXT. LIX.

Quicumque vero iam assueti sunt morbo, præcognoscunt se corripiẽdos, & ex hominum frequentia fugiunt; si domus ipsorũ in propinquo fuerit, ad domum: sin minus in locũ desolatissimum; vbi quam paucissimi ipsos lapsos sint visuri, statimque se obvelant; idque faciũt præ pudore affectionis, non præ timore, velut multi putant, Dæmonij.

Comment. Declarat quæ præcedant accessiones Epilepticas, ratione habita ætatis; primò in adultis, secundò in pueris. De adultis agit in hoc textu, dicens quòd qui iam assueti sunt huic morbo, præcognoscunt accessionẽ esse propinquam, & statim fugiũt prout commoditas est: alter ad domum, alius ad solitudinem, ne aliquis ipsos videat, tam turpiter agitari, & cooperiunt se indumentis suis ob pudorem, non præ timore Dæmonij, vt aliqui existimant.

Sed dubitabis quomodo præcognoscunt cito esse corripiendos? Resp. hoc contingere [vt dicit Hippoc.] in his, qui diu passi sunt hunc morbum, quos docet experiẽtia. Nouimus enim aliquos prius tanta tristitia affici, vt dicant, nuntium iam adesse imminentis accessionis, alios dolore, aut grauitate capitis torqueri; alios alia diuersa accidẽtia subire, prout fuerit pars, à qua initium motus sumit humor; vt refert Galen. in lib. de Locis affectis adolescentem illum, qui sentiebat à crure ascendere auram quandam subtilem, & peruenire ad cerebrum, antequam caderet. Ita & alij sentiunt aliquam nouitatem in membro mandante in liene, ventriculo, hepate, vtero, aut alijs partibus, & quamuis non omnes sentiant ascensum humoris, aut auræ; tamen percipiunt manifestam mutationẽ, & aliter se habere. Quibus signis prænoscunt accessionem esse vicinam; vidi multos fugere, aut ad domum, & in domo fugere ad secretũ cubiculum, & statim currebãt qui aderãt, vt illos tenerẽt, ne se precipitarent, aut iactarent cum periculo alicuius magni vulneris. Quæ prçludia ferè semper sentiuntur, quãdo morbus est per consensum ab aliqua longinqua parte, licet, vt adnotaui in morbo per propriam affectionem, etiam animaduertunt sua signa, licet magis occulta: nam vidi aliquos tacere, & aliquantulum suspendi signum futuræ, seu instantis accessionis, alios repente sine causa externa tristari, cum tamen essent antea læti, & isti nil sentiũt in aliqua alia parte, nisi in actionibus ipsius capitis, quod per se læsum est, igitur hoc modo prænoscunt.

Dub. 1

Resp.

Se-

Dub. 2. Secundò dubitabis quare se cooperiunt ob pudorem, cũ nil sentiant, postquam cadunt?

Resp. Resp. quod cooperiunt se, antequam cadant, edocti ab experientia; nam postquam excitantur ab accessione, audiunt referẽtes, qualiter se habuerint, quomodo se iactarent, & sine vlla cognitione se proijcerent, & turpia facerent; atque cũ hæc audiant sibi accidere, cooperiunt se, vt nemo illos videat.

Dub. 3. Tertiò dubitabis, quæ opinio erat illa, quam non admittit Hipp. quæ dicebat omnia ista fieri ob timorem Dęmonij.

Resp. Respondeo de causa Dæmoniaca esse agitandum in secunda parte istarum prælectionum. Nunc dico, opinionem illam fuisse Magorum, qui dicebãt, fugere istos ęgrotos à Deo, vel Dæmone persequente. At vero Hipp. nunquam placuit Magorum impostura, & ob id docet fugam non esse propter Dæmones, sed ob pudorem. Possumus nos dicere, quod in istis morbis inueteratis maximè dominatur affectio tristis, & melancholica, fugiunt ergo superati ab aliqua imaginatione tristi; & quia omnia præsentia, appareãt timore plena.

TEXT. LX.

AT vero pueri primũ quidem cadunt vbicumque tandem contigerit præ insuetudine. Cùm autem sæpius à morbo corripiantur, postquã præsenserint, confugiunt ad matres, aut alium maxime notũ præ timore, aut formidine affectionis; verecundari enim pueri nondum sciunt.

Comment. DIxerat in præcedenti textu de adultis, qui cognitionem habent perfectam eorum, quæ præcedunt hunc affectum. Nunc agit de pueris, quorum ætatem diuidit in duas partes (prout ad præsens pertinet institutum) nam quidã sunt pueruli prope exortum, qui nullã habent experientiam huius mali, & alij sunt grãdiusculi iam cognoscentes proprios parentes, & nutrices.

Primos infantulos dicit repentè corripi, vbicumque adsint, aut in brachijs nutricis, aut in lectulo, aut in cunabulis sine vlla præsensione mali futuri. Alios dicit ob assuetudinẽ iam habere aliqua signa cognita futuræ accessionis, & fugere ad parentes, aut nutricem, aut aliũ sibi cognitum, quasi ad refugium, vt liberentur à malo: nõ enim fugiunt, vt adulti propter pudorẽ, nam pueruli non verecundãtur, quia nondum experti sunt causas verecundiæ.

Circa primũ diximus in superioribus, infantulos recens natos ita habere cognitionem confussam multarum rerum, vt neque patrẽ, aut matrem cognoscant, neque nutricem suam distinguant ab alia nutrice; ita sunt sua organa imperfecta, vt quamuis habeant omnia requisita ad esse potentiarum, non tamẽ habeant necessaria ad operandum; & ideo potentiæ puerulorum potius vocantur à Philosophis impotentiæ. Quid ergo mirum, quod in ista infantiæ prima parte nõ præcognoscant futuram accessionem? Nam si adhuc non percipiunt præsentia, quomodo cognoscẽt futura in signis, ad quorum cognitionẽ maior vis, & perfectior est necessaria.

Secundò, quia signa præcedẽtia accessionẽ, talia solent esse, & aliquando ita latent, vt ipsosmet adultos, & expertos soleant fallere, & subterfugere: ergo multò magis subterfugient infantulos.

At vero alij pueri, qui iam incipiunt obiecta magis discernere, assueti huic malo aliquid cognoscunt sine dubio, siquidem fugiunt ad quærendam medelam, aut saltim tutelam, & vmbraculum, aduersus malum iam in foribus existens; non tendunt ad solitaria loca, non fugiunt ad antra,

ſed ad parentes ſibi proximos ad nutrices, ad pedagogos; quodſi non adſint, accurrunt ad notiorem, & proximiorem. Hi pueri non fugiunt ob pudorem, ne videantur apprehenſi coram multis (vt dicebatur de adultis) ſed fugiunt ob timorẽ mali iam per ſua, quaſi ſigna incipientis.

Dub. 1 Sed dubitabis primò, quid ſentiunt iſti pueri, & qua potentia illud percipiunt?

Dub. 2. Secundò quæ eſt ratio, propter quã ignorant verecundiam, cum non ignorent iraſci, & triſtari, dolere, timere, & audere, &c.

Quomodo dignoſcunt pueri venturam acceſsionem.

Reſ. ad 1. AD primum dico, quòd pueri ſentiũt aliquod malum preſens; nõ quod malum cognoſcatur per propriam ſpeciem, ſed ſenſus tactus cognoſcit aliquid quod grauat, aut aliquid quod pertinet ad latitudinem ſui obiecti. Hoc enim nõ poteſt negari, ſi iſta cognitio incipit à ſenſu percipiente alicuius humoris motionem alteratiuam. Rurſus cum propter conſuetudinem tale ſignum eſſe initium maioris mali appareat cogitatiuæ; neceſſarium eſt vt fiat affectus timoroſus, non aliter ac affectus doloroſus ſequitur ad tactum, & ad apprehenſionem æſtimatiuæ; ad quæ duo ſequitur prædicta affectio: ita ſimiliter pueri, ſicut per viſum recipiunt ſpeciẽ timoroſam, & in ſomnis timent à ſpecie non ſenſata à externis ſenſibus; fit etiam vt tactiua potentia aliquid contrarium ſentiat, quod ſit initium materiale timoris: poteſt enim ſentiri humorum perturbatio, & motus, & anxietas quædam, quæ nil eſt aliud in hoc caſu, quàm inordinata diuerſarum partiũ contrariorũ ſenſatio, vt ſolet contingere in turgentia, aut incubo. Vt ergo pueri conquerũtur, & affliguntur ab alijs cauſis, ita etiã à motione cauſæ Epilepticæ, antequam adueniat acceſsio: ad iſtã ſenſationem ſequitur perceptio moleſtiæ, ad iſtam timor maioris mali; ſemper in timore eſt aliqua latitans diſconuenientia, vt latius videbimus. Itaque ex malo ſigno præſenti timent futurum; idẽ contingit, quod in adultis, ſed non ita perfectè, & explicitè.

Quantum poſsit adhuc in pueris conſuetudo.

An puetuli verecundia afficiantur.

Reſ. ad 2. AD ſecundum dubium dico, rationem, propter quam verecundiam ignorãt pueri, non poſſe percipi, niſi intelligamus quid propriè ſit verecundia. Ergo audiamus Ariſtot. 4. Ethic. cap. vltimo, non longe à principio, & lib. 2. Rethor. & Beatũ Thomã eius ſummum enarratorem. *Verecundia eſt quidam affectus, qui ſequitur timorem de aliquo turpi; ex quo, aut neglectio, aut infamia ſolet conſequi*: Vnde ait Diuus Thomas 2. 2. quæſt. 116. art. 2. ad 3. *Quod non ſemper magis verecundatur homo de grauiori peccato, ſed de magis turpi peccato*: vndę non verecundatur homo, quod alium occiderit, ſed ſi illũ occidit turpiter, & à tergo contra bonas leges humanas. Vnde verecundia propriè ſequitur ad timorẽ contemptus, aut alicuius infamiæ, atque vt docuit Ariſt. in magnis Moralib. Verecũdia eſt quidam affectus medius inter impudentiam, & ſtuporem in actionibus, ac colloquijs. Sed lib. de Partitione oratoria dicebat: *Verecundiam eſſe cuſtodem omnium virtutum, dedecus fugientem, &c.* Quæ ſi rectè conſideres, inuenies ad verecundiam maius iudicium requiri, quam reperiatur in paruulis pueris; ignorant enim quid ſit infamia, quid ſit dedecus actionũ, aut turpitudo verborum. Hæc vero debent illis conſtare experientia, & doctrina morali; quomodo poteſt verecundari, qui ignorat, quid ſit contemni ab hominibus, aut dehonorari? Neque obiecta turpia dignoſcere, quorum fugam docent leges optimæ diſciplinæ, & benè morigeratæ conſuetudines.

Ariſt.

D. Thom.

Vnde ad argumẽtum reſpondeo, quod licet

licet irascantur, aut timeant, &c. non tamen verecundantur, quia iste affectus præsupponit plures cognitiones perfectas, quibus carent pueri; respicit enim verecundia [de qua hìc loquitur Hipp.] locum, tempus, personã; circa quæ omnia animus iudicat, vt vereatur de re turpi, ex qua sequitur contemptus.

Est autem alia verecundia satis diuersa, quæ oritur coram re magna, & maiestatis plena, quæ potius reuerentialis quædam confusio posset appellari. Vnde quando verecundamur coram Deo Optimo Maximo: duob⁹ modis solet nobis cõtingere. Primò peccata nostra inspiciendo, & verecundia dolorosa afficimur, quod talia sint perpetrata coram eius oculis, quæ adhuc coram hominibus non auderemus. Secundò verecundamur, quando in eius pręsentia constituitur nostrum nihil, & nostra vacuitas totius boni vacua, & omnino inanis: certè generatur quidam affectus quasi passiosus, compositus ex verecundia, confusione, reuerentia, admiratione, gratiarum actione; in qua verecundia non est timor infamiæ, aut contemptus, aut turpitudinis, sed quædam animi erubescentia ex eo, quod videat se animus sine vlla virtute, qua possit esse Deo gratus. Hæc pertinent ad aliam ætatem magis perfectam, quam sit puerilis: ergo pueri (vt rectè dixit Hipp) ignorant verecundari, & secundum leges humanas, & diuinas.

S. Ambro. Neque obstat, quod Diuus Ambrosius lib. 1. de Officijs, cap. 19. dicat omnibus ætatibus esse aptam verecundiam; nam loquitur de ætatibus capacibus verecũdiæ: verba sunt pulchra. *Verecundia cum sit omnibus ætatibus, personis, temporibus, & locis apta; tamen adolescentes, iuueniles que annos maxime decet, vt artifex in materia commodiori melius operari solet: sic verecundia in ipso corporis decore, plus eminet: ita tamen vt ipse etiam non sit affectatus decor corporis, sed naturalis, simplex, neglectus magis, quàm expetitus.* Hactenus Diu. Ambros. Ex quibus constat non loqui de illa ętate, quę magis est nutritiua, quàm polytica; appetit viuere, deinde appetit benè viuere.

Itaque Sanctus Ambros. excipit ætatem puerilem, & eos, qui iam crescunt, docet verecundari cum Aristot. loco citat. 4. Ethicor. cap. 9. *Vbi ad eos docet pertinere verecundiam, qui propter illam peccare desinũt.* Sed Arist. 1 Magn. Moral. cap. 27. dicebat: *Verecundus est, qui nec cuncta, & omnino dicit, & agit, neque in omni, & omnino trepidat, sed agit, & loquitur, vbi, & quæ, & quando expedit, &c.* Videas nunc an istę conditiones possint conuenire lactantibus, aut nuper ablactatis. *Arist.*

De causis morbi Sacri, quæ ex mutatione ventorum, & eorum differentijs desumuntur.

TEXT. LXI.

Cæterũ in mutationibus vẽtorũ; propterea morbo Sacro corripi censeo, maxime quidẽ Austrinis; postea vero etiam Aquilonaribus; deinde etiam reliquis ventis: hi autem sunt qui fortissimi ex ipsis existunt, & inter se tum statione, tum viribus contrarijssimi. Etenim Aquilo compingit aerem, & turbatum, ac nubilosum excernit, & pellucidum, ac illustriorem facit. Eodem modo etiam alij omnes venti ex mari, atque alijs aquis proficiscentes. Ex omnibus enim rebus; atque

adeo ex ipsis hominibus humiditatem, ac tenebrositatem excernunt. Quapropter saluberrimus omnium ventorum Aquilo existit.

Comment. ACcedit ad enarrandas alias causas huius morbi, ventos scilicet, dicens, quod quamuis omnes venti potẽtes sint admutanda nostra corpora, tamẽ Aquilonaris, & Australis inter omnes potentissimi, & efficacissimi existunt. Hinc Arist. 2. Metheor. Aquilonaris prius enumerat effectus; cũ enim sit frigidissimus, & siccissimus aerem compingit, siue cõprimit, & ab eo quidquid nubilosum est, & turbulentum excernit, manetque aer lucidus, & purior; atque adeò ipsa Sydera, Solem, Lunam, & Stellas splendidiores videmus isto flante vẽto, medium ipsum depurante. Istam aeris puritatem, à ventis inductam, eruditè, vt solet, contẽplatur noster doctiss.mus Abulensis 7.p. in Math. cap. 25. q. 436. fol. 229. col. 2. vbi asserit. *Ad aeris conseruationem, vẽtos maximè conferre. Primo, quia illũ mouent: Secundo, quia à rebus extraneis expurgant.* Quæ sententia licet vniuersalis videatur, sed in particulari de vento isto præcipuè intelligitur, qui mouet, & purgat. Auster si mouet, nõ sic purgat. Neq; solũ hunc effectum aeri præstat, sed in omnibus corporibus, quę possunt comprimi superfluam, & quasi obscuram humiditatem exprimit; atque adeò ipsos homines similiter afficit, & ob id saluberrimus ventus censendus est.

(Arist. — Effectus salubres Aquilonaris venti. — Abulens.)

Contrarius huic Australis, & contrarios effectus præstat: differunt isti duo venti, & distant quamplurimùm, non solum statione, idest situ ortus: nam Aquilonaris sub polo Arctico eleuatur, Australis sub Antartico, sed etiam viribus, quia ille frigidus, & siccus; hic vero calidus, & humidus. (Australis.)

Illud autem quod dicit, *& alij venti post istos*, Sic intelligendum, vt isti primi, & potentissimi existant ad mutationes excitandas; alij verò collaterales, qui iuxta illas partes eleuantur, mutent quidem corpora, sed non ita efficaciter. Qanto enim ventus Septentrionalis, seu Aquilonaris magis sub Vrsa eleuatur, frigidus est: ad latera vero excitatus, non tam firmam efficatiam demonstrat. Præter hos ventos omnes alios subintelligit, tã eos, qui regionales vocantur, quàm qui fortuiti. Ex isto loco colligit Arist. 2. Meteor. duos esse principales ventos, Aquilonarem, & Australem. (Arist.)

Sd aduertendũ est, quod licet alij plures sint ventorum differentiæ, non ita ad Medicos pertinent, sicut ad nautas, & nauigantes. Nam cum illi duo qualitatibus nimis excedant, ad morbos, qui in ametria consistunt, maximè considerandi.

Controuersia inter duos ventos præcipuos.

SEd iam aduertis contradictionem in textu; nã cõclusio talis est. *Quapropter saluberrimus omnium ventorum Aquilonaris existit.* Contra istam conclusionẽ stat, quia dixit: *Omnem humiditatem à corporibus per compressionem moueri* [quod etiam iterum refert post paucas lineas.] Iste verò effectus, licet in alijs corporibus possit esse bonus; tamen in viuentibus plurima mala parturire valet; distillationes, tumores, suffocationes, Apoplexias, Epilepsias, liquatis scilicet humoribus, & fluentibus ad partes, ad quas neutiquam fluere debebant. In plantis etiam ingentia nocumenta videmus; nam tabescunt à frigore (tabes enim quædam est à frigido, & sicco, sicut alia à calido.) Fructus congelantur, & emoriuntur; quia talis est ventus iste, vt non solum humiditatem superfluam exprimat, sed natiuã prorsus destruat, vt possis dicere cum Scriptura sacra: Ab Aquilone pandetur omne malũ. Quod Hipp. confirmat lib. 3. Aphor. 5 & eodem lib. Aphor. 17. vbi enarrat mala à vento Aquilonari prouenientia,

(Dubiũ 1. Qualis vẽtus salubrior. — Rationes dubitandi — Sacra Scriptura — Hippoc.)

dicens:

dicens: *At si Aquilonia fuerit, tusses, fauces alui duræ, difficultates vrinæ, horrores, costarum dolores, & pectoris. Quando hæc tempestas præualuerit, talia in morbis expectare oportet.*

Resp. ad dub. Sed facilè responderi potest; aliud esse loqui absolutè; aliud verò facta comparatione vnius venti ad alium, iuxta dispositionem corporum affectorum; nam absolutè loquendo siccitates imbribus sunt salubriores, vt Hipp. dixit. Atque cum Aquilo sit siccissimus, nulli dubium, quin saluberrimus sit, & in hoc sensu loquitur Hip. in hoc textu: Cum verò in aphor. refert mala prædicta, id agit considerans corpora disposita ad fluxiones; hæc enim cùm humore plena sint, compressione facta a vento frigido, & sicco, in tales incidunt morbos: At verò si prudenter rebus non naturalibus vtamur; potius in constitutione Aquilonari vegetiores reddimur, quia coctiones augētur; sensus viuaciores, discursus fiunt acutiores. Vnde Galen. (ex Heraclit. lib. quod animi mores corporis sequantur temperiem) dicebat spiritum siccum animam reddere sapientissimam. Præterea si comparemus Aquilonares effectus cum Austrinis, procul dubio saluberrimus est Aquilo; & ita Galen. in aphor. rectè dicebat: *Si comparentur detrimenta ab Aquilonibus, his, quæ ab Austro inferuntur, illa certè & pauciora, & minora existunt.* Itaque quamuis ponamus corpora disposita ad patiendū ab vtroque vento; minus ab Aquilonari, quàm ab Australi, sine dubio afficientur: vt hinc constet solutio obiectionis propositæ, quia omnia mala, quæ tribuuntur Aquiloni fieri possunt ab Austro & plura alia; siquidem quæ proficiscuntur ob compressionem possunt contingere ob liquationem, imò & periculosiora, quia aer, qui liquat humores, etiam partes viuentes laxat, vt amplius recipiant: vnde maiora sunt mala, quę Aquiloni non contingūt; nam si per compressionem pellit, tamen etiam multas partes indurat, vt minus recipiant.

Heracl.

Quod ex sacra scriptura dicebatur ad alium sensum intelligendū venit. Nos de morbo Sacro, & alijs affectionibus agimus, quæ ab hoc aut illo vento pronascuntur.

Ad causandum morbum Sacrum, quare primum locum Austrino vento tribuit Hipp?

Dvbitationem habet, prima pars textus. *Propterea morbo Sacro corripi censeo, maxime quidem Austrinis, postea verò etiam Aquilonaribus.* Ponit ordinem inter ventos ad causandum istum morbum. Austrino primam, & quasi præcipuam causam externā tribuit; Aquilonari secūdum locum concedit; reliquis, vero suo ordine, tertium statuit. Et vt egō intelligo, collaterales insinuat; non, tamen ostendimus solutionem istius dubitationis, nisi forsan comparatiuè. Nunc autem, quærit ista dubitatio in ordine ad morbum Sacrum. Quare primum locum absolutè tribuit vento Austrino; cum ita potentissimus sit Aquilonaris ad fluxiones excitandas; pendet autem accessio huius morbi à fluxu.

Multa sunt, quæ Preceptorem nostrum potuerunt philosophice mouere ad hūc Aphorismum statuendum, tanquam legem in prædicta controuersia: nam ad plures morbos efficiendos se extendit humiditas Australis. Secūdo quia morbus Sacer citius aggreditur cerebrū à prædominio humidū; ergo vētus qui hāc auget humiditatē, primū locū optinet. Neq; sufficit dicere contra Hipp. non ita esse humidum ventum; siquidem transit per spatia maris vaporibus salsis, & contactu aquæ salsę, posset aliquo modo medicari, & siccari. Respondemus, à Meridionali plaga, flare istum ventum miro tepore affectum. Vnde Statius Papinius lib. 5. Syl. dicebat. Resp. Stat. Pap.

An imbrifero Lybiā sudauerit Austro.

Et Ouidius Satio Antiquior 1. Metam. Ouid.

Meridies nubibus assiduis, pluuioque madescit ab Austro.

Quod ita verum est, vt dicat Arist. Si ce-

ciderint coturnices, & serenum, & Aquilonium tempus sit, sociantur & prosperè degunt; sed si Austrinum molestè, quia parum volant. Sed interrogas, quare parum volant? Resp. ob aeris quidem densiorem conditionem, & quia corpora ab illius humiditate grauantur; nam & ob id à Græcis Notus dicitur, de quo Virgil. lib. 1. Georg.

Virg.

Arboribus satisq; Notus pecoriq; sinister.

Præter dicta, illud ponderandum. Hunc ventum non solum humiditate excellere, sed aliquando etiam mala quadā qualitate inficere: nam cū in partibus Lybię quam plurima sint animalia venenosa; credibile est, ab illis in aere aliquid vaporosum posse recipi, quod sit, non solum Epilepsię, sed aliorum morborum seminarium. Recte igitur supradictum est, plura esse incommoda, quæ ab Austrino proficiscuntur.

Dub. 2. Sed dubitas circa textum quomodo Aquilo comprimit aerem, & expurgat à tenebroso humore?

Resp. Respond. ventum Aquilonarem in aere idem præstare ac flauellum; separat suo impetu quod fulliginosum est, & nouo accessu frigoris refrigerat: sicut in corde contingit, ingreditur aer, & motu locali separat fumos; qualitate vero comprimit spiritum, ne pereat præ subtilitate, & cor ipsum temperat; itaque ventus iste hoc modo nebulas, & quidquid aliud vaporis, & fumi in aere existit, expurgat.

An excitetur ventus à mari?

3. Dub. Tertio dubitas. Nam dicit quod eleuatur ventus à mari, & reliquis aquis. Ratio dubitandi est, quia exhalatio quæ materia venti debet esse, oportet vt à terra eleuetur, quia siccior, & firmior euadet ad recipiendū impetum motus, & ad communicandū illum. Quod autem ex terra tales exhalationes erumpant, ostenditur, quia Sol melius imprimet calorem quieta existente terra. Secundo, quia cū terra frigida sit, & sicca, his etiam qualitatibus exhalatio prædita erit, ita vt ex parte agentis, & passi, & ex parte conditionis quæ est permanentia, & quies terræ, exhalationes debitę fiant. Contraria ratio apparet in mari: fluxu enim, & refluxu, aut tempestatibus aeris agitatur. Præterea humida aqua existit; ergo quantumuis à Sole calefiat neutiquam ministrabit debitas exhalationes ad ventum. Accedit quod multi in re nautica periti dicunt à terra esse omnem ventum, quamuis transeat per mare; ergo textus Hipp. adhuc maiori eget explicatione.

Resp. pro Hipp. Et lib. 2. de Diata. Tamen existimo dicendum pro Hipp. in hoc libro, & lib. de aere, aquis, & locis ventum excitari à mari, & fluminibus, & non solum à terra (quidquid alij dicant) nam quando concurrunt sufficientes causæ vnius effectus, non est cur negemus ita accidere. Sed in mari, aut Australi, aut Septentrionali, aut Orientali, aut Occidentali, agente Sole potest eleuari sufficiens copia exhalationum, & alia ex parte poterunt moueri, & impellere aerem [de quo puncto non est huius loci disputare] ergo non est negandum ventos excitari à mari, & reliquis aquis. Si enim in mari exhalationes eleuantur à Sole, & plures forsan quam in terra, quorsum non erit ventus à mari?

Quod plures possint eleuari materiæ euaporabiles, per se constat. Quod autem siccæ sint, salsedo maris declarat, & omnium aquarum stagnantium, quin & fluminum, & aquarum dulcium, quia sicut salsedo fit in pituita dulci, calore præter naturam vrente, ita exhalatio sicca ex aqua salsa, aut dulci, intensior tamen ex salsa. Quod si hoc ita est, quorsum accedente causa motus ventorum, non spirabunt, sicut venti à terra.

Sed melius ista constabunt propositis conditionibus Australis venti.

(?)

TEXT.

TEXT. LXII.

AVster autē contraria huic operatur; primum enim incipit aerem compactum liquare, ac diffundere. Quapropter etiam non statim magnus spirat, sed primum lentus, ac lenis est, quoniam aerem statim superare non potest, qui prius densus est, & compactus, sed temporis progressu ipsum dissoluit; idem porrò hoc etiam in terram operatur, & in mare, fluuiosque, ac fontes, & puteos, & quæ ex terra nascuntur, & in quibus humor inest. Est autē in omni, in alio plus, in alio minus. Omnia autem hæc ventum hūc sentiūt, & ex splendidis tenebrosa fiunt, & ex frigidis calida, & ex siccis humida. Et quæcumq; in domibus vasa iuxta terram sunt, cum vino, aut alio quopiam liquore, ea omnia Austrum sentiunt, & formam in aliam speciē transmutant. Solem verò *& Lunam, ac sydera multo hebetiora, quàm ex natura sunt reddit. Cū igitur etiā his, quæ adeo magna sunt, ac fortia in tantum dominetur, & corpus sentire faciat; vt ex horum ventorum alterationibus transmutetur, necesse est ab Austro quidem solui, atque humectari cerebrum, & venas laxiores reddi; ab Aquilonis vero flatibus, quod sanissimum est, in cerebro compingi, quod verò morbosissimum, ac humidissimum est excerni, & forinsecus circumuallare, atque sic defluxus in horum ventorum mutationibus succedere. Hoc modo hic morbus fit, & floret tum ab accedentibus, tū à decedentibus, & nullatenus difficilior aut cognitu, aut curatu est, quàm alij, neque etiam diuinior alys.*

ISTE Textus cum superiori debet continuari, sed claritatis gratia separatus est; ex vtroque autem fit argumentū à fortiori satis concludens hunc morbum non esse alijs diuiniorem, siquidem ab eisdem causis naturalibus, sicut alij, proficiscitur. Argumētum tale est. Ventus Aquilonaris comprimendo, & exprimendo humiditatem, omnia corpora immutat, & Auster laxando, & liquando fortissima quæq; etiā immutat; & corrūpit ergo à fortiori immutabunt cerebrum humanum, & Epilepsiam efficient modo supradicto; Si enim, aer terra, lapides. & omnia corpora, quamuis fortissima sint, ab istis ventis patiuntur; ergo multò magis cerebrum aut compressione, aut laxitate, & liquatione recipiet humores in ventriculis, vt fiat affectio Epileptica: igitur generatur iste morbus, & curatur sicut alij; ergo non diuinus dicendus est magis quàm alij. Singula vero textus verba, si aliquid habent obscuritatis, perpendamus. Comment.

Auster contraria operatur. Diximus, quod licet ventus Auster oriatur sub Antarctico polo frigidus; tamen statim per latissima spatia Lybiæ calidissimæ transiens, & per torridam Zonam calidus fit; & tandem per maria pergens humescit; deuenit

deuenit ergo ad nostram Europam calidus & humidus; ergo contrarios effectus præstabit: & sicut Aquilo omnem humiditatem ab aere, & omnem turbulentiam, & crassitiem depellebat, ita Auster turbulentum, pluuiosum, & nebulosum reddet; sydera ille spectabilia reddebat, hic obscurat, & obnubilat. Rursus: Aerem liquat, & diffundit, non intelligas liquare, vt ceram vides liquari à Sole, sed sicut Aquilo expressione ab aere expellebat vapores, relinquens partes aeris magis compactas, ita Auster suo calore, & humore aerem laxum reddit, & humiditate aliena imbuit.

Dub. textuale. Sed dubitas: quomodo potest aer hæc pati à ventis? Nam apertum est, cùm Aquilonares flant, esse aerem quidem depuratum, vt dicit Hipp. Sed quomodo fieri potest, vt sit densior? Contrarium certè experimur, est enim tenuissimus, & ob id maximè penetrat ad partes internas; ergo non erat compactus, ergo neque diffunditur ab Austro.

Resp. Respondeo re vera comprimi aerem, vt ait Hipp. ab Aquilonari, quia propulsis vaporibus, & nebulis arctius, & strictiùs partes aeris vniuntur, quæ mixtione alterius corporis dissidebant, & propriè loquendo hoc est compingi aerem, aut compactum effici. Meliùs coniunguntur partes similes aeris deturbatis alienis, & dissimilibus; sed attende quòd hoc modo non fit densior, vt tu sentis, sed purior, & tenuior, & cum hoc magis compactus; nam quando tu objicis fieri densiorem aerem, putas fieri crassiorem sicut aqua, quando congelatur à frigore; sed falleris, quia aer neutiquam est congelabilis, sicut aqua ista, qua vtimur: hæc enim à frigore, & siccitate concrescit, tendens ad naturam mixti, quia fluidę, & crassioris substantiæ cùm sit, etiam admittit multas extraneas partes, quæ omnes non exeunt per concretionem, seu expressionem propter modum crassiciei ipsius aquæ, sed simul comprimuntur, & densantur. At vero aer cùm leuior, & tenuior sit, & transpirabilis accedente frigore, & siccitate Aquilonari, exprimuntur aliena: ipse vero aer remanet tenuior, & compactior, id est, suis partibus similibus magis vnitus, & ob id habet qualitates, quas hic dicit Hipp. redditur frigidior, & siccior, purior, tenuior, & penetrans.

Vnde ex his patet ad obiectionem, nam licet aer depuretur à vaporibus, & fiat tenuior; cum hac tenuitate stat, quod sit magis compactus, & vnitus; benè stat tenuitas cum strictione, & vnione partium. Quod multis in locis reperies apud Hipp. 3. Apho. 5. de Aquilonio dicebat, *& ventrem siccat, & oculos mordet.* & Gal. libr. de Symp. med. facul. nam de vento Circio ait purgare, & sensum acrē inducere, ob tenuitatem partium. Quæ loca consulto relinquo, ne ab Hipp. textu longius discedam.

Quare Auster in principio tarde, in fine velocius concitetur?

Sed dubitas circa id, quod docet ventum Austrum in principio moueri tardius, posteà vero velocius, & cum maiori impetu? Et dat rationem, quia in principio retardatur ab obiecto, siue aere denso & compacto. *Dub. 2. textuale.*

Resp. Sed pro huius difficultatis enadotione notandum est Hipp. in his textibus comparare Austrum, & Aquilonem inter se, atque ob hanc causam philosophatur inspectis vtriusque dispositionibus, atque ita loquitur de Austro, succedente Aquilone: ipsa verba id manifestè explicant, dicit: *Australem ventum moueri leniter, & tardè quando incipit, quia detinetur vsque dum vincat aerem compactum, & densum.* Sed quare compactus, & densus? quia scilicet ventus Aquilonaris in eo statu aerem constituerat; ergo loquitur in isto loco de istis vētis sibi succedētibus, vnus sequitur post aliū. Quasi dicat, ad Problē. Arist. quare Auster in principio est lenis & in fine magnus? Respondet, quia in principio obiectum sibi aerem Aquilone densatum fundit prius, & calefaciendo rumpit,

rumpit, vt posſit flare. At in fine motus erit magnus ventus, quia viribus recuperatis aere inciſſo velocius mouetur, vt aqua detenta à terra minus fluit, poſteà vero humefacta, & victa tranſit, & impetuosè fluit.

Ariſtot. Theoph. Ariſtot. & Theophraſt. facilè ex hac doctrina Hippocratica ad quæſtionem reſpondent. Sed tantum Magiſtrum ſilentio prætereunt, & verba quoad poſſunt, immutant; vt ſibi gloriam tribuant, antiquioribus negent. Tamen pro textus maiori luce diſcurſum Theophraſti proponam lib. de ventis text. 8. & 9. dicit. *Ab eadem autem pendet cauſa quod Aquilo ſtatim cùm incipit magnus ſpiret; Auſter verò vbi ceſſat; vnde & prouerbium conſilium dat de his, quæ pertinent ad nauigationem. Aquilo enim his qui ad Vrſam vergunt, ſtatim quaſi imminet, Auſter verò longè abeſt; at verò diuturnior eſt eorũ, qui procul ſunt effluxus, ac tum magnus, cùm multitudo collecta ſit exhalationum; ÿs enim qui circa AEgyptum, locaque illa habitant, Auſter contrà incipiens magnus apparet: vnde & illic prouerbium contrario modo pronuntiant. Denſitatis partiter ÿsdem cauſa eſt, nulloſque fluctus edit, continuus præterea & æqualis: quilibet enim ventus ſemper ÿs, qui in vicino ſunt, eiuſmodi ſe habet: ÿs vero, qui remotiora loca incolunt & inæqualis, & diſtractus, & nõ cõtinuus.* Et infra. *At hoc præter rationem eſſe videtur, Auſtrũ proprÿs locis perpetuo ſerenum eſſe: Aquilonem vero ſi per Hyemem magnus ſpiret, proximis locis nubilum, extra verò ſerenum: profecto cauſa eſt, quoniam Aquilo ob magnitudinem multum aeris mouet, quem occupat, & indurat, priuſquam expellat; congelatæ verò nubes manent ob grauitatem; extrà autem, lociſque remotioribus magnitudine potius, quàm frigiditate viget, qua illud operatur. Cæterùm Auſter cum pauciorem materiam habeat, neque eam indurare poſſit, ſed depellat ſerenitatem in vicino affert: ÿs autem, qui longiùs incolunt, quia magnus ſpirat, pluuiũ magis ſe præbet, atque deſinens potius, quàm incipiens, quia cum incipit pauciorem, cum vero progreſſus fuerit, maiorem aeris copiam depellat, qui in hunc modum collectus, nubilus efficitur, atque denſatus pluuius redditur; A minori autem aut maiori principio initium ducere non parum differt; quandoquidẽ ſi principium paruum fuerit, ſerenus Auſter erit; ſi verò magnum, eo quod plus aeris compellat nubilus, & pluuius.* Hęc Theophraſt. ad noſtrum text.

Scio indigere maiori explicatione verba Theophraſti, cum tamen bene cõſtet à noſtro Hipp. accepiſſe ſententiam, mutaſſeque verba: nam quod Hipp. dixit eſſe tardum in principio Auſtrum, quia nõ vincit aerem. Theophraſt. dicit eſſe tardum, quia nullo modo fluctuat in primo exortu: non verò fluctuat, quia denſum eſt medium: in Ægypto iam fortior eſt, quia multa copia ibi exhalationum coniungitur.

Sed dubitas, ſi Auſter in principio eſt lenis, & in fine eſt validus; ergo Aquilo erit in principio fortis, & in fine debilis, ſi contrariorum eadem eſt ratio. *Dub. 1.*

Præterea Ariſt. omnium ventorum finem dixit eſſe debilem, & ferè non ſentiri; quomodo ergo dicit nunc Hipp. Auſtrum eſſe fortiorem. Et confirmatur, nam Ariſt. expreſsè ait 26. ſect. Problem. 39. finem Auſtri nõ ſentiri, ſi ergo Auſter non ſentitur, quomodo dicit Hipp. eſſe fortem, & validum; non fieri poteſt, vt ſi validè ſpirat, fugiat noſtrum ſenſum. *Dub. 2.* *Ariſtot.*

Inſuper omnes venti ſunt debiles in principio, vt eleganti exemplo fluminũ, & fōtiũ docuit Ariſt. 2. Meteor. 4. vt enim flumen à paruo principio oriens, acceſſu alterius, & alterius aquæ increſcit; ita ventus in primo ortu debilis, & paucus, aggregatione exhalationum tumeſcit, & validè ſpirat; ergo non eſt dicendum Auſtrum tantummodo eſſe paruum in principio, & maximum in fine: hoc enim omnibus ventis videtur proprium. Hæc oportet ſoluere ad firmandam mentem noſtri Præceptoris. *Dub. 3.* *Ariſtot.*

Reſpondeo ad primum ita contingere, quod Aquilo eleuetur ſub Vrſa mitior, ſicut Auſter ſub ſuo polo: tamen ratio eſt eſt reſpectiua; qui enim habitamus has *Reſ. ad 1.*

Europæ partes non sumus ita propinqui Polo, vt sentiamus flatum paruum nuper ortum, quia sumus in tali distantia, vt experiamur impetum fortiorem, & non ita longinqui, vt experiamur debilem. Ita respondet Arist. ad dubitationem Problem. 38. Sect. 26. Aliud enim est esse sub ipsa Vrsa, aliud esse vicinos illi. Igitur fortissimum sentimus Aquilonem: sicut Ægyptij, & illorum Prouintiæ fortissimum sentiunt Austrum.

Et in hoc seruatur eadem ratio contrarietatis, quam petit argumentum: at verò si cætera sint paria, scilicet, quod oriantur isti venti contrarij sub punctis Polaribus contrarijs, idest, sub debita distantia circa Polos, sine dubio erunt ibi remissi, & lenes, quia omnes exortus ventorum in suo principio parui sunt, vt dicebat Arist. 2. Meteor. Sed nobis erit fortior Aquilo ob rationem dictam, quia sicut sagitta impulsa iuxta ipsum exortum non ita ferit, sicut postea, cum aliquod mediat spatium: ita similiter iuxta Polum non erit ita fortis Aquilo, neque Auster, sed in terris vicinis erunt fortiores. Hipp. autem idem dicit in hoc textu, scilicet, Austrum in principio esse mitem, & posteà fortiorem; non tamen loquitur de fine vltimo motus in quo omnes venti flaccescunt.

Ad 2. Ad secundum respondeo verū esse omnē ventum in fine sui motus esse debilem, vt docuit Arist. Sed aduertendū quod profitetur Hipp. doctrinam, nam licet omnis ventus debilis sit in fine; tamen hæc est differentia, quod Auster in fine non sentitur ob suam eo tempore mansuetam qualitatem, erat enim calidus, & humidus. At verò Aquilo sentitur propè cessationem (& hæc est interpretatio loci difficilis Arist. de sensatione qua sentimus iā iam cessantes ventos) nam Aquilo, cum semper obtineat qualitates ita nobis contrarias, siccitatē, & frigus vitali calori inimicas, etiam circa finem motus illas sentimus, quia melius sentimus quod contrariū est; at verò Austrū calidū, & humidū iam deficiente nō sentimus, quia familiarior, & similior est. Hoc probaui in tractatu de potentia tactiua in primo tomo.

Ad 3. Ad tertiū patet ex dictis, & ex Arist. 2. Meteor. ideq; docuit Hipp. in hoc textu, à quo accepit Arist. loco citato, & 26. Problem. omnes siquidē venti (sicut & morbi) in principio sunt imbellices, & in fine; in statu verò fortiores; statū ventorū dico cū tota exhalationū congeries simul mouetur, vt Australiū ad Ægyptum, Aquilonarium ad nos, Declinationē, & imbecillitatē ventorū iudico, cū distributæ exhalationes, & distractæ in varias partes, vim amittunt, & sedatur motus; hæc omnia communia sunt omnibus ventis; vt hic docet Præceptor noster.

Dub. 2 circa alterā partē textus. Sed circa aliam partem textus dubitas, quare dixit Hipp. ab omnibus rebus Austrum sentiri, à terra, ab aquis putealibus, ab omnibus tandē, quę circa terram sunt, ligna, vasa, & omnia, quæ in domibus habemus, hunc aerē sentiunt? quin & Sol, & Luna. Quid hoc est? Resp. verissimā esse doctrinam, & experimēto firmatam; videmus quippe omnia madescere flāte hoc vento adhuc lapides ligna, &c. Accedit enim ad nos humidus semper, & pluuiam parans, calidus etiam, & ob id putrefaciens, & tabefaciens omnia quæ tangit. Vnde Statius Sylu. Resp.

Stat. *Pubetesq; ro a primos moriūtur ad Austros.* Et idē 5. Syl. *Maligno afflatur vineta Noto.* Sed quare Auster dicatur Notus plura apud Celiū: dissertissimus Philo sine dubio legit nostrū Hipp. aut in hoc loco aut etiā 3. lib. Aphoris. 1. de Vita Mosis, agēs de hoc vento. *Aridus, capitis dolorem inuehens, grauedinem, fastidium, mærorem.* Philo.

Dub. Sed dubitas quare Philo vocat Austrū aridū, cum sæpius dixerim cū Hipp. esse humidū. Respondeo quod Ægyptijs est minus humidus ob siccitatē Libiæ, cū autē nostra Europā inuadit, multis ex mari, & alijs aquis cōgregatis vaporibus fit vdus, quin & magis humidus, vt supra explicui: At Philo loquebatur de tractu illo Ægyptiaco, vnde & Arist. in Meteoris Austrum serenum esse Lybicis aiebat; sed nostræ Europæ infestus est. Virg. Buc. Eclog. 2. Resp. Virg.

E heu

E heu quid volui miseromihi? floribus Austrũ
Perditus, & liquidis immisi fontibus apros.

Sigiſ. Gal. interp. Sed redeo ad Philonẽ lib. citato, p. 481. *Moſes iuuente Deo virgam extendit in aerem. Moxque Auſter incubuit violentisſimus per totam diem noctemque inualeſcens, malum vel per ſe valde noxium. Eſt enim aridus inuehens dolorem capitis, & grauedinẽ, languoriſque tædium, præſertim in AEgypto Regione ad Auſtrum oppoſita, & expoſita Solibus, vt quam primum is ventus mouetur AEſtu exurat omnia, &c.* Videsquomodo in illa Regione recipitur Auſter humidus & craſus, tamen ſuſcipiens maiorem calorem, illa mala parturiebat. Ergo rectè Philo aridum vocat, quem iam Sol accenderat calore. Docuerat quippe Hipp. 2. de Diæta ventos à Regionum temperamento permutari, & à locis per quæ tranſeunt. Sed ad præſens inſtitutum de Auſtro ſic ait. *Nam cum per Solis iter & Meridiem ſpiret, humiditas ipſius à Sole ebibitur, & reſiccatus rareſcit; quapropter neceſſe eſt, ipſum calidum ac ſiccũ huc accedere. In proximis igitur* Regionibus: *neceſſe eſt ipſum talem vim calidam & ſiccam exercere, & hoc ſanè in Libia facit.* Ecce locum à quo Philo deſumpſit ſuam ſententiam.

Hipp.

Itaque omnia ſentiunt Auſtrum; nam & Aſtra, Sol, Luna, &c. aere iſto tantis vaporibus alterato, apparent nobis non ita conſpicua. Quod autem dicit Hipp. omnia formam tranſmutant iſtius venti attactu; ſic certè contingit, nam aut corrumpuntur, aut alterantur, ita vt vel ſubſtantialem, aut accidentalem formam permutent: adducit exemplum in vino. Certè magnam diligentiam impendunt, qui agunt de vinis ſeruandis, ne Auſter dolia, aut vaſa tangat, claudunt vndique feneſtras: aperiunt autem Aquilonari, corrumpitur vinum ab Auſtro, perficitur à contrario.

Sed ad quid hæc omnia Hipp? vt concludat neceſſarium eſſe cerebrum maximè pati ab iſto aere, & Epilepticum fieri. Siquidem alia corpora mixta, aut ſimplicia, fortiſsima cum ſint, tâm manifeſtè alterentur ab iſtis ventis Auſtralibus, liquatione facta, & laxatione tam humorum, quàm partium; ab Aquilonaribus autem compreſsione defluentibus ſuperfluis ad ventres: ergo ſi accedentibus, aut recedentibus his cauſis iſte morbus (de quo agimus) aut fit, aut curatur: neutiquam magis Diuinus eſt, quam alij.

Digreſsiuncula haud inutilis. Locus Sacræ Scripturæ explicatur: & Hipp. 2. de Diæta.

ANtequã ab iſto textu diſcedã, quę dicta sũt aliquãtulũ agitãda, & explicãda. Diximus Auſtralẽ ventũ & Aquilonarem, diuerſis rationibus eſſe cauſas morbi Sacri, & frigidum & ſiccum Aquilonarem ab Hipp. ſtatui, Auſtralem humidum & calidum: illum à Septentrione flare; hunc à Meridie contrarijs partibus mundi. Sunt verò aliqua loca quæ explicationem petunt. Locus ille difficilis ex Pſ. 77. verſ. 30. *Abſtulit de cælo Auſtrum, & in virtute ſua induxit Africum.* Videtur loqui Sacer textus, quaſi de duobus ventis contrarijs: abſtulit vnum & poſuit alium cum tamen Auſter & Africus, Meridionales ſint. Pſal. 77.

Secundò. Hipp. lib. 2. de Diæta omnes ventos docet eſſe frigidos & humidos. Quæ doctrina omnino videtur contraria huic quę enodatur in hoc lib. Verba ex 2. de Diæta hæc ſunt. *Porro de ventis quam naturã, ac facultatẽ ſinguli habent, hoc modo cognoſcere oportet. Naturam quidem habẽt omnes venti humectandi ac frigefaciendi, tum animalium corpora, tum naſcentia ex terra, ob hanc cauſam. Neceſſe eſt omnes ventos ſpirare à niue, à glacie, & gelu vehementi, & fluminibus, & ſtagnis, terra perhumecta ac perfrigerata. Et fortiores quidem ventos à maioribus & fortioribus; debiliores vero à minoribus, & debilioribus. Quemadmodum enim animalibus ſpiritus ineſt. Sic etiam alijs omnibus, alijs quidem minor, alijs vero iuxta magnitudinem. Naturam quidem*

igitur

igitur habent humectandi & frigefaciendi omnes venti. Verum propter situm Regionum ac locorum per quæ venti ad singulas Regiones accedunt, diuersi interse fiunt, frigidiores, calidiores, humidiores, ficciores, morbosiores, salubriores; singulorũ autẽ causã sic cognoscere oportet. Boreas siue Aquilo frigidus spirat, ac humidus, quia progreditur à talibus Regionibus, &c. Similiter philosophatur de Austro. In qua sentẽtia illud indiget explicatione; quomodo Hipp. omnes ventos dicat humidos ex propria natura? Contra Arist. 2. Metheor. cap. 4. contra se ipsum in hoc lib. & 3. Aphoris. & Gal. in comment. contra Auicen. 2. 1. do. 2. cap. 8.

Circa versum Dauidicum varij sunt modi dicendi; sed non possum intelligere quod dicit Abulensis ad lib. Numer. cap. 11. quæst. 76. apud Antiquos Africũ vocatum fuisse Aquilonarem. Forsan ille vt Doctis. & lectionis varietate illustris sic inuenit. Nos vt pusilli ingenij, putamus Africum, collateralem esse Meridiei, & aliquantulũ accedere ad latus Oriẽtale respectu Poli Australis; atque adeò nil habet cum Aquilonari, nec re, nec nomine. Igitur Theodoret. Euthymius, illud verbum, *transtulit*, non intelligunt, quasi dicat, abstulit, aut amouit, seu cessare fecit; sed excitauit & flare iussit, vt sit sensus, transtulit de cęlesti thesauro & emisit in terram, vt exponit S. August. vt simul cũ Africo adducerent coturnices ad Isrealitas in deserto. Nõ igitur loquitur Psal. de istis duobus ventis tanquã de contrarijs, sed quia ista explicatio aliquibus duriuscula apparet. Clarissimã interpretationẽ accipe ex D. Hieroymo transfert sic. *Abstulit Eurum de cœlo, & induxit in fortitudine sua Africum.* Quasi dicat, abstulit, siue impediuit Eurum, ne flaret, ab Oriente, & præcepit vt vehemens Africus excitaretur. Eurus quantũ habet de præcipuo vento Orientali, tantũ in suo cursu, potest impedire Australes, inter quos Africum; nam vt oriens Sol, & per totum suum iter, in latera Meridionalia & Aquilonaria dispergit vapores & exhalationes, quasi viam sternens lucidissimo splendori; sic etiam & ventos vtriusq; Poli reprimit Eurus. Abstulit igitur Deus Op. M. Eurũ, & induxit Africum; contrarij quippe sunt & se impediunt. Quo miraculo (vt suspicor) ordinem seruauit Autor naturæ, nam licet posset, etiam ventis contrarijs [quin & sine vllo] famem satiare peregrinantium imperabit tamen vni, vt impelleret coturnices ad castra Hebræorũ, & abstulit impedientia.

Abul. *Theod.* *Euthym.* *S. Aug.* *D. Hiero.*

Hipp. cum Arist. multi conciliãt; vide Gal. 2. Simpl. cap. 20. Ætium libr. 1. ser. 3. cap. 163. Propter istas sententias, & alias quas continet lib. 2. de Diæta existimatur alienus, & quia cum de cibis deberet agere, hæc miscet. Est ergo noster liber de morbo Diuino norma & regula vt illæ sententiæ moderentur in 2. de Diæ. Quod autem dicit circa Polos esse frigora, niues, & magnas congelationes, non solum ratio dictat; sed illorum experientia, qui vtramque Regionẽ peragrarunt. Quo supposito sententiam 2. de Diæt. (licet videatur contraria) sic expono. Considerat Hipp. primum ortum ventorum, & progressum. In illo primo ortu sub Polis frigidi & humidi exiliunt, vbi suma absentia Solis, magnũ gelu, & niuiũ concursus adest; nam licet istæ Metheorologicæ impressiones, primò occursu non fluxiles appareant, sed stipatæ sunt tamen proximè humidæ, & paratam maiorem obtinent humiditatẽ: quia nix, non ammisit humorem, quem facile soluit. Ergo Hipp. ventum ab his partibus eleuatum merito vocauit humidum, & frigidum: At vero in progressu, vt docet in hoc lib. (& citato de Diæta) variant venti penes loca, & Regiones per quas transeunt, Auster fit calidus, & humidus vt supra demonstrauit; Boreas, aut Aquilo ad nostram Europam flat frigidus, & siccus, per montes altissimos, rupes, loca cribrosa, deponens humorẽ: ille per solitarias Libiæ arenas, vbi nec animalia potum inueniunt, discurrit arescens, & humiditatem corporum trahens vt dicebat

Ad 2. Hipp. *Aristot.* *Gal.* *Ætius.*

cebat Hipp. sitque calidus, & humori primæ generationis addit nouum suctũ ab ipsis corporibus, quoad possit, vsque dum, per ampliora stagna, & Mediterranea humiditatem prædominantem Europæ ciuitatibus importet. Ergo cóponi possunt lites sine Hipp. reprehensione, quando ipse se explicat.

TEXT. LXIII.

PORRÒ expedit homines nosse, quod ex nulla alia nobis parte voluptates contingũt, & lætitiæ, & risus, & lusus, quã ex cerebro. Iteq; mærores, & anxietates, tristitiæq; ac eiulatus, & querelæ. Et hoc sapimus maxime, ac intelligimus, & videmus, & audimus, & cognoscimus turpia, & honesta, mala, & bona, iucunda, & iniucunda, partim consuetudine discernentes, partim vtilitate percipientes. Eodẽ voluptates, & iniucunditates pro opportunitate dignoscimus, & non eadem nobis placent. Eodem & insanimus, & deliramus, & terrores, & timores nobis accedunt, partim noctu, partim interdiu; & insomnia, & errores intempestiui, & curæ inanes, & vt non noscamus adstantes, & desuetudo, & inexperiẽtia. Atq; hæc omnia perpetimur à cerebro, cũ sanũ nõ fuerit, sed aut calidius, quã ex natura fiat, aut frigidius, aut humidius, aut siccius, aut aliud quid perpetiatur præter naturam, & consuetudinem.

Comment.

TExtus iste non potest rectè intelligi, nisi attentè legas, quę diximus in nostra Hipp. philos. tex. 59. vbi Hipp. omnia, quæ hic in cerebro fieri dicit, docet in corde celebrari; tamẽ existimo consone semper locutũ fuisse verissimis Philosophiæ principijs, atq; (vt sæpiùs in meis scriptis dixi) reliquos Philosophos à fontibus Hippocraticis, quidquid boni edocuerunt, ebibisse.

De sede affectuum animi. Explicatus Hipp.

1. CLaritatis ergo, & breuitatis gratia oppono nostro textui: quod lib. 1. de Diæta dixit, loquens de corde: *In hoc anima, mens, prudẽtia, augumentũ, motus, imminutio, permutatio, somnus, vigilia, &c. Locus iste omnino est contrarius huic, quem in præsentia declaramus.* 2. Deinde lib. de Carnibus dicebat: *Calidum immortale esse, & cuncta intelligere, & videre, & audire, & scire omnia, tum præsentia, tum futura.* 3. Et lib. de flatibus nil nisi sanguinẽ ad sapientiam conferre aiebat; ergo aut noster tex. spurius est, aut aliter explicandus, ne contrarius sibi inueniatur Hipp. 4. Prætereà cum enumeret animi affectus, siue passiones appetitus, & appetitiones omnes fiãt in corde, nõ apparet, quopacto fiãt in cerebro: nã tristitia męror voluptas, &c. ad appetitũ pertinent. 5. Dubitas satis ad rẽ, cũ Hipp. intendat ostendere morbum Comitialẽ non esse diuinũ; quid opus est vt homines sciant cerebrũ esse non solũ sapientiæ domiciliũ, sed omniũ affectuũ sedẽ. 6. Curæ inanes potiùs pertinent ad mores, & ad deprauatã institutionẽ. Quare inter morbos cerebri? aut inter affectiones enumerãtur? 7. Dubitas. Quare Hip. omnia, quæ refert in hoc textu dicat oriri ab intẽperie cerebri, calida, frigida, humida, aut sicca, cũ ad alias morborũ differentias subsequi possint, etiã & ad deprauatã cõpositionẽ, aut solutã vnitatẽ. Ostẽditur. Quia ad vulnera capitis sequitur mẽtis alienatio; & alia quæ hic enumerantur: ad prauã cõpositionẽ etiam sequitur insania: in qui strictos habent cerebri ventriculos

(vt contingit his, qui maximè oblongũ habent caput) sine dubio mente aberrãt, & stolidi sunt; de quo puncto videdus est noster labor in Hipp. philo. fol. 87. 8. Timores interdiu, quem affectum cerebri sequuntur? & timores nocturni quem alium? 9. Sed interrogas, quomodo inter symptomata cerebri affecti enumerat desuetudinem, & imperitiam, siue inexperientiam? quem modum insaniæ sequuntur ista duo? Hęc si explicuero, textus luce clarior euadet.

Ad 1. Igitur ad 1. dico, Quod Hipp. primus inter philosophos diuisit partem cognoscentem, & imperantem à parte exequente, & suis affectibus finem prosequente; quam doctrinam postea Arist. explicuit, dilatauit, & omnes eius interpretes, & vltimò D. Thom. demonstrauit. *D. Thom.* Nos [qui inter tales viros locum non habemus, & doctrina, & scribendi genere ita sumus infimi] *1. to. opusc. de facul.* idem docuimus agentes de appetitu: diximus appetitum sensitiuum residere in corde, in animalibus perfectis, quã doctrinam suppono, igitur quãdo Hipp. dixit lib. 1. de Diæta: In hoc permutatio, & prudentia, &c. loquitur de exequente membro quod per affectus irascibiles, & concupiscibiles, qui appetitum sensitiuũ sequuntur, animal ad motũ incitat: in hoc autem textu loquitur de cerebro, tanquã de membro in quo celebratur cognitio, imperium & electio faciendorum; proponit cerebrum per suam cogitatiuam obiectum vindictæ tanquam bonum: insurgitque statim cor suis motibus, & per pulsum actum suum iræ manifestissimè ostẽdit. Itaque omnis permutatio cordis, quæ per affectus nobis innotescit, sequitur ad mutationes, & actus appetitus, hic autem numquam elicit actum nisi cerebrũ per cognitionem proposuerit aliquid assequẽdum, aut fugiendum. Aduerte quid dicã; nõ loquor de pulsu vt pulsus est: hic enim sequitur aliam virtutem vitalem, quã Medici pulsificam vocant; sed quando dico quod appetitus cordis immutat cor, & immutationem istam cognoscimus per pulsum, intelligo de causis permutãtibus, non de generantibus pulsum; suntquidem maximè diuersæ. Itaque multa ex his, quæ fiunt in cerebro (licet non omnia) mutant cor: hæc ergo fuit Præceptoris contemplatio in his duobus textibus, vnde non contrarij, sed vniformes censendi. Confirmat meam cogitationem ipse Hipp. infra tex. 73. dicens: *Neque ego sanè noui quã vim habeãt præcordia, vt sapiãt, & intelligãt præter quã si homo ex improuiso, nimio gaudio perfundatur, aut tristitia afficiatur, tunc sanè exiliunt, & anxietatẽ exhibent.*

Quę proposuit, seruiant nobis pro exẽplo. *De Risu.* Risus est actus secundus musculorum faciei, & præcordiorum sequutus ad rem cognitã cũ iucũditate, nouitate, & aliqua admiratione. Proponit cerebrum aliquid ridiculũ, motu risus cõcitãtur alię partes, tristitia, & voluptas sunt actus appetitus, sed nullus erit talis, nisi cerebrũ proposuerit obiectum disconueniens, aut conueniens: idem de timore, & alijs. Sed est notandum tam esse vnitam istam consecutionem cerebri cognoscentis, & cordis exequentis, vt mutuent nomina multoties: ita vt quæ fiunt in cerebro dicantur fieri in corde; quando scilicet tales sunt cogitationes, vt iam proximè cor trahant in consensum; & ita explico sacra illa verba Euangelij, *Cogitationes ascendũt in cordibus vestris, & estis tristes.* Equidem cogitatio in cerebro fit, sed ascendit ad cor per affectum tristitiæ; quod enim ascendit, aliunde venit. Venit ergo à cerebro, & ascendit in appetitum existentem in corde, & fit tristitia, & ob id cogitationes re vera dicimus oriri à corde, quia exeunt illarum affectus, & effectus ab illo: vnde Prima veritas illis sacris verbis, Marc. 7. & Matth. 15. id manifestat dicens: *De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, &c.* Non enim dixit cogitationes exeunt à corde, sed cogitationes malæ, sic iam denominatæ à malo, in quod excitauerunt appetitum prosequentem malitiam, ita vt cogitatio fiat in cerebro, mala quidem in actu primo, in corde verò cõsumet actũ secundum,

dum, qui est motio ad executionẽ. Ista docuit Hipp. in his duobus textibus apparẽter contrarijs, sed verissimè cõformibus.

Contra Amat. Lusit. discurs. Vnde si Amatus Lusitanus istos textus vidisset, nõ ita dubius esset (cẽtur. 7. cura 24.) ad cõstituendum risum. Docet ergo Hipp. quod risus, sicut alij animi affectus, incipit à cerebri potẽtijs, & iudicijs, secũdo mouet appetitus cordis: & musculorũ, & præcordiorũ, quæ cõsensu quodã quasi imperata ab appetitu, simul dilatatò, & motocalido influẽte mouẽtur, & ob id exiliunt precordia, vt in tex. 73. docet Hipp. vnde ad risum in actu secũdo nõ est quærendã vna potentia sed plures: est enim quoddã aggregatũ potentiarũ, & actuũ, vt etiã contingit in verecundia, aut ira, timore, &c. nam risibilitas quæ est animæ rationalis potestas. 2. æstimatiua eleuata cognoscẽs, aut intellect⁹ percipiẽs ridiculũ sub tali ratione. 3. cõcurrit appetitus tẽdẽs ad iocũdũ. 4. potẽtiæ pulsificæ cordis dilatatiua scilicet, & cõpressiua, quæ spargũt calidũ influens. 5. motus musculorũ faciei, & thoracis, & septi trãsuersi, & ita risus in hoc aggregato cõsistit, sicut pulsus in aggregato duorũ motuũ, & duarũ quietũ, sed cũ hac differentia; quod risus est in cerebro, vt in cognoscẽte, in corde, & in reliquis partibus, vt in exequẽtib⁹. Et hęc fuit mens Hipp, quã nec olfecit Amatus, quin potiùs non legit istũ librũ, quẽ citat: dicit, quod iste liber nõ est Hipp. quia posuit risum in præcordijs, & non legit hãc sententiã, i[n] qua ponit risum in cerebro; si enim legeret, aliter sentiret; ergo risus est in cerebro apprehendente, in corde, vt appetente, & exequente, in reliquis, vt consequẽter motis ad manifestandũ internũ gaudium, quod in alijs reperitur affectibus, vt dictum est.

Ad 2. Ad 2. multa dixi in Hipp. philos. nunc satis sit memorari. Instrumento tribui aliquando agentis præcipuã denominationẽ; calorẽ vitalẽ dicimus, quia est instrumentũ animæ in ordine ad vitales actiones; cœlestẽ, quia à cœlo directũ, &c. Ita immortalẽ, quia à corpore cœlesti; sempiternũ, quia animæ immortalis instrumentũ; quia cerebrũ, de quo hic agimus, illo vtitur ad omnes actiones suas, saltim dispositiuè, materialiter ad cognoscentes, effectiuè ad vegetales; itaque anima per cerebrum, & eius potentias exercet omnia, quæ hic dicit Hipp. calidum verò modo prædicto se habet.

Idem dico ad 3. nã quando dixit Hipp. sanguinem ad sapientiam maximè conducere, docuit Galenum asserentem mores sequi temperaturam corporis; quis studiosus, quis sapiens sine debito spiritu animali in cerebro? & vnde iste spiritus nisi à meliore parte sanguinis, & selecto aere; ergo ad sapientiã maximè cõducit sanguis. Ad 3.

Ad 4. diximus, passiones esse in corde quasi in mẽbro imperato, seu exequente; cognitiones perfectę in cerebro, vbi sũt potentiæ rectrices vocatæ, quia regunt animal per cognitionem boni, & mali. Ad 4.

Ad 5. Resp. maximo cõsilio vsum Hipp. fuisse, nam impostores illi Magi quodlibet accidens morbi Comitialis tribuebant certo Deo: nam si legas superiores textus, videbis vanitatem asserentium, iã ad Hecatẽ, aut Neptunum, aut Martem esse recurrendum. Igitur docet nunc ex ipsa rei natura omnia accidentia sequi dispositiones præter naturam, sicut alij morbi; nam cùm in cerebro fiant cognitiones, in illo fient deliria. Ad 5.

Quod verò de inani solicitudine objicitur, etiam dicimus deprauatam cerebri dispositionem sequi. Sed notandum quòd aliquando est cum delirio, & insania quæ pertinent ad Medici disciplinam, videmus enim multos, imò omnes deliros non esse solicitos de rebus serijs, sed de inanibus, & nullius prorsus momẽti, quia ignorant quid sit cogitandum, quid verò non, & de his propriè loquitur textus; tamen alij sunt, qui sani degentes tempus conterunt in vanis, & inanibus cogitationibus nullius frugi, neq; sibi, neque Reip. Hi quidem inter insanos sunt annumerandi, quibus potentia cognoscitiua deprauata est; quos eleganter increpant omnes Philosophi Morales. Ad 6.

Ad 7. non negamus, & à morbo in compositione Ad 7.

posi-

positione, & à soluta vnitate vitiari actiones cerebri; sed aduertenda est profunditas Hipp. nam existimat actiones rectrices fieri à cerebro, in quantum pars similaris est, & temperata, quod licet obscure insinuauit, quando dixit in Epidemijs, si humor vergat ad corpus fiũt Epileptici, si verò ad animam fiunt melancholici, explicante Galen. per animam temperiem, per corpus organa & compositionem, ita 3. de locis cap. 7. Hoc professi sunt posteà multi Medici asserentes in qualibet parte cerebri existere istas potentias; non esset autem possibile esse in quacumque parte, nisi concurreret vt similaris: atq; cùm similaris propriè temperamento constituatur, hinc est, vt solas intemperies enumeret Præceptor tãquã immediatas causas insaniæ, & suo ordine reliquorum symptomatum, & vnitatis mentionem non fecit, quia subintellexit. Sed de isto puncto erit peculiaris exercitatio, in tractatu de morbo & sympt.

Ad 8. Ad 8. non video aliquid difficile; nã terrores in affectibus cerebri, de quibus hic loquitur, partim nocturni solent esse, aut quia tempore somni, recurrentibus vaporibus, & nigris etiam humoribus, spiritũ, & species causæ timoris inuadunt; vt videmus in melancholicis, aut quomodocũque grauato cerebro, aut consperso à prauo lacte, vt in puerulis. Diurni timores apprehendunt vigilantes insanos ob ea, quæ vident, & audiunt, facilè enim timẽt, & pauescunt, quod non solum in ægrotis conspicimus, sed in his, qui licet benè valeant in reliquis, tamen quia cerebrũ debile, & cor insigni aliqua debilitate flaccescit; facilè terrorem concipiunt.

Desuetudinem, & inexperientiam numerat inter accidentia insanientium; desuetudo nil est aliud, quã amissio cõsuetudinis; inter alia autem, quæ habent cordati, & bene constantes mente est consuetudinis obseruatio quoad sua opera; qui actus ad memoriam videtur pertinere, quæ obseruat consueta. Amittere verò consuetudinem sine electione melioris; memoriæ, & cogitatiuæ læsionem indicat, ex quo sequitur inexperientia (experientia consuetudine firmatur, & fit;) ergo amissa consuetudine necessario sequitur inexperientia: vnde insanos videmus nulla consuetudine firmari, sed perpetua mutatione revolui.

TEXT. LXIV.

ET insanimus quidem præ humiditate. Cum enim humidius fuerit, quam pro natura: necesse est moueri; vbi verò mouetur affectio, necesse est neq; visum quiescere, neq; auditũ, sed aliàs aliud videre, & audire, & lingam talia dicere, qualia semper ac singulis vicibus viderit, ac audierit; quãto verò tempore cerebrũ quieuerit, tanto etiam homo sapit.

DIxerat insanire homines præ humiditate cerebri, quòd cũ difficultatẽ aliquam habere videatur, explicare intendit in hoc textu. *Comment.* Equidem à bile, & à melancholia homines insaniunt, & ab speciebus diuersis istorum humorũ varia deliria succrescunt: sed à pituita, & humiditate non ita constat, tamen reuera constans sententia Hipp. insaniã à pituita cognoscit hoc loco, & ferè eisdẽ verbis in epistola de insania, vbi late idẽ ostendit. Quomodo verò ab humiditate hoc cõtingat audiamus; inquit. Cerebrũ humidius necesse est moueri, motũ verò simul cũ sua affectione nõ est possibile, vt quod percepit per sensus quiescat; ergo si lingua loquitur exprimẽdo conceptus, necesse est, vt simul variet, & nil ordinatũ, nil conforme, nil consentaneum loquatur, quia transuolat species interior nullũ habens fixum terminũ, & succedit alia, atque alia dissimilis sine vlla cohærentia.

Ex quo sequitur tanto tempore hominem sapientia, & integro iudicio vti, quãto fuerit cerebrum quietũ. Mirabilis quidem sententia; & enarratione dignissima,

sima, clariorisque explicationis gratia.

Dub. 1. Dubitas primo. Quare cũ dixerit in superiori text. ob intemperiẽ homines insanire, terreri, dormire, vigilare, &c. Nunc dicat necesse est moueri cerebrũ, quod neutiquam dicit de intemperie biliosa, sed de sola pituitosa.

Dub. 2. Secũdò ratio efficax proponitur. Nã cerebrũ in cõtinua versatur mutatione; sẽper dilatatur, & cõprimitur; licet quædã quietes mediẽt inter ipsos mot⁹ cõtrarios (sicut in pulsu.) Quare ergo dicit: quanto cerebrũ quieuerit, tãto sapiẽs erit homo? si quiesceret nõ solum priuaretur debitis actionibus, sed moreretur, sicut cor cessans à motu.

Dub. 3. Tertiò dubitas: nã cũ calor sit qualitas magis proportionata ad motum, quare Hipp. agẽs de motu locali cerebri primatum tribuit humiditati, quæ inter omnes qualitates tardior, & segnior est? Discurrẽdo per omnes qualitates, humiditas est, quæ vltimũ, aut nullũ habet locũ ad causandũ dolorẽ, quia minus actiua, potius hebetat, paraliticũ enim reddit mẽbrũ: ergo aut falsa, aut interpretanda est sententia proposita.

Dub. 4. 4. Præterea. Quid est quod dicit mouetur affectio; affectio nõ mouetur. Galen. enim lib. 1. de locis affectis ostendit passionem concernere motũ, affectum vero permanentiã; ergo male Hipp. dicit: mouetur affectio. Hæc, & alia multa huius aurei libri, qui sine magnis studijs, audit, aut legit, iudicat de illis tanquam cæcus de coloribus, & spurium appellat librum.

Ad 1. Dico ad 1. quòd Hipp. in isto tex. insipientiam, ab humiditate per solũ motum localẽ cerebri factã inducit, quamuis simul accidat intemperari cerebrum. Quæ humiditas fluxilis, aquea, aut serosa, aerea, aut flatulẽta, talis est, vt cerebralis substantia amittat debitã consistentiã, & firmitatẽ, vt spiritus species nõ retineat tẽpore debito (hoc pro interpretatione tã obscuri textus põderandũ est) atq; cũ reliquæ qualitates, siccitas, caliditas, frigiditas, non reddant cerebrum fluxile, aut spiritum hoc modo mobilem; hinc est quod Hipp. soli humiditati tribuerit hunc modum causandi desipientiam, vt simul cum intemperiẽ coniungatur motio cerebri; ita vt motio localis sit causa talis insaniæ quia impedit, stabilitatem specierum, sed vna & altera successione inordinatè facta, turbetur iudiciũ. Vnde iste modus affectionis à tali humiditate. peculiaris est.

Eandem sententiã cõfirmat scripto de insania, inquit epist. 19. *Quemadmodum in libello de morbo Sacro dixi: Insanienti necesse est præ humiditate cerebrũ, in quo animæ sunt opera moueri. Vbi videlicet humidius quam pro natura fuerit; eo verò commoto neque visum, neque auditum quiescere, sed aliàs alia, & videre, & audire, & linguam talia loqui, qualia singulis vicibus viderit, atque audierit: quandiu verò cerebrum quieuerit, tandiu etiam homo sapit.*

Quas duas sententias ita cõformes existimo intelligendas de motu (vt dixi) locali substantiæ cerebri, & spirituum, qui non sinit permanere iudicia firma eo modo, quo debent, vt possint exprimi.

Vnde ad 2. Resp. verum esse dilatari, & constringi cerebrum, tamẽ iste motus est maximè naturalis, & seruit alijs potẽtijs, vt meliùs exerceat suas operationes proportionaliter, sicut in corde (vt diximus in tractatu de pulsibus.) Est autẽ iste motus ordinatus, trahẽs proficua, pellens noxia, & ideo non impedit actiones rectrices, sed naturaliter disponit, vt melius fiant. At verò quando cerebrum præ nimia humiditate non quiescit, neque est obediens ordinatissimo motui vitali; fit vt maximum impedimentum consurgat in actionibus rectricibus, quæ versantur circa obiecta apprehensa. Impedimentum verò satis explicat Hipp. nam quando cerebrum suas habet quietes naturales, & motus ordinatos, rectè iudicat, & sapiens est; at verò si temulento motu irrequietum est, omnia bona iudicia impediuntur ob continuam, & inordinatam successionẽ specierum, & ita lingua profert cõtraria, & inordinata, & reliqui sensus externi alterantur. Hoc tamen nõ potest contingere, quando ordinato, & vita- *Resp.*

li motu dilatationis, & cōpressionis mouetur; nam iste potius conseruat cerebrū, vt seruet species, & imagines ad benè iudicandum, vt dilatatio, & constrictio cordis potius adiuuat, vt potētia generatiua spiritus vitalis melius perficiat opus suū.

Dub. Sed dices; si motus præternaturam cerebri est causa delirij; vt quid est necessarium constituere intemperiem ab humiditate? *Resp.* Resp. quod Hipp. prius enumerauit intemperamenta cerebri; sed explicuit modum, quo humiditas est causa delirij, humiditas enim potius hebetare, aut imminuere videtur actus internos, & somnum augere, si sola sit; videmus nanq; à sola causa sicca, & calida vigilias, & deliria exoriri, ab humiditate somnolentiā: At verò deliria, & iudicia praua, non apparet quomodo oriātur ab humiditate, nisi motu locali excitato inordinatè in ipsa substantia cerebrali, vt innuit Hipp.

Vnde notandum est, quod nimia humiditas, qualis est aquea, aut aerea disponit cerebrum quadā fluxibilitate, ita vt quolibet motu accedente fluctuet: modò cū semper dilatetur, & comprimatur cerebrum naturali motu, necessarium est, vt fluctuet magis, & inquietum sit præternaturaliter, ab eadem dilatatione, & cōpressione circumactum, & varijs, & inordinatis motiunculis agitatum; vt enim aqua si quieta est, aut si ordinatè, & sine perturbatione mouetur, recipit meam figuram quasi in speculo; si verò irrequietè, & inordinatè perturbatur, non recipit ordinatè figuras, sed obscurè, aut quasdā pro alijs: ita similiter, quando cerebrum aquea humiditate perfūditur, facile hinc inde, dilabitur intra easdem tunicas (etiā ab ipsa dilatatione, & cōpressione) & ob id nullum iudicium firmum fieri potest.

Ad 3. Ad 3. dico iuxta traditam explicationē, quod calor aut siccitas, aut vtraque simul intēperies ex se possunt lædere actiones internas cerebri, sine hoc quod sequatur aliquis motus localis: imò per tales intemperies, magis durior, & cōstans solet reddi substantia medullaris, & vt sic dicā, minus apta ad motum. Delirant ergo homines à sola mala intemperie, vt videmus in mania, & melancholia; at verò ista insania, de qua loquitur Hipp. ab humiditate aquea, serosa, prædicto modo mouēdo, cerebrum valet lædere; & quāuis minimum causet dolorem, tamen inter omnes qualitates primatum optinet, reddēdo partes blandas fluxui paratas, parum cōstātes, & cuicūq; instabilitati obnoxias vt dicebamus de aqua inordinatè mota.

Ad 4. Resp. ad 4. non esse mentem Præceptoris, quod morbus moueatur, aut consistat in motu; nequaquam; sed affectio dicitur immutatum illud in cerebro ab obiecto: hoc autem non consistit per multum tempus, sed fugit; & hoc intelligit Hipp. quando dicit, mouetur affectio, idest illud, quod afficit cerebrum, species scilicet obiectorum, & phantasmata transuolant, & tàm celeriter fluunt, vt nullus fiat discursus ordinatus in cogitatiua; nec bona aliqua imaginatio, nec memoratio, &c. Nunc ad formam argumenti satisfit, quod morbus non est in motu, sed in esse permanēti, & facto; morbus verò est intēperies humida cū tali modo. Ad hanc intēperiē sequūtur symptho mata, motio scilicet, & insania, moueri, & insanire; ista autē accidētia, nullū est incōueniens, quòd sint in successione, & motu, si morbus sit in esse permanēti. Sed dicet aliquis, quod genus insaniæ, seu quæ species læsionis, & quę potētia læditur in ista insania de qua loquitur Hipp? Hanc dubitationem tex. sequenti attingam.

TEXT. LXV.

FIt autē corruptio cerebri à pituita, & bile; vtriusq; cognitio sic contingit; qui enim à pituita insaniunt, quieti sunt, & non vociferantur, neq; tumultuātur. Qui verò à bile vociferatores sunt, & malefici, & non quieti, semper aliquid intempestiuum facientes. Siquidē igitur assidue insaniūt, hæ ipsis

ipsis sunt causæ; si verò terrores, ac timores accedant à cerebri transmutatione id cōtingit, transmutatur autem dum calescit; calescit autem præ bile; vbi ad cerebrum impetū fecerit ex corpore per venas hæmatitidas, hoc est sanguinarias appellatas, & timor adest, donec rursus redierit in venas, & corpus deinde quiescit.

Comment. Vide profunditatem Hipp. locutus fuit antea de insania ab intemperie humida; nunc in prima textus parte de insania, quę consequitur ad inflāmationē cerebri biliosam, aut pituitosam; (de lethargo scilicet, & phrænitide) est autem tanta differentia inter ista duo, vt illa insania sine febre multoties contingat, qualis est ab humiditate stoliditas & dementia, & à caliditate mania, &c. quibus morbis solent viuere homines multis annis; non enim præcindunt vitæ periodum naturalē. At vero læthargus qui apostema pituitosum dicitur Auic. & phręnitis, quæ calidū, & feruentē dicit affectū. febrem habent continuā, & assiduū delirium, lætalesq; sunt multoties, & vitā finiūt, & ob id corruptiones cerebri dicuntur per excellentiā. Aliæ affectiones antea dictæ nō corruptiones dicūtur, sed morbi, intēperies, deliria; differunt præterea, quia deliria (de quibus in antecedenti textu) cōtingit vt non sint continua (dico cōtingit) quia solent per interualla quiescere & redire, at verò lethargica, & phrenitica cōtinua sunt; & hoc explicat, cùm dicit: si igitur assiduè insaniunt, hæ ipsis sūt causæ. Quod autē lethargus habeat coniunctū delirium est notissimum in doctrina Galeni, habet etiā febrē, nō tamē ita magnā, sicut phrænitis. Signa verò, quæ hic ponit vniuscuiusq; affectionis sunt satis conspicua: sequuntur enim naturā morbi pituitosi, aut biliosi, quibus si adiungas, quæ ex pulsu, respiratione, vrina, & alijs sumuntur, perfecta erit cognitio, quæ in suis locis proprijs inuenies.

Nunc verò perpendere oportet secundā parte textus, in qua agit de affectibus terroris, & timoris, sed per consensum. Hoc pulchrum puto; explico. Per corruptiones cerebri læthargum intelligit, & phrænitidem; non quòd aliæ affectiones etiā non possint tales dici, de quibus egit alijs locis lib. de morbis, & in Aphor. Clarū quippe est quòd Apoplexiā, & sphacelū possumus cū Hip. dicere corruptiones cerebri; tamē in isto libro agens de morbo Sacro, in quo cōtingūt læsiones internæ, & plura accidentia diuersa, nulla mētione facta sphacelismi, aut aliarū corruptionū, tangit alias corruptiones, ad quas sequitur insania; quia Magi actiones erroneas Epilepticorū (vt sæpius dixi) tribuebant Dijs, & ob id contra illorū opinionē enumerat morbos, ad quos præcipuè solent tales lęsiones cōsequi, secūdò ab Epilepsia facilis est transitus in melancholiam, & insaniam; vnde ergo constat quod in secunda parte textus agit de affectibus per consensum. Dico manifestissimè id cōstare. Audi verba: *Si vero terrores, ac timores accedāt à cerebri trāsmutatione id contingit; transmutatur autē dū calescit; calescit autē propter bilem, quæ impetū facit in cerebrū per venas, & timor adest, donec redierit in venas, & corpus deinde quiescit.* Quā apertè demonstrat fluxū, & refluxū humoris ad cerebrū, qui fit inter partes transmittentes, & recipientes; ascēdit humor ad caput, terror fit, retrahitur ad venas, à quibus fluxit, cessat timor, hoc est pati per consensum, vnde cū cerebrū habitualiter est affectum, vt in lethargo, & phrænitide, assiduè affligitur homo, & ideo agens de illis non dicit fluit humor, postea recurrit ad venas, & quiescit: nam ista verba non possunt pronuntiari propriè nisi in affectibus per consensum: nā illud, quod per se afficit, permanet, et hęret.

Dub. 1. Sed dubitas 1. quare Hipp. cū in prima parte diceret de corruptione cerebri à pituita, & bile nō etiā adiunxit timorē, & terrorē, nā etiā in illo affectu reperitur terror.

Dico quod in omni insania non adest timor; imò multi maniaci, & phrænitici, etiam & lethargici nullo timore omnia intrepide aggrediuntur, & nil reputant malum, à quo possint fugere. Hippoc. de solis melancholicis dixit in Aphor. Metus, & mæstitia, si longo tempore durent, melancholicum esse significant, & ob id in hoc loco referens morbos istos insaniæ à pituita, & bile non induxit timorem, quamuis verum sit posse complicari; tamen enumerans omnia, quæ contingunt ęgrotis, de quibus in hoc agit libro, adduxit timores, & terrores, quos etiam in superioribus textibus retulit; hos dicit prædicto modo fieri, & cessare; neque compleret tractatum, nisi causam istam referret. Contingunt autem Epilepticis ante accessionem, vt supra adnotaui, incipiēte humore suum motum, & per noctem in somno. Vnde colligimus venturam accessionem, aut in proximo esse; & in his qui parati sunt ad insaniam, videmus ista signa adesse, quæ Galen. docet 5. de locis affect. cap. 4. vbi inter signa præcedentia phrænitidem, turbationem refert, & alia, quæ terrori, & timori simillima sunt, quorū causam dicit Hip. esse concursum bilis ad caput; postea verò, si ad venas recurrit, quiescit homo, & cessat terror, vt euidēter colligas agere hic de his dispositionibus, quę per cōsensum fiunt à venis, aut alia parte, vt statim dicam.

Dubia circa dicta.

Equidem magna difficultas exoritur circa generationem istius terroris, & timoris. Primò, non potest intelligi, quomodo fluente bile ad cerebrum, & calefacto cerebro fiat timor, aut terror; quin potius ira, & ferocitas excitanda. Secundò, quia ad timorem potius concurrit ad cor humor concitatus, in quo fit talis affectus, & ita refrigerantur externa, quia cor non expandit hunc calorem, sed calescit interius: vnde à timore multi moriuntur, quia succumbit cor tanto oneri. Tertiò, quomodo humor, qui ad cerebrū confluxit, iterum ad venas recurrit? Quę virtus illum trahit? Quartò, si recurrit, & cerebro non hæret, quomodo ex morbo per consensum fit in habitu, siue per essentiam, siquidem causa separata fuit, & homo quiescit?

Res. ad 1.

Resp. ad primam partem dubij, terrorem, qui respicit causam subito ingruentem, & timorem [qui dicit passionem timentis] oriri à causa cum tali modo; si aliqua causa terrifica subitò aduenit, incutit terrorem simul, & timorem; nam timor absolutè potest esse sine terrore, vt experientia patet; at verò terror non est sine timore.

Galen.

Secundò dico, quod inter signa præcedentia phrænitidem, terrorem, & metum ponit Hipp. ex impetu bilis ad cerebrū, à quo accepit Galen. loco supra citato 5. de Locis, quamuis non vtatur his vocibus, inquit. *Nam interdum vigilias præcedere, siue etiam somnum manifestū imaginibus turbatū, vt & clament nonnulli, & exiliant, videre est.* Hæc somnia turbata, clamores, & inquietudines, vocat Hipp. terrores, & metus, quæ duo apud Græcos ferè synonima sunt, quamuis quodā modo differant, vt dixi ex Cicerone. Excitantur ægroti, quasi terrefacti, & meticulosi ab imaginibus prauis, quę in cerebro oberrant.

Vnde ad dubium resp. quòd à bile non fiūt isti terrores, sed ab imaginibus à bile turbatis. Turbantur autē imagines turbato spiritu, vt in his, qui vino, etsi calido madent: ebrius terret, aut timet, & visiones, seu spectra dicit videre, quæ nunquā sunt, non alia ratione, nisi ob perturbationem, & deprauationem spiritus, qui vt speculum obnubilatum terrifica repręsentet. Itaque & ex parte spiritus, & ex parte imaginum est inordinatio; vinum autem est causa. Vnde hæc dispositio in cerebro disponet ad varia, prout fuerit deprauatio, & modus illius, iam ad clamores, iam ad saltum, ad iram, aut alios affectus, quæ omnia solent fieri a bile ascendente in cerebrum, vt in febribus ardentibus multoties videmus: ex quibus satis patet ad dubium propositum: nam potens est humor biliosus præter naturaliter

taliter affectus, & impetu fluens ad perturbandum omnem concentum cerebri, & intemperando, & perturbando. Hipp. non enumerauit, nisi terrores, vt primas dispositiones, quæ apparent in istis ægrotis, & sub illis reliquas intellexit.

Ad 2. Ad secundum iam dictum est, istas affectiones considerari in cerebro, tanquã in membro cognoscẽte, & proponente; passiones vero fieri in corde.

Ad 3. Resp. ad tertium, quod in affectibus, qui fiunt per cõsensum, nondum firmatis (in illis scilicet, qui fiunt, quãdo pars aliqua mittit, quæ mitterre non debet) dicimus recurrere humorem vario modo. Primò impropriè, quando non fluit, quo fluere solebat, vt in febribus fluit ad cerebrum in augmento, non tamen in declinatione. Secundò propriè recurrit ad venas, si pars recipiens expellit, quod recepit; fieri siquidem potest, vt cerebrum debile existat, quando aduenit bilis impetuose; deinde vero aliquo tempore transacto apponens conatum, expellat ad venas, quod molestat; ad quod opus maximè adiuuat, quod multoties contingit, quando resoluitur bona portio humoris biliosi, & quod remanet facilius pellitur. Et in hoc circulo versantur partes, vsquedum victoria omnino eluceat; interim vero in illo interuallo quiescit homo, vt inquit Hipp. Tertiò propriè recurrit auxilijs medicis, retrahentibus, & reuellẽtibus, & deriuantibus. Igitur tribus istis modis accidit, quod humor ascendens ad cerebrum, recurrat ad venas. Vbi notandum est, non semper Hipp. arterias venas appellasse: hic manifestè distinguit, venas appellans sanguinarias, quæ sanguinem deferunt; alijs autem in locis pulsantes venas vocat, quæ spiritum vehunt, & motũ conspicuũ manifestant.

Ad 4. Resp. ad quartum. Morbus per consensum paulatim transit in essentialem, nisi auferatur causa; nam humor, qui recipitur in membro patiente, necessario derelinquit aliquam intemperiem, quãuis paruo tempore hæreat; atque adeò iterum atque iterum aduenient (vt in accessionibus) debiliorem reddit partem; debiliori parte reddita, maiorem copiam recipere est apta, & minorem repellere, atque ex consequenti affectio transit in habitum, seu in essentialem. Sed antequã hunc textum deseram, examinandum est quid sentiam de insania à pituita, quam Hippoc. docet.

De insania à pituita.

Affectum istum, non solum in hoc textu, sed in alijs superioribus adnotauit Hipp. Et vt clarius procedamus in explicatione perpendendum est, an insania à pituita fieri possit, & quę illa species sit. Ratio dubitandi est, quia cum aperte Hipp. loquatur de delirantibus, & delirium, cõmuniter loquẽdo, sit actio deprauata rectricum potentiarum, non cõstat quomodo pituita, quæ frigida est, efficiat istum modum læsionis: & vt distinctius rem exaremus, objicio primo: Deprauatio fit ab intemperie calida, nõ ergo à frigida. Est doctrina Gal. lib. de Morbo, & Sympt. quã adduxit Auicen. lib. 3. fen. 1. cap. 6. de vniuersali consideratione circa operationes cerebri: vbi docet à calore præter naturam deprauari actiones cerebri, nequaquam à frigore. Quo ergo pacto insania procedit a pituita, quæ frigida est? Secũdò, quia defectus memoriæ nũquã reponitur inter insanias: at pituita hoc vitium in cerebro tantummodo videtur causare posse per suam intemperiem (non dico per suam quantitatem, quando obstruit:) ergo a sola pituita non generatur insania; aliud enim est obliuiosus, aliud insanus. Tertio, Hippoc. inducit insaniam a sola humiditate, quæ sit causa mutabilitatis cerebri; & hæc mutabilitas sit causa delirij. Rursus statim enarrat insaniam a pituita, & sua signa proponit, vel conculcat dicta, vel contraria; nã si quis fit insipiẽs præ humiditate, quorsum pituita quæ humida est, nõ erit causa? Si potest esse causa, quare illius mẽtionẽ non fecit Hipp? Hæc certè petunt maiorem claritatem.

Rationes dubit.
Galen.
Auicen.

No-

1 *Notat.* Notandum primò, quod insania nomen est generalissi. non solū apud Hipp. sed etiam apud omnes Latinos, comprehendit enim omnem internarum potentiarum læsionem, phrænitidem, læthargum, melancholiam, maniam, furorem, fatuitatem, stultitiam, dementiam, stoliditatem, quidquid tandem erroris præter naturam sit in facultatibus rectricibus, vel diminutis, abolitis, aut deprauatis. Dixi lethargum, quatenus coniunctū necessario habet delirium.

2 *Notat.* Secundò notandum, quod Hipp. satis aperte posuit discrimen inter insaniam ab humiditate sola, & insaniam à pituita, diuersosque textus illis adaptauit. Inquit enim tex. 64. & insanimus quidem præ humiditate. Postea tex. 65. ait, Qui à pituita insaniunt, quieti sunt, &c. In 1. tex. nullam fecit mentionem pituitæ, sed solum humiditatis, quę potest esse huius, aut alterius humoris. In 2. tex. absolute dicit, insaniam fieri à pituita: ergo manifeste distinxit inter vtramque affectionem.

1 *Propos.* His suppositis, sit prima propositio. A pituita frigida, & humida insanire possunt homines torpentibus internis facultatibus [vt verbo Gal. vtar. lib. 2. de Causis Symp. c. 7.] stolidusque, siue fatuus erit homo, vt eodem cap. docet Gal. & generali homine vocari potest insanus, & amens, ob diminutionem, aut ablationē actionum rectricum, licet non sint deprauatæ. Sed Hipp. in istis textibus non loquitur de ista specie insaniæ, quæ pura stoliditas, & fatuitas est, vt satis constabit ex 2. propositione. Vnde falluntur qui dicunt esse necessarium corrumpi pituitam, vt faciat insaniæ quamlibet speciem.

2 *Propos.* Secunda propositio. Insania illa à sola humiditate, quam tex. 64 inducit Hipp. fieri potest à quacūque humiditate fluida, non enim necessario debet fieri ab humore pituitoso. Hoc patet in ebrijs, in quibus expresse figurata est prædicta insania, mouetur enim, & agitatur cerebrū ab humiditate vaporosa, nilque ordinatū loquūtur, ob velocitatē successionis specierum, & obiectorum, vt diximus supra. Itaq; per solam fluxibilitatem, & mobilē madorē præter naturam substantiæ cerebri, talis insania contingit: quod etiam quasi in rudimento quodam, apparet in homine mutabili, & inconstanti, variarū sententiarum successiue innouatore.

3 *Propos.* Tertia propositio. Vera insania, quæ cum deprauatione, siue delirio fit imaginantis, aut cogitantis potētiæ, aut vtriusque simul, sine dubio fieri potest à pituita frigida, & humida, sed putrescente, & de hac loquitur Hipp. tex. 65. quando dicit qui à pituita insaniunt. Explico: nam verus læthargus (nota quod dixi verus) habet necessario coniunctum delirium, quod sit deprauatio actionis: læthargus autem fit à pituita putrescente in cerebro, somnum, & delirium inducēs, vt latissime probatū est lib. 3. Auice. cap. de isto affectu, ita vt phrænitis, & læthargus conueniant in aliquibus, licet in alijs disconueniant. Insania læthargi continua est, febris cōtinua est, sic & in phrænitide, sed febris maior, acriorque, delirium tumultuosum. Et ita videbis læthargicos signis relatis ab Hipp. in hoc textu, nam dicit non vociferantur, idest non vociferātur, vt phrænitici, sed obloquuntur deliramenta, cūm excitantur, & in ipso somno tacite murmurare solent, quieti sunt, quia somnus corpus tenet, & pituita, licet putrescens, non irritat, sicut bilis in phrænitide, neque exagitat ad motus, & tumultus. Igitur hæc est vera insania à pituita putrescente, quam docet Hipp. quæ non infert diminutam actionem, vt in stoliditate, aut fatuitate, sed deprauatam, & assiduam, à causa fixa in cerebro, aut per consensum, nō aliter, ac in phrænitide, sed remissiori modo. Sed dubitat aliquis, an insania cum deprauatione actionis possit fieri à pituita sine læthargo. Quod enim fiat cū læthargo, videtur explicatio ad textum voluntaria, siquidē Hipp. nullam somni mentionem facit.

Quot sint delirij species, non pertinet ad hūc locum.

Et nunc videbis in lib. de Mor. & Sym.

Resp. nullam esse repugnantiam, nam bene potest fieri à deprauata pituita, sine pu-

putrescente; sic intemperãte cerebrũ, & tales insani erunt quieti, & pauca loquẽtur; & sine tumultu; tamen aberrantes, eruntque decolores, & torpidi, non intẽdentes malum sibi, aut alteri, quia pituita licet putrescat, putrescit tamen sine feruido calore, & propter vnam partem putrescentem sequitur intemperies, qua fit delirium, & propter crassitiem, lentorẽ, & aliquam partem frigescẽtem, fit quies torpor, & segnities: nec in hoc video aliquam rationem contrariam efficacem. Nam vt fit stolidus, & fatuus à pituita nõ putrida, frigida, & humida, ita potest fieri insanus, delirans à pituita putrescente.

Ad 1 Obiectiones facile exturbãtur. Ad primam iam dictum est, delirium, quod est deprauatio actionis, nõ fieri a pituita frigida, & humida: hæc quippe diminutionem facit, non deprauationem; at si calescat preter naturam, quis vetat? Quare non poterit causare intemperiem deprauantem, & non diminuentem? Relinquimus nũc quæstionem, vtrum a frigore possint deprauari actiones.

Ad 2 Ad 2. concedimus, memoriam minui a pituita frigida, & humida, tamen ab illa etiam fit fatuitas, quæ generali vocabulo potest dici insania: Ita vt obliuio fiat, si in partem posteriorem, & memoratiuã incidat humor pituitosus; fatuitas si in partem mediam cogitantem, & in vicinam imaginantem.

Ad 3 Ad 3. ex dictis potest colligi, quòd in primo textu 64. enumerans intemperies quatuor cerebri, vnicuique adaptauit propriam læsionem; & humiditati sine consortio alterius excedentis qualitatis tribuit continuam mobilitatem; cuius ratione quædam species insaniæ nasceretur, sicut in temulentis, aut eo modo, quo in dicto textu explicuimus. At vero in hoc tex. manifestius loquitur de insania vera, quæ sequitur intemperiem à pituita putrescente; nam deprauationem actionis clarè insinuat, minus tamen turbulentam: & ita non conculcat dicta, sed distinguit, vt ex nostris propositionibus ostensum est.

TEXT. LXVI.

Angitur autem homo, & inquietudine multa iactatur intempestiuè, dum cerebrum perfrigeratur, & præter consuetudinem compingitur: hoc vero à pituita perpetitur. Ab hac autem affectione, etiam obliuiosus euadit.

Dixerat supra etiam insaniam à pituita oriri posse, postea læthargum proposuit, vt doceat metastatasim inter istas affectiones contingere: nam morbus Sacer, insania, læthargus, & melancholia possunt ad inuicem transmutari; vt hinc melius contra Magos concludat: Et ita in hoc textu quædã Symptomata refert affectionis pituitosæ, quæ videntur communia Epilepsiæ, & insaniæ: nam dicit, quòd angitur homo, & iactatur, quando cerebrum intempestiuè perfrigeratur, & comprimitur; quod quidem benè cõstat accidere ad repentinum affluxum pituitæ frigidæ obstruentis, & simul molestãtis, & irritantis, ex qua accessione cùm exeat ægrotus, obliuiosus, vel aliter affectus euadit. Vide quam manifestè ostendit ex morbo Sacro transitum hoc modo fieri ad insaniã, & læsionem potentiarum internarum, vt constet pituitam esse vtriusque causam, prout in ventriculos inciderit, aut distemperauerit. Comment

TEXT. LXVII.

Noctu vero clamat, & vociferatur, cum derepente cerebrũ percalesiat. Hoc autem perpetiuntur biliosi (pituitosi enim non percalesiunt) cum sanguis multus ad cerebrum per

uenerit,

uenerit, & eferbuerit: venit autem per venas prædictas.

Comment. ITerum ascensus humoris biliosi ad caput accidentia declarat, quæ ego, quantũ attinet ad hoc punctũ iudico cõmunia paraphræniticis, & maniacis; nam noctu ad interiora humores recurrunt, & tãquã tenuissimi caput petũt subito, ibidem feruent, & ad clamores, & voces incitant, vigilias augẽt, & supradictos terrores inducunt. Hoc autem non contingit pituitosis in tanta intensione; magis enim quieti sunt, & licet reuocato calore per noctem, pituita calescat: non tamẽ valet affectus humoris biliosi attingere. Et hoc intelligit quando dicit pituitosi non calescunt, idest, non vt biliosi.

Sed quare ita attentè dicit: Venit autẽ per venas? Id repetens tex. 65. Respondeo voluisse Hipp. nos attentos in his dispositionibus cognoscendis, quando accesionales sunt, & à quibus partibus trãsmittentibus; multum enim ad cognitionem, & curationem confert, & ad statum morbi intelligendum. Quando per venas fluit humor, consensum partium animaduertere oportet, vt inde tota præsagij, & curationis institutio ordiatur.

TEXT. LXVIII.

CVm contigerit, vt homo videat insomnium horrendũ, & in timore fuerit, vel vt etiam si vigilet, tunc magis facies ignescit, & oculi rubescunt, cũ timuerit, & mens meditatur aliquid mali operari, sic etiam in somno patitur. Vbi vero expergefactus fuerit, & resipuerit, atque sanguis rursus in venas prædictas dispersus fuerit, quiescit; & propterea iudico cerebrum vim plurimam in homine habere.

Comment. CVm in superioribus multoties dixerit, quæ contingunt per noctem his ægrotantibus in somnis, quæ tanquam signa contemplatus est, tum morbi futuri, tum causæ præsentis, & cerebrum dixerit sedem omnium prædictorum acci dentium: merito claudit nunc discursum conclusione mirabili. Et propterea iudico cerebrum in homine vim plurimam habere. Inter alia admirãda opera Hipp. extat liber de insomnijs, vbi relictis diuinitus immisis, vt ipse dicit ad eos, qui de ea scientia agunt: de solum naturalibus, qui sequuntur motionem, & statum humorum differit, vt constet hanc sententiam certè Hippocraticã esse, & his, quæ alibi dixit conformem. Docet ergo prædominium humoris biliosi efferuescentis indicari ab insõnio horrendo, quando tam efficaciter repræsentatur, ac si vigilaret homo. Cognoscitur vero ex ignea facie, oculis rubẽtibus, etiam si timuerit, & existimandum ex insomnio inclinari hominem ad aliquid male agẽdum. Ponderanda verba (& rubescunt oculi, cùm timuerit) portentum est apparere ruborem in timore; apparet, aut vti dicit Hip. quando tanta est copia, aut intensio humoris biliosi, vt simul cum timoroso insomnio excitet ad furorem. Sed postquã expergefactus fuerit, sedãtur omnia, quia humor refluit ad venas, liberatur cerebrum, resipiscit homo. Ergo si in cerebro insania, Epilepsia, insomnia, & alia plurima, quæ retulit, contingunt; & inde tam varia per totum corpus elucent accidentia, magnam vim habet in homine immutando cerebri affectio.

TEXT. LXIX.

HOc enim est nobis eorũ, quæ ab aere fiunt interpres, si sanum fuerit.

Comment. IAm in hoc textu incipit extendere sermonem satis philosophicè (sed nũquam vt existimo deserens scopum) cùm enim

enim docuerit causas morbi Sacri, & partem affectam; & tam varia, & stupenda accidentia sequantur, non solum errātibus potentijs internis, sed omnibus mēbris natiuam operationem, & motū deserentibus; vult nunc explicare, quomodo cerebrum omnia gubernet, & eo læso omnia abherrēt. Etsi in superioribus textibus Medicè prosequtus humorum species, & motus edocuit: nunc altiori sermone, cerebri vitalem gubernationem explicare conatur.

Dixerat magnam vim habere cerebrum ad immutandū corpus per insomnia, per causas sibi præter naturam affixas. Nūc magnam vim habere dicit susceptam ab aere, quàm si sanum fuerit, manifestet, & interpres demonstraret; quia nulla pars in nostro corpore tā cito aeris mutationes persentit, & explorat, sicut cerebrum: cùm enim & per nares, per os, per aures, per poros, per comisuras, per oculos aer afficiat, & notas præbeat intemperantiæ; hinc est vt fidissimus aeris interpres cerebrum dicatur; & hoc quidem, si sanum sit, nam quod tale est, exuperantias meliùs iudicat, & sentit, quod de tactu tēperatissimo solemus dicere, est vero interpres extremorū. Idē contingit cerebro sano circa aeris affectiones. Hęc videtur explicatio Medica; sed altius philosophandū: nam cum profiteatur Hip. ab aere nobis ministrari sapientiam (vt statim dicemus.) Dicit nūc cerebrum esse explanatorem, & intepretem aeris, idest prudentiæ, quæ per aerē ministratur. Quid est hoc? Explicet in sequentibus.

TEXT. LXX.

SApientiam autem ipse exhibet aer; oculi vero, & aures, & lingua, & manus, & pedes, qualia cerebrum statuit, & cognoscit, talia subministrāt. Sapientia enim toti corpori contingit, prout aeri participarit. Ad intelligentiam vero internuntius est cerebrum.

Comment. ALiquis ethnicus existimare posset nostrum Præceptorem putasse in hoc textu humanam animā esse aerem: cùm enim dicat ab aere procedere sapientiam, & omnes corporis partes ab aere gubernari: credet quidem aerē istū, quo respiramus, animum esse, aut in illo consistere. Quam absurditatem coluit Anaximenes, Milesius, vt est apud Plutarch. lib. 1. de Placit. tamen, cū in nostra Hippocratica Philosophia efficaciter probauerim animæ rationalis excellentiam, & immortalitatem, à nostro Hipp. fuisse cognitam: non possumus in tam inepta opinione Anaximenis reprehendenda immorari; sed conformiter principijs diuini nostri Senis philosophādo, textum ellucidare. *Anaxim. Milesius Plutarch.*

Primò. Certam ab vno Hipp. vsque ad nostra tempora doctrinam statuamus, & quam omnes scholæ amplectuntur; spiritum quamdam esse internam substantiam tenuissimam in corde, & cerebro, generatam, quæ spiritus dicitur ob aereā subtilitatem; nam & aer apud Hipp. imo & in sacris literis spiritus solet vocitari. Secundo certum est, hunc spiritum non posse ad tantam, & debitam tenuitatem peruenire, nisi ab aere isto externo sufficiens copia ministretur, vt mixtus cum aliquo alituoso vapore interno cordis, aut cerebri articulatus, subactus, & à facultate eleuatus, vitaliter directus sit ad omnes actiones exercendas vniuersale instrumentum. Atque ita istius aeris tanta est necessitas, vt ad illum continendum, nullam natura prætermisserit diligētiam; adeò est vita cum respiratione coniuncta: nam licet per respiratione, & ventilatio, & segregatio fulliginum, & attemperatio præstentur; omnia tamen aeris ingressu perficiuntur, & sine illo nequaquam, quod cum oscitanter contem-

plaretur

plaretur Anaximenes, dixit, aerem esse animã, quia illo viuimus, & sine illo morimur; non videns, quod aliud est vita, aliud dispositio, seu conditio, quæ conseruat vitam, & aliud est anima, aliud vero vinculum, quo nectitur anima corpori. Tertio certum est ex lib. Hipp. de Aere, Aquis, & Locis [qui huic nostro maximè concordat] quod qualis fuerit aer externus, qui inspiratur, talis erit spiritus qui in cerebro generatur: vnde ingenia, mores, & humanæ conditiones iuxta aeris naturam, & Regionũ variantur; vt qui puriori, clariori, & subtiliori aere fruuntur, ingenijs acutioribus polleant: vnde illud Democrito tributũ, spiritus siccus anima prudentissima.

Ex tribus principijs deducimus Hipp. conclusionem. Aer ministrat cerebro sapientiã, quia qualis aer, talis spiritus animalis; qualis animalis spiritus, tales operationes rectrices, quia istæ, licet eliciãtur ab anima per potentiam vitalem, sequuntur dispositionem corporalem, vt in cerebro per spiritum aereum benè dispositũ, benè, prudenter, & ordinatè fiat: & ista fuit Hipp. mens, hæc statuta principia suæ doctrinæ, quam Arist. nunquã deseruit.

Sapientiã vocat in hoc loco gubernationem corporis humani secundum debitum finem, & ordinem directam, quã singulis partibus pro necessitate cerebrum impertitur, vt statim dicemus. Igitur prædicto modo aer ministrat sapientiam, non aliter.

Oculi autem, aures, & lingua, &c. Prudẽtiã posuit in cerebro, vt in sede propria, vbi fiunt [vt sic dicam) consilia gubernãdi. Reliqua vero membra obediunt, & exequuntur, quæ ab Imperatore ordinata sunt. O quam distinctè potentiam executiuam, & imperantem declarauit, quam probaui ex D. Thom. in Opusc. de potentijs, nã dicit Hipp. *Partes subministrant talia, qualia cerebrũ statuit, & cognoscit; subministrant tanquam subdita exequentes ordinem superiorem.* Quis est iste ordo? Respondet: Est ordo, quem cerebrum statuit, & cognoscit.

Duæ sunt potentiæ Principes in cerebro, cognoscitiua, & motiua: quando dixit, *cognoscit*, intellexit cognitiuam; quãdo dixit, *statuit*, intellexit voluntatis imperium, quod reliquis membris mandat, & statuit legem mouendi ad formã aprehensam in bonum animalis, aut legẽ fugiẽdi malum; propriè enim voluntas statuit instructa, seu directa â cognoscente. Hæc est sapientia in cerebro, cui subministrant membra. Neque in hoc munere obedientiali tantum mẽbra cerebro ministrant; sed etiam aliquid necessarium rependunt ad operationes cerebri: per sensus externos obiectorum species ministrantur, vt cogitationes, & cognitiones internæ fiant, cùm nil sit in intellectu, quin prius fuerit in sensu; igitur cerebrum, & membra ad inuicem sic se habẽt. *Sapientia toti corpori contingit, &c.* Sapientiam totius corporis ab aere fieri dicit. Vocat sapientiam membrorũ, debitum exercitium proprij muneris. Sapiẽs dicitur oculus, si videt, vt debet, auris, si bene audit; pedes, si obediunt motui. Omnes quippe potentiæ cognoscentes iudicant de suis obiectis, si iudicãt, vt debẽt, & cerebro ministrãt species, optimo modo, & debito sapientes dicuntur. Motiuę non iudicant, sed præfixum terminum acquirunt ad imperium gubernãtis. Omnes ergo qualitercumque participant sapientiam largo hoc modo dictam; sed à quo illam participant? Respondetur, quod participant ab aere, siue spiritu: & spiritus â quo desupmsit? à cerebro. Ibi enim perfectè dearticulatus, & eleuatus est pro operationibus omnium mẽbrorum, & à cerebro suscepit directionem quandam, quasi ab architecto, & primario artifice, vt spiritus in aure sit auditiuus, in tactu tactiuus, in oculo visiuus; & sic de alijs, quam philosophãdi rationem olfecit Gentilis, quando subtiliter aiebat spiritum in cerebro, nõ lucem, nõ qualitatem illam innominatam suscipere, sed directionem; sicut instrumenta directionem sumunt ab artifice: quem di-

Nota gubernãdi rationem inter nostras partes.

cendi modum late explicui; & probabilem dixi Opusc. 10. cap. 5. in Auicen. Vnde eleganter Hipp. vocat cerebrum internuntium ad sapientiam, seu intelligentiam, quia per suum spiritum missũ ad partes nuntiat illis, quæ facienda sunt; & suscipit ab illis responsa, scilicet per species sensatarum rerum.

TEXT. LXXI.

CVm enim homo spiritum in se ipsum attraxerit, primũ quidem ad cerebrum peruenit, & sic ad reliquum corpus aer dispergitur reliquens in cerebro suũ ipsius vigorem, & quicquid prudens hac sapientia præditum fuerit.

Comment. DIximus, sermonem esse de spiritu animali, qui à cerebro generatur ex aere inspirato, & cordis vitali halitu; non quippe debes existimare solum spiritum vitalem, qui à corde procedit in arteriolas cerebri esse materiam spiritus animalis, vt communiter dicunt tyrones, seducti illa definitione pulsus, quæ causam finalem tangens, dicit, vt spiritus animalis in cerebro generetur; nam licet vitalis sursum latus inseruiat; tamen revera aer inspiratus per nares, immediatè cerebrũ peruadit, vt statim ad naturam spiritus animalis eleuetur: quòd exeat continuò, & transfundatur ab arteriolis vitales halitus, & simul migrent in naturam animalis spiritus, id non nego, sed affirmo cum Preceptore aerem necessarium esse cõtinuò attractum à cerebro; & non primò in cor, sed primò in cerebrum peruenire. Habet cor suos ductus, vt aere fruatur, & habet cerebrum alios, vt primò & immediatè fruatur; nam antequam aer ad cor perueniat, longa illa restat via per asperam arteriam; aer vero, qui inspiratur per nares, statim tangit cerebrum; odores id demonstrant, si inspiras, illico odorabis; si nõ inspiras nequaquã: ergo signum est aerem, in quo exhalatio est odorifera, statim ascendere ad organum olfatus, & in cerebrum: ergo aer primò in cerebrum (vt docet Hipp.) trahitur. Rectè dixit trahitur. Ad hoc enim adinuenit natura motum cerebri dilatãtem, & comprimentem; tam enim fuit necessarius motus cerebri ad gubernationem spiritus animalis pro toto animali, sicut motus vitalis cordis pro vniuersa regione vitali, & vegetali. Sed de motu cerebri, & eius causa finali diffusè disputaui Opusc. 2. de Pulsib. cap. 6. omnem illam tractationẽ suppono ad istum textum. Igitur aer primò in cerebrum, vt in spiritum animalem mutatus, totum animal percurrat per neruos, sicut vitalis per arterias. Neque ita sis tyrocinio imbutus, vt putes cerebrum sine spiritu vitali cordis posse consistere, aut sapere. Non tale profitetur Præceptor, sed extollit præcissam necessitatem huius spiritus aerei ingredietis, qui magnã partem habet in hac causalitate, de qua loquimur. Nunc ad alteram partem textus. Aer relinquit in cerebro totum suum vigorem, atque quicquid prudentia, ac sapientia præditum est; reliqua uero portio aeris, seu spiritus per totum animal euolat. Aurea sententia! Cerebrũ nunquam valet ad prudentiam sine suo debito spiritu animali, & semper seruat necessarium: reliquum spargit in corpus, relinquens sibi partem necessariam, qua mediante disponitur organum, vt potẽtiæ rectrices operentur. Fuit dispositio ad sapientiam, postea tendit in corpus, vt sit dispositio ad alias actiones inferioris ordinis. Itaque spiritus relinquit in cerebro quicquid imaginatum, quicquid cogitatum, & prudentialiter discursum est: sucedítque alter, & alter spiritus, vt neque in cerebro sapientia, neque in alijs membris deficiat operatio, sicut in ventriculis cordis semper adest aliquid ad conseruationem vitæ: reliquum vero per arterias spargitur. Cum igitur tam sit

Principiũ alimẽti os, nares, &c.

Princeps

Princeps cerebri operatio, & tam eleuata, & insuper tã primò necessaria animali, vt animal est, necessarium fuit vt in próptu, & [vt sic dicam] ad manum assisteret aer, ne deficerent actus interni, illo deficiente: non enim solum necessarius est aer in cerebro, vt spiritus animalis generetur, sapientiæ instrumentum, vt sæpius dictum est, sed vt retineat species, quas ab externis induit obiectis; quia vt supra dixi ex Tertuliano, aer omnium temporum est organum, omnium colorum index, omniũ rerum tenuis vestis; ducit igitur ad potentias internas magnam obiectorũ supellectilem; quod elegãter docuit Gregor. Nissen. in Exam. explicãs quare Moses in mũdi creatione de terra disserit, nulla aeris mentione facta, inquit. *Quod quidẽ ille nõ idio facit, quod nihil ad mundi constitutionem aer conducat, aut quod seclusus sit ab elementorum potestate; sed quia fortassẽ natura molli, ac facile cedenti præditus res omnes in se suscipit, easdemque præ se fert, cum neque colorem proprium, neque figuram, nec speciem habeat, sed alienis, & coloribus, & figuris informetur.* Et parum post. *Quare cum in eo versetur hominum vita, sumque omnis prope viuendi facultas, & sensuum actio in aere vim suam obtineat; siquidem per ipsum audimus, odoramus, & animam ducimus, quod vitæ munus maxime propriũ, ac necessarium est: qui enim respirandi, idem simul fecit viuendi finẽ: id circo sapiẽtissimus Moses illũ vt cognatum, coniunctumque nobis elementum, in quo ab ipso statim ortu enutrimur, tacite prateryt, ad huius partis declarationem satis esse putans innatam illam, atque insitam naturæ nostræ cum aere coniunctionem, atque habitum.* Hęc Nissenus.

Sed obiter, quis non miretur ignorantiam Danæi Calainistæ, qui aerẽ in hoc spatio negat: equidem affirmare audeo, fere omnes Hæreticorum, aut plures errores ex ignorantia Philosophicæ, & Metaphisicæ procedere.

Redeo ad Hipp. Textum enim hunc, quem agitamus, melius multo explicarent Nissenus, & Nazianzenus orat. 34. Igitur vt dictum est, non solum relinqui aer prudentiam, sed etiam suum vigorẽ; quis est vigor, quem aer relinquit in cerebro? Resp. suam nudã, & puram naturã aptissimam ad actiones cerebri, vt dicebat Nissenus, & ob id nõ per multos anfractus transit, conditionem omnino mutat, quod clarissimis verbis declarat tex. sequens.

Tertul. *Gregorius Nissenus* *Nissen.* *Nazian.*

TEXT. LXXII.

SI enim in corpus primum perueniret, & posterius in cerebrum, relicta in carnibus, & venis dignotione, ac iudicio, ad cerebrum calidus iam existens, perueniret, & non sincerus, ac purus, sed ammixto humore à carnibus, & sanguine, vt nõ amplius exacte sincerus esset. Quapropter dico cerebrum intelligentiæ, ac prudentiæ internuntium, atque interpretem esse.

Comment.

EXhibet rationem, ob quam fuit conueniens, vt aer purus cerebrum statim perflaret, antequã per alias corporis partes trãsiret; nam si prius per carnes, & venas, sine dubio ab illis alteraretur multis modis, & mutaret sinceram, & puram naturam; calesceret enim, & cum humoribus corporis misceretur. Vnde cum ad cerebrum perueniret, nullas rerum species deferret, & consequẽter exueret principia dignotionis, & prudentiæ, qualia sunt rerum sensibilium obiecta, nec cerebrum haberet, vnde exciperet cognitionem: nam si vt Nissenus dicebat, per aerem nobis sensuum ministrantur rationes, si purus sit, si vt speculum sincerus, tenuis, & omni alieno vacans: ergo quando impurus, quando permixtus, obscurus, & à tã varijs corporis parti-

partibus alteratus, arcem mentis ascenderit, procul dubio nil ad prudentiam, & dignotionem conducere poterit; & hoc est quod dicit. Relinquet in carnibus dignotionem, id est amissa puritate, etiam amittet principia rationis, & seminaria obiectorum, quibus potentiæ internæ cerebri motæ, & informatæ prudentiam, & iudicia perficiunt, & ita concludit cerebrum esse intelligentiæ, & sapientiæ sedem, & originem, in quo anima his medijs operatur, & partibus alijs nuntiat agenda.

TEXT. LXXIII.

CÆterum præcordia, aliàs fortuitum nomen apud Græcos per consuetudinem habent, cum phrenes à sapientia dicta videatur, reuera autem non, neque ex natura. Neque ego sane noui, quam vim habeant præcordia, vt sapiant, & intelligant; præterquam si homo ex improuiso nimio gaudio perfundatur, aut tristitia afficiatur, tunc sane exiliunt, & anxietatem exhibent præ tenuitate, & quod distenta sunt maxime in corpore, & ventriculum non habent, ad quem suscipiant aut bonum, aut malum allabens, sed ab vtrisque his turbantur propter naturæ debilitatem. Nam nullo sanè prius sentiunt ex his, quæ in corpore insunt, sed frustra hoc nomen, & causam habent. Quemadmodum quæ ad cor sitæ sunt aures appellantur, cum nil conferant ad auditum.

DIxerat cerebrum esse sapientiæ sedem, & spiritu vti ad sua munia exercenda; nunc quandam opinionem aliquorum Græcorum impugnat dicentium, in præcordijs residere, & specialiter in septo transuerso. Comment.

Ab isto textu sumpsit Galen. quæ libro 5. de locis affect. cap. 4. docuit his verbis: *Terminum, quo thoracis pars inferior finitur, antiqui phrenas, id est mentem appellauerunt; siue simpliciter de ipsis in animum venerit, siue (vt aliqui putant) quia eo inflammatione affecto, mens lædatur. A Platone autem diaphragma vocari cœpit, qui sanè, & ipse alijs veteribus similiter phrenas appellauit; putauit autem hunc in animalibus vsum habere diaphragma, vt irascibilem animæ vim in corde contentam ab appetente, quæ in iecore sedem habet septo distinguat; postea Medici neglecto prisco nomine diaphragma ipsum appellare consueuerunt, &c.* Quo loco docet non lædi mentem proprie, & per se in affectibus septi, sed per consensum, quia cerebrum patitur. Galen.

Sed Hipp. cum primus istum errorem depellat, magis ex professo in his duobus textibus id conficit. Dicit primo ex mala consuetudine loquendi Græcos appellasse præcordia phrænas à sapientia, quæ in illis residet, siue à mente; phrenas enim Græce id significat. Reuera autem non residet mens in illis partibus; probat à signo, quia nunquam videmus in præcordijs mutationem aliquam, nisi post magnos animi affectus, per gaudia, per tristitias; tunc enim exiliunt, & quasi saltant in gaudio, & anxietatem, & præssuram sentiunt in tristitia. Ergo potius affectus patiuntur, & quasi imperata membra sunt ab alio superiore, cerebro scilicet,

in quo mens gubernat, & imperat.

Secūdò, quia non ſunt prima ſentiētia; ergo nō prima cognoſcētia. Ergo in illis non reſidet Princeps ratio, neq; ſapiētia Vide quam paucis verbis clauſerit ſentētiā Hippoc. nā dicit: *Nā nullo ſanè prius ſentiunt ex his, quæ in corpore inſunt*, quaſi dicat. Non ſunt prima ſenſitiua in noſtro corpore. Ergo aliud primum membrum ſupponunt, quod ſenſationes, & mentis munia, exerceat, ad cuius apprehenſiones ſequuntur præcordiorum affectiones. Ergo Græci male, & improprie vocant iſtas partes phrenes, ſeu mentes, aut ſapientes. Equidem ita improprie, ſicut vocantur cordis aures quædam particulæ, quæ cordi hærent; non tamen habent munus audiendi: ita ſimiliter improprie dicuntur phrenes, cum neutiquam ſapientiam habeant; neque mentem, ſed paſsionum organa ſunt, id eſt motuum ſequentium iudicia.

Tertiò rationem quandam ſatis enigmaticam, & perobſcuram proponit, ob quam præcordia in affectibus animi, aut exiliant, aut deprimantur. Nam dicit: *Exiliunt, & anguntur præ tenuitate, & quod diſtenta ſunt maxime in corpore, & ventriculum non habent, ad quem ſuſcipiant malum, aut bonum allabens.* Quid hoc eſt? anguntur præ tenuitate, & exiliūt, diſtenta ſunt in corpore. Quid hoc? Ventriculum non habent, vt in eo ſuſcipiant bonum, aut malum?

Reſp. Scopum Hippocratis in hoc textu eſſe declarare cauſam, ob quam ſeptum tranſuerſum, ſeu præcordia per animi affectus moueantur, vt ſatis conſtat in riſu. Sic enim reſpondet tacitæ obiectioni, nam videtur iudicare de bonis, & malis, & ex conſequenti eſſe ſedem ſapientiæ; tamen obiter aduerte Hippocratem ſeptum tranſuerſum præcordia appellare, quo vocabulo vſus fuit Cornelius Celſus lib. 4. cap. 8. agens de iecoris affectu, ait. *Sentitur dolor ſub præcordijs in parte dextra*. Et ita conciliantur interpretes. Nam Foeſius tranſfert ſeptum tranſuerſum: Ioannes Cornarius præcordia, Plinius lib. 11. cap. 37. Septum tranſuerſum præcordia appellat, & proprie dicuntur partes laterales, quæ ſubiacent coſtis nothis, & ſuperiacent hepati, & lieni. Sed ad rem. Loquitur de ſepto, membrum hoc nullum habet ventriculum, & munus eius eſt diſtendi, & contrahi in affectu animi, & reſpirationi inſeruire. Vnde in animi paſsionibus etiam angitur, & multo magis mouetur conſpicuè, quam aliæ partes, quod in riſu (affectu gaudioſo) conſpicimus; non ridemus, ſine motu diaphragmatis diſtenſiuo, neque triſtamur, ſine eius compreſsione, quod non ſolum videmus in riſu naturali, ſed in morboſo; dicebat enim Ariſt. qui vulnerati fuerunt in ſepto tranſuerſo, ridendo mortui ſunt lib. 3. de Partib. animal. cap. de diaphragmate. Notandum eſt tamen iſtum motum non ſequi in gaudio naturali, niſi ſuis conditionibus certis adueniat; ſi enim voluptas, gaudium, triſtitia accidant paulatim, & lentè, non apparent iſti motus conſpicui dilatationis, & compreſsionis: requiritur ergo illa conditio, de qua plura diſputamus in materia de dolore, vt fiat ſubitò, & affatim, quam expreſsit. Præceptor in hoc textu dicens, *Si homo ex improuiſo nimio gaudio perfunditur, aut triſtitatur.* Quæ enim paulatim fiunt, ſenſu carent, & ex conſequenti non erit motus proſecutionis voluptuoſus, aut fugæ triſtis, quod in riſu philoſophamur, ſiquidem diaphragma non mouetur, niſi ad præſentiam obiecti riſus, & potentia ridendi non excitatur, neque exit in actum, niſi ab obiecto delectabili, & iocoſo, quod nouitatem, & admirationem quandam ſecum ducit. Iſta autē tria ſemper occupant potentiam ſubito, & affatim, vt latius dicemus lib. 3. Auic. cap. 4. de cognoſcend. diſpoſitionibus cerebri, aut lib. de diff. ſymp.

Accedit repente bonus nuncius de re deſiderata, ſtatim præcordia exiliunt,

Cornel. Celſ.
Foeſius.
Cornar.
Plin.

xiliunt, sed transacto tempore, cum iam fruimur gaudio adepto quietè, & pacificè, non exiliunt præcordia, neque sentimus nouitatem in corde, aut in diaphragmate; quia cognitio in cerebro iam est de re possessa, sine subita nouitate, & ob id non excitatur motus conspicuus, & notabilis in præcordijs, sed paulatim ad mensuram cognitionis. Ex quibus sequitur præcordia respectu cerebri, in quo est sapientia: habere potentiam obedientialem ad motum illum, qui fit per affectus animi, & nullam imperantem, neque sapientialem, siue cognoscentem. Hoc autem non debuit explicare Hippocrat. terminis his quibus vtimur in scholis, sed grauissima, & antiquissima doctrina proposita: *Mouentur* inquit, & *turbantur primo præ naturæ debilitate*, Nō quidē, quia debilia mēbra sunt, cor autē validissimæ est virtutis, ita vt sibi, & alijs membris virtutem habeat sufficientem; diafragma vero neruosam, & robustam habet contexturam. Debilia tamen dicuntur ista membra respectu mandantium; talia quipe sunt, vt debeant ab alio suscipere ordinem motus in affectibus animi, quamuis in sua executione fortitudinem habeant. Itaque dicuntur debilia, quia non habent vim repugnantem apprehēsioni, & imperio, sed statim obediunt. Quod solent dicere Medici de partibus recipientibus; sunt enim debiles respectu transmitentium, ita præcordia in affectibus subitis animi ad formam apprehensam statim mouentur; talis est consensus præcordiorum cum cerebro cognoscente, talis appetitus cum sensu.

Secundo mouentur præcordia, quia non habent organum cognitionis, sed organum motus ad obediendum apprehensioni; hoc insinuat Præceptor noster dicens, non habent ventriculum in quo recipiant bonum, aut malum allabens.] idest spiritum animalem, siue aerem sapientialem in solo cerebro contentum, in quo relinquit sapientiam, vt diximus. Hic vero sapientiæ primariò inseruit, postea descendens ad partes, in eis operatur, non in ordine ad actiones rectrices, vt faciebat, cum erat in cerebro, sed secundum partis ministerium, & operationem particularem, & propriam. Hoc itaque est non habere ventriculum in quo recipiant præcordia mali, & boni cognitionem, quia cauitates cerebri sunt tantunmodo domicilia sapientialis spiritus, qui rectricibus inseruit.

Dub. Sed dubitabis. Nam quamuis diafragma non habeat ventriculum, satis est; quod in corde sint duo, sinister, & dexter; ergo in his bene posset recipi bonum, aut malum descendens à cerebro.

Resp. Respondetur. Quod mens Hippocratis est docere, quod in solo cerebro sint ventriculi, & cauitates, quibus aer purus recipitur pro sapientia, & ex consequenti in cerebro seruari bonum, & malum apprehensum, indeque præcipi motum, quatenus proponitur fugiendum, aut prosequendum in affectibus animi. Et hoc est quod dicit, præcordia non habent ventriculum, vt suscipiant bonum, & malum; sola enim cogitatiua in cerebro species boni, & mali ex sensibilibus ellicit. Ergo non in præcordijs, sicut sola potentia visiua in oculo ellicit visionem, & non aliud membrum. Vide subtilitatem Hippocrat. dicit, non suscipiunt præcordia malum, aut bonum, quia cārent debitis organis, seu vētriculis, tamen turbantur ab vtrisque. Aliud enim est turbari à malo, & bono, aliud cognoscere malum, & bonum: igitur turbari, proprium est præcordiorum, cognoscere proprium potentiarum cerebri taliter temperati, & dispositi ab aere ventriculorum, qui ab Hippocrat. dicitur aer sapientialis.

Neque obstat cor cum suis ventriculis, quia non sunt ventriculi aeris puri, quales sunt cerebrales; continent enim sanguinem, cui aliqua portio aeris poterit admisceri. At vero cauitates cerebri, & substantia illius

aere puriori, & splendido fruuntur, quod si aliquis alitus ex arteriolis exit, non est sanguis, neque obscurat, aut colore tingit, sed vitalem quemdam teporem inducit. Itaque in corde nullus est spiritus purus, qui ad sapientiam prosit, sed in cerebro, tanquam in origine fit, & tanquam in domicilio proprio seruatur. Quod autem spiritus cerebri, ita sit subtilis, & purus, vt neque visu, neque tactu percipiatur, docui contra modernos, ex mente Galen. in opusc. 10. in Auicen. cap. 14. Igitur illa puritas spiritus pro rectricibus in solo cerebro debet, & potest reperiri, non in ventriculis cordis, qui pro sanguine arteriali facti sunt, licet postea materiam præstet animali, qui vlteriori elaboratione exuit (vt sic expliceam) cordis sigillationem, & induit perfectiorem.

Ex dictis patet, quod præcordia non sunt organa cognitionis, sed motionis. Cuius conclusionis adhuc in sequenti textu complet probationem.

Dub. Sed dices, præcordia non mouentur in affectibus animi, nisi ad bonum, aut malum, ergo mala, & bona suscipiunt, quamuis non habeant ventriculos. Quid conferunt ventriculi ad fugam, aut prosecutionem? Nam dummodo membrum habeat animam fugiet nociua, aut prosequetur proficua, & turbabitur inter contraria.

Resp. Dico in obiectione ipsa contineri solutionem: nam appetitus nil est aliud, quam inclinatio ad rem conuenientem non cognitam, vt in naturalibus, aut cognitam, vt in animalibus. Itaque non differt appetitus naturalis à sensitiuo, nisi prędicta ratione. Cū igitur appetitus, qui est in præcordijs nil aliud sit, quā inclinatio formæ ad rem cognitam ab alia potentia, nil requirit Hippocrat. in illis, nisi motum ad apprehensionem secutum, ad hanc autem executionem exercendam non requiritur organicatio illa ventriculorum necessaria pro spiritu, & aere, quia appetitus non est potentia, quæ exposcat aliquam organicationem distinctam ab ea quam requirit anima, quia vt dixi nil est aliud, quam inclinatio ipsius formæ, sed præsuppositiuè petit illam, quam artifex destinauit potentijs cognoscitiuis, & ita in præcordijs nō cognoscitur bonum, aut malum, licet reperiatur in illis turbatio, & motus.

Nunc ad formam obiectionis satis patet quid sit dicendum, nam præcordia sequuntur inclinationem appetitus, qui mouetur à forma apprehensa: quo modo, autem hoc contingat, an scilicet tanquam à fine, an vero effectiue, tanquam à causa efficiente est prolixa controuersia inter Philosophos, quæ nullo modo pertinet ad explicationem nostri textus. Nam aut moueatur finaliter aut effectiuè nihil confert ad præsentem difficultatem.

Illud vero, quod dixi appetitum non determinare sibi organicationem, intelligas velim. Non dico quod appetitus careat organo, sed quod non determinet peculiarem organicationem distinctam sicut visiua oculum, sed est in corde, cū organo potentiæ vitalis, tanquā Princeps pro toto, vt in affectib⁹ animi. Quod si appetit⁹ particulares alios volueris ponere, non exposcent diuersum organum sed illud quod anima petit pro se ipsa, & pro actionibus partis. In ore ventriculi ad famem, vt late dixi opusc. 9. de facult. cap. 8. Hoc autem fundatur in illa propositione ab omnibus recepta, quod appetitus nil sit, nisi inclinatio formæ, non ergo habebit aliud organum, nisi quod habet forma.

TEXT. LXXIV.

Porro dicunt quidam quod corde sapimus, & quod hoc est, quod angitur, & quod curam gerit, verum hoc non, ita se habet, sed conuellitur quidem velut præcordia, & magis, etiam

etiam propter easdem causas; ex omni enim corpore venæ ad ipsum tendunt, & conclusiones habet, vt sentiat, si quis dolor, aut collectio homini contingat. Necesse est enim, & dum angitur in horrere corpus, ac distendi, & si quis nimio gaudio perfundatur idem pati. Quapropter cor quidem, & præcordia maxime sentiunt, sapientiam autem minime participant, sed horum omnium cerebrũ causa est.

Comment. DEstructa illa opinione, quæ sapientiã in septo transuerso ponebat. Iterum contra illos arguit, qui fugientes vim rationum, dixerunt saltim in corde residere. Quam sententiam in hoc textu destruit, & quamuis sufficiebant, quæ dixerat, semper sua doctrina firmus, cerebrum ad iuditia, & apprehensiones sapientiales statuit: præcordia vero ad motus animi experiendos, seu ad actiones secundarias appetitus residentis in organo cordis, & diafragmatis; vt primus Hippoc. hos fontes diuersos proposuerit, quem nunc vniuersa philosophantium schola secuta est, atque cum iam in superioribus declarata sit illius mens, solum oportet literam explanare. Diximus sapientiam exerceri potentijs rectricibus cum debita puritate aeris in cerebro. Nil horum est in corde, neque in diafragmate, ergo non vtimur istis membris ad sapientiam. Hæc est prima propositio textus. *1. Propo.*

2. Prop. Secunda. Sed cõcluditur cor, idest motus contrarios per dilatationem, & compressionem experitur, secũdum naturam affectus quem patitur; ita vt pulsus timoris, aut iræ, aut gaudij, aut tristitiæ, aut doloris efficiat, & aliquando omnes differentias affectuum misceat, siue acumulet vt in amore. Atque adeo ex potentia cognoscente in cerebro, & appetitiua in corde compleatur principium sufficiens motus affectuosi cordis. Quod si dubites: hãc explicationem supponere notitiam perfectam pulsus, quam non habuit Hippoc. Respondeo. Habuisse sufficientem.

Tertia propositio. Licet motus localis affectuosus participetur à præcordijs idest à septo transuerso, tamen magis, & per prius in corde, tanquam in fonte, & radice appetitus. Hoc dicit fieri ob easdem causas. Quæ causæ sunt istæ? *3. Prop.*

Respondet: Quarta propositione, quia cum cor, vt dictum est sit pars Princeps in qua passiones animæ primario contingunt; necessum est, vt magis patiatur, quã septum transuersum, aut aliæ partes. Explicat, & probat quinta propositione. Quia ex toto corpore confluũt venæ ad ipsum cor in illudque concluduntur (seu habet conclusiones illarum) & ex consequenti sentit omnia damna, seu dolores aliarum partium. Mira res! Cor est in medio corporis, vt Rex in medio Regni, omnibus impartitur vitalitatis gubernacula. Rex est, omnium ergo membrorum, sibi subditorum pati debet necessitates, & dolores, vt sciat compati, neque dignitatem Regiam, sine laborioso pondere existere. Dolor est in pede, aut in alia, minima externa, aut interna parte, iudicet cogitatiua, quæ in arce posita est, in momento compatiatur cor, exeat eius appetitus in actum, mutetur causæ pulsus, mutetur harmonia pulsus. Ob quid? Quia damnũ est aliquod in minima corporis parte: vide sollicitudines Regis. *4. Prop.* *5. Prop.*

Sed non solum labores subditarum partium, sed etiam conuenientias illarum experitur, & voluptuosos, & gaudiosos efficit motus. Necessum itaque est, vt si angitur homo (dicit Hipp.) horreat corpus, aut distẽdatur. Nõ intelligas horrorem, qui solet antecedere febres, aut sequi fluxiones catarrales, neque distensiones vere conuulsiuas; sed explicuit notas affectus cordis dolentis

lentis, tristantis, aut gaudentis; nam in gaudio magnæ fiunt arteriarum distensiones, & expansiones calidi, ita vt cor soleat depauperari, & deficere: horror etiam ad subitum timorem sequitur moto ad interna calido.

Illud vero, quod dicit fieri conclusiones venarum in corde, non intelligas, tanquã vnus ex Tyronibus, sed aduerte, quod vt fiat consensus cordis Principis cum omnibus partibus, sufficit quod sit origo arteriarum, & per suas venas, & neruum quem habet, omnium partialium dolorum sit particeps; & illorum medelam per motus conspicuos quærat, aut fugiendo, aut prosequendo, aut fruendo; vt enim Rex sentiat omnia populi mala, aut bona non est necessarium, vt omnes subditi immediate Regem adeant, sed vnus pro alijs; ita sufficit quod quædam vasa [seu 6. Epid. germina (vt Hippocrat. aliquando dixit) cordis cubiculum intrent, vt sic bona, & mala communicentur: quando ergo dixit omnes venæ concluduntur in corde intellexit iuxta consensum quem cum parte Principe debent habere, vt inde tota virtus vitalis, seu cordialis influxus participetur in corpore, & omnes dolores, aut voluptates recipiantur in corde.

Ex his vltimam elicit propositionem: *Qua propter* (inquit) *cor, & præcordia maxime sentiunt, sapientiam tamen minime participant.* Quid est maxime sentiunt, & minime sapiunt? Si maxime sentiunt, ergo maxime cognoscunt, & sapiunt.

Respondeo, Veritatem, & vsitatum modum loquendi docuisse Hippocrat. maxime sentiunt, & minime sapiunt; non enim qui maxime sentit, sapiens est: tactus insigniter sentit, non tamen habet sapientiam, quia [vt sępius diximus) sapientia rectitudine mentis, cogitatiuæ, *Loquimur de sapientia proprie dicta.* memoriæ, & imaginationis constat, ita vt sit habitus ad superiorem pertinens partem, sensatio vero absolute dicta nil habet cum sapientia, sed est actus nobis, & brutis communis. Igitur cor, & præcordia maxime sentiunt, neque ob id sapiunt: sentiunt autem illata contraria, tamen mediat stimatiua, vt appetitus cõsurgat ad motum. Solum ergo cerebrum (concludit Hippocr.) causa est per suas operationes sapiẽtiales, siue rectrices horũ omniũ. Quid est horum omniũ? Omnium affectuum cordis, si ergo, quidquid est causa causæ est causa causati, cerebrum per suam cognitionem erit causa omnium affectuum appetitus, & motionũ illius.

TEXT. LXXV.

QVemadmodum igitur etiam prudentiam, ac aerem omnium primũ ex his quæ in corpore insunt percipit cerebrum. Sic etiam si qua mutatio fortior in aere contingat præ temporibus anni, etiam ipsum a seipso diuersum redditur in aere.

TAm stricte continet finem, sibi pro- **Comment.** positum in hoc libro, vt nec verbum sine maxima cohærentia posimus inuenire. In textibus antecedentibus docuit internam subordinationem præcordiorum ad cerebrum. & cõnexionem causarum in affectibus animi, vinculumque omnium posuit aerem purum quem nos spiritum vocamus animalem; vt Magos doceat, quam vim habeant causæ naturales ad corporis mutationem, quantum valeant cognitiones superiores cerebri, quas vires habeat appetitus cordis, & præcordiorum, ad tam varios motus, vt plura accidenria, quæ humana ambitio, & ignorantia tribuebat Dijs, constet oriri posse ab alijs causis.

Nunc vlterius progreditur, & argumentum efficacissimum proponit ab statu naturali ad præter naturam in hunc modum

modum. Cerebrum est primo cognoscens inter omnia corporis membra, & quod primo purum aerem trahit: ergo erit, quod primò mutabitur à fortioribus aeris mutationibus, aere interiori immutato: ergo cerebrum erit à se ipso diuersum secundum aeris diuersitatem. Ad quid hoc? Quia vult concludere morbum Sacrum ab eisdem causis oriri, & ab eisdem mutationibus aeris sicut alij plures morbi, & magis immediatè, siquidem cerebrum ab aere bono, aut malo prius afficitur, atque secundum aeris diuersitatem diuersificetur; cetera vero membra non ita, vt supra explicuit.

TEXT. LXXVI.

ET enim cerebrum propterea primum sentit, quia etiam morbi in ipsum irruunt acutissimi, & maximi, ac præcipue læthales, & qui difficilem iudicationem habent apud inexpertos.

Comment. EXhibet alteram probationem, qua ostendit cerebrum esse quod primò aeris mutationes persentiat; nam in ipso fiunt maximi morbi, acuti, acutissimi, & læthales: ergo signum est, quod primò causæ efficatiam, aeris incursum, & fortitudinem patitur. Nam partes, quæ secūdo, aut tertio loco post cerebrum patiūtur ab eodem aere, apertum est, minùs intensè pati; nam causa primo occursu integra sua intensione aggreditur cerebrū: ergo necessario patietur magis quàm aliæ partes, quia integras vires aeris experitur: ergo cerebrum maiora mala patitur ab aere. Vnde apoplexiæ, Epilepsiæ, siderationes, & alia quæ celeriter interimunt, & alia, quæ licet non statim occidant, difficiles habent iudicationes apud inexpertos, qui causas ignorando, neque iudiciorum, neque curationum leges cognoscunt.

TEXT. LXXVII.

HIc vero morbus Sacer appellatus ex ijsdem causis oritur, à quibus etiam reliqui ab accedentibus nimirum, & decedētibus velut frigore, sole, ventis, quæ & transmutātur, & nunquam quiescunt. Hæc autē sunt diuina. Quare nequaquam hunc morbum ab alijs discriminare oportet, neque reliquis morbis diuiniorem putare, sed omnes diuinos, omnesque humanos.

VIde ab hoc textu vsque in finem libri vltimam conclusionem, quā intendit Præceptor. Morbus Comitialis, Sacer dictus, ab eisdem causis procedit, sicut cæteri omnes morbi, modo ab humanis, modo à diuinis. A diuinis inquā, quas sic appellamus, quia supra nos sunt, & vniuersalem habent causalitatē, æternoque ambitu, & inexcusabili nos gubernant dominio, atque nolentes, aut volentes ab illis semper alteramur. Talem Diuini appellationem habet Sol, sub quo omnia Astra, & corporum cœlestium complectūtur influxus, tanquam sub principialiori lumine. Similiter Diuina causa censetur aer, & vētus, & quidquid ab elementis transmutabilibus nostra corpora immutat, vt iste locus, si quis alius dederit occasionem Galeno ad explicandam sententiam prognosticorum [si quid diuinum est in morbis] quod per diuinum intellexerit aerem. Comment.

Humanæ vero causæ sunt particula-

res, quibus vtimur, & ad nutum nostrum immutantur, vt exercitatio, cibus, potus, somnus, vigilia, coitus, habitatio, balneatio, &c. & multa alia pertinentia ad mores, quæ possunt ægritudines causare. Cũ ergo iste morbus sicut reliqui oriatur ab humanis, vel diuinis causis, non erit diuinior dicendus, ob aliquod diuinitatis mysterium, sed eãdem vt alij habet naturam, aliquando à causa vniuersali, aliquando à particulari, ab affectu animi, à cibo, à potu, ab humoribus, ex his genitis, nonnunquam à ventorum, & aeris incursu: vidimus multos sola aeris, & Regionis mutatione à morbo Sacro liberatos, etiam hidropicos, hæcticos, maniacos, &c. Ergo Sacer morbus ab eijsdem causis, vt alij, enascitur, siquidẽ, sicut alij curationem admittit.

Est vero pulchrum notare quod Hipp. non enumerauit causas humanas, tanquã magis cognitas, declarauit vero causas diuinas illis verbis, quæ accedunt, & recedunt, & transmutantur, & nunquam quiescunt. Quæ proprietates proprissimè competunt corporibus cœlestibus, Soli, & Astris, & aeri, & vẽto. Hæc enim sunt quæ accedunt, & recedunt, & nunquam quiescunt, quibus verbis vsus fuit in nostra Hippocratica Philosophia textu 18. & sequentib. vbi agit de Diuinis, & Humanis.

TEXT. LXXVIII.

NAturã autem vnusquisque habet, & vim in se ipso, & nullus, neque auxilij, nec remedij expers est, & plerique his ipsis curãtur, à quibus etiam nascuntur. Alterum enim alterius nutrimentum est, alterius vero pernitiès, & afflictio.

Comment. Quid est quod tam aperta res nobis proponitur ab Hipp. qui solet parui pẽdere, quæ trita sunt? Vnusquisque morbus habet suam naturam, & vim. Est ne aliquis qui dubitet? Si est aliquis dubius experiatur morbos, & iudicabit, an habeant vim, & naturam satis nobis contrariam.

Audias Præceptoris nostri subtilitatem. Dicebant Magi. Morbus hic nõ habet naturam, sicut alij, ad Magicã incantationem concurrendum est: patitur infirmus occulta quadam, & mysteriosa ratione, cui nulla qualitas medicamentorũ contrariatur. Hũc errorem destruit hoc argumentum. Omnes morbi (inter quos Sacer) habẽt aliquam naturam, aut in se, aut in sua causa continente: ergo habebunt suum contrarium, à quo expellantur; ergo non sunt expertes auxilij, & remedij. Nõ dixit: Omnes morbi sunt curabiles, sed nullus est expers auxilij, vt intelligamus vnũ cõtrarium ex alio, vnã naturã ex alia: omnes morbi habent suam naturam determinatam, ergo respiciunt sua contraria, quæ auxilia dicuntur.

Secundo probat experientia; nam plerique morbi curantur ijsdem rebus, à quibus nascuntur; pestis ab aere, aere mutato curatur; Epilepsia ab aere frigido, humido, & nebuloso, aere calido, sicco, & puro curatur; venenum theriaca pellitur, quæ venenum excipit. Idem igitur est nutrimentum, & conseruatio morbi, & ipsius destructio afflictio, & pernities: nam qui generauit morbos aer, illos nutrit, & auget, mutatus illos destruit: ergo seductores sunt Magi, & quicumque illorum vestigia sectantur, si auxilia propria, & vera, parui pendentes, ad machinamenta, & falsa promissa recurrunt.

TEXT. LXXIX.

HOc itaq; Medicũ nosse oportet, & temporis occasionem in singulis pernoscere, quod alterum quidem per alimentum ab-

soluet, & augebit, alterum verò detrahet, & minuet. Oportet autē tum in hoc morbo, tum in reliquis omnibus, non augere morbos, sed festinare, vt ipsos exteramus, id quod aduersissimum est morbo exhibendo, non quod amicum & familiare. A familiari enim & consueto floret, & augescit, ab aduerso verò & hostili perit, & dissipatur.

Comment. MOnet Medicos ad studia, ad contemplationem continuam causarum, nō ad lucrum: oportet Medicum nosse quæ nuper dixit, imò quæ in toto libro, & præter hæc temporis occasionem in singulis rimari. Magna res! in singulis occasionē pernoscere. Si Medicus habet multos infirmos varijs morbis oppressos, tā varijs accidentibus per subitas occasiones decurrētes, quomodo poterit temporis momenta metiri? Occasio est in qua tempus non est: quomodo poterit tam veloces rerum transitus desinere, vt remedia applicet, & temporis occasionem in singulis pernoscere? vellem iterum, atque iterum referre. Sed ad alia.

Post difficilem occasionis contemplationem causas commendat, vt sciat Medicus quæ sint, quæ morbum augent & quæ minuant. In hoc puncto plura occurrebant: solum id dicam, incurabilia mala excitari ex ignorantia particularis ideæ causæ morbificæ, & contrarij illius. Indicationes generales fere omnes norunt, particulares verò paucissimi. Sed punctus iste tam necessarius, si Deo placuerit, ex professo erit aliquando tractandus, licet in nostro lib. de impedimentis magnorum auxiliorum, aliquid tetigimus.

Tarda Medicorum molimina curationem blandimētis retardantium notat. Quisquis enim præsentib⁹ indicationibus statim non curat, morbum auget; festinare ergo debet, & tolere omnia quæ morbo familiaria sūt, & amica; vbi indicat aliquos, qui vt ægris placeant, quælibet petita cōcedūt. Notādū tamē, quod interdicit, & vetat omnia familiaria, & morbo amica, id est, omnia quæ valēt augere, aut causam, aut morbum, aut sympthoma. nō tamē tollit illud quod familiare est ætati, aut consuetudini, quod leuare posit tristitiam patientis, non verò augere morbum. Quod duobus locis satis conspicuis, & illustribus edocuit lib. 6. Epid. in illo text. Ægrotis gratiæ. Et Gal. in commento eleganter, & diffuse, & in Apho. parū deterior cibus, &c. Contra seueros, & tetricos quosdam, qui vt videantur populo magni Medici, strictas leges instituūt præter omnem rationem.

TEXT. LXXX.

QVisquis autem talem mutationem in hominibus nouit, & humidum ac siccum potest facere hominem, ac calidum, & frigidum per diætam, hic vtique, & hunc morbum sanauerit, si occasionem eorum, quæ conferunt pernoscet. Citra expiamenta, ac incantationes, citraque omnem aliam huiuscemodi machinamentorum absurditatem.

DIæta aliquando in doctrina Hipp. nō solum significat rectum alimentorum vsum, sed totius morbi curationem, vt colligitur ex Galeno 1. de ratione victus text. 6. & 1. de Diebus decret. cap. 11. in quo sensu accipitur in nostro textu. *Comment.*

Primus Hipp. per tres libros de Diæta rem nouam aggressus fuit sine medicamentis, per solum bonum vsum alimentorum, & exercitij (quod ab ipso labor dicitur) morbos futuros præcauere, hominem

minem intemperatum mutare ad meliorem temperiē, & temperatū conseruare. *Ni fallor in his vltimis verbis libri apponens conatum, eleuat senilem vocem ad defensionem excellentissimæ artis, & ad omniū errorum exilium. Audiamus legem alta voce deprompt am. Sciāt omnes tantam esse facultatis Medicæ altitudinem, vt per solam diætam valeat hominem distemperatum temperare, per longos annos vitam protrahere, sine morbis illam conseruare, & naturam totam emendare. Quæ ars hæc mirabilia promittit, & complet, non ne poterit morbum istum Comitialem, sine absurditate incantationis curare? Poterit quidem. Sic Magos relinquit confusos, & aureo libro finem imponit.* Nos vero ad secundam partem istarum Prælectionum, fauente Deo accingimur.

Laus Deo Optim. Max.

SECVN-



SECVNDA PARS.

PRAELECTIONVM AD LIbrum de Morbo Sacro Magni Hipp.

PER Obscuris textibus explicatis mentem Hippoc. aperuimus, difficultates literales absoluimus. Nunc ad secundam partem accedimus, vt causas diuinas enarrare aggrediamur, sine quarum notitia non potest doctrina Hippocrat. elucescere. Igitur quærendum erit. An sit causa diuina. Quid. Quotuplex, & quales vires obtineat ad permutandũ humanũ corpus. Et licet dixerit Aristot. in rebus per se notis esse prætermittendã quęstionem, an sit. Ea est Atheorum cęcitas, & infęlicitas, vt contra illos aliquid sit dicendum. Cum vero omnes Philosophi antiqui, & Theologi hunc brutalem errorem destruxerint; ego dummodo ad libri institutum orationem comprimam, nihil detraham cognitioni iustorum.

Necessarium est fateri primam Diuinitatem omnium rerum exordium, & moderatricem, Cap. I.

VEritatem istam congenitam esse defendimus principijs nostræ naturæ, & connaturali lumine suffultam, quam D. Thom. supponit 1. p. q. 2. ad 1. dicens. Notitiam Dei esse nobis connaturalem, & non articulum Fidei, sed præsupponi ad Fidem. Quod Iamblichus asserebat initio lib. de Mysterijs his verbis. *Ante omnem rationis vsum inest naturaliter insita Dei notio; imo tactus quidam Diuinitatis melior, quam notitia.* Quod antiquissimus dixerat Mercuri⁹ Trimeg. in Pymand. cap. 5. *Deus totius expers inuidiæ per singulas mundi particulas splendet, atque adeo se notum præstat, vt non intelligere modo, sed manibus etiam ipsis liceat attrectare [vt ita dixerim] Nam vndique nostris oculis eius obuersatur, seque obijcit, & inculcat imago.* Et Iulianus apud Cyril. libro 2. text. 4. *Cognitionem Dei* (inquit) *rem esse, quæ doceri nequeat, omnes enim absque Doctore Deitatem quandam credidimus.*

D. Thom. Iamblic. Trimeg. Iulianus.

Et

Et licet Epicurus inter primos Atheos enumeretur tamen diuinam Maiestatem admirabatur, & colebat, quod noster Seneca, post plura pulchra contra illum disputans sic exarauit lib. 4. de Beneficijs. *Tu denique Epicure Deum inermem facis, omnia illi tela omnem, detraxisti potentiam, & ne cuipiam metuēdus esset, proiecisti ipsum extra metum. Hunc igitur septum ingenti quodam, & inexplicabili muro, diuisumque à contactu, & à conspectu mortalium, non habes, quare verearis. Nulla illi, nec tribuendi, nec noscendi materia est. In medio interuallo huius, & alterius cœli desertus, sine animali, sine homine, sine re, ruinas mundorum supra se circaque se cadentium euitat, non exaudiens vota, nec nostri curiosus. Atque hunc vis videri colere, non aliter quam Parentem: grato vt opinor animo: aut si non vis videri gratus, quia nullum habes illius beneficium, sed te atomi, & istæ mica tuæ forte, ac temere conglobauerunt. Cur colis? Propter Maiestatem inquis eius, eximiam singularemque naturam.* Arguit postea Seneca probans omnia beneficia quæ à Deo recipimus; eleganter conclusum relinquēs Epicurum. *Seneca.*

Accedat iā Hipp. in suo libro de Morbo Sacro, & diuinam Maiestatem, quam coactus cognouit Epicurus, illustri sententia demōstret, & agat Deo Opt. Max. gratias, pro innumeris beneficijs ab illo acceptis, & ingratissimam ignorantiam Epicuri depellat. Ait: DEVS *purificator hominum est, & liberatio nostra existit.* Vbi beneficiorum in humanum genus, quasi summam quandam mirifice cumulat, & multorum attributorum Dei viam ostendit. Quis enim poterat vniuersum humanum genus purificare, nisi hominum conditor? Quis liberare, seruare, custodire, nisi omnium Dominus? Quomodo hæc præstare sine infinita prouidentia? Vide quanta sint paucis conclusa verbis, concissè contra Epicurum ostēdit magnificentiam Diuinæ prouidentiæ.

Aristot. Post Hippoc. Aristot. ex subordinatione causarum, & motuum efficaciter probauit primæ causæ independentis essentiam. Plato etiam eamdem Dignitatem pluribus demonstrauit argumentis. *Plat.* Quæ omnia non solum sancti Patres, sed omnes Ethnici, luce clariora demonstrarunt.

Nos vero grauissimam doctrinam S. Agustini, neutiquam omittamus Psal. 52 ad illa verba: *Dixit insipiens in corde suo non est Deus. Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in iniquitatibus suis. Præmisso enim versu dixit imprudens in corde suo non est Deus; tanquam causa quærerentur, vnde hoc posset dicere imprudens, subiecit. Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in iniquitatibus suis. Audi illos corruptos. Dixerunt enim apud se non rectè cogitantes. Cœpit corruptio à mala fide, inde itur in turpes mores inde in acerrimas iniquitates. Gradus isti sunt. Quid enim apud se dixerunt cogitantes non rectè? Exiguum, & cum tædio est vita nostra. Ab hac mala fide sequitur illud, quod Apostolus dixit manducemus, & bibamus, cras enim moriemur. Ibi autem latius luxuria ipsa describitur. Coronemus nos rosis, antequā marcescant; vbique relinquamus signa lætitiæ nostræ. Post istam descriptam latius luxuriam, quid sequitur? Occidamus pauperem iustum. Hoc est ergo dicere, non est Deus.* Vide sanctum August. veternosi, & brutalis erroris causam declarantem, vitæ scilicet luxuriosæ procacitatem, & licentiam male viuendi. *August.*

Sed quando isti Miseri, non audiunt Philosophos, & Patres veræ Philosophiæ, quæruntque antiquitatem gentilium, sciant nullam fuisse gentem, quæ non audierit, aut ab indito lumine acceperit misericordiam Diuinitatis, vt nulla sit excusatio in peccatis. Canat Orpheus Hymno nono, naturam primam vocās Deum. *Orpheus.*

Natura omnium mater Dea, artificiosa mater.

Suscitatrix, honorabilis, multa creans, Dæmon, Regina;

Omni

Omnidomans, indomita, gubernatrix, vbiq; splendens.
Omnium rectrix, honorata, præstantißima omnibus.
Incorrupta, primogenita, antiqua, claros viros cohonestans.
Nocturna, multa bastans, lumen ferens, ægre detenta;
Quietum talis pedum vestigium voluens:
Casta Princeps Deorum, fine carens finis.
Communis quidem omnibus, incommunicabilis vero sola.
Ipsa pater sine patre, virtute valde gaudens maxima,
Bene florens, nexus, amicitia, multis mixta sciens.
Dux, Potens, vitam ferens, omnia nutriens puella,
Sufficientia, iudicium, gratiarum celebris, suada.
Aetherea, terrestris, & marina Regina,
Amara quidem perniciosis, dulcis vero obtemperantibus.
Sapientißima omnium datrix, nutrix, vbique Regina.
Incrementum nutriens, Beata, maturorum vero dissolutrix.
Omnium quidem tu pater, mater, nutrix, & alumna,
Statim generans, beata, semine abundans, maturitatis motus,
Omnium artifex, figula, multorum creatrix veneranda Dea:
Æterna, motus ferens, multa experta, prudens Dea.
Semper fluente turbine celerem impetum agitans,
Omnium seruatrix, circularis, alienæ formæ arbiter.
In throno sedens, honorabilis, sola iudicatum perficiens.
Supra sceptrigeros grauiter sonans optima.
Intrepida, omnia domans, fatata, parca, ignem spirans.
Aeterna vita, & immortalis prouidentia.
Omnia tibi sunt, omnia enim, tu illa sola facis.

Quid nomine Diuini, & Quotuplex, Cap. II.

Diuinum autem illud Ethnici etiã dixerunt, quod superat humanã conditionem, ita Cicero multis in locis. Vnde quanto altior fuerit, & sublimior Diuinitas, tanto erit remotior à nostris viribus cognoscitiuis, & abstractior à communi, & corporali natura. Hoc supposito quatuor Diuinas causas constituo. Primam absolute talem appello Deum, scilicet Optimum Maximum, quia ita supereminens est, vt neque sensu, neque ratione humana, possit plene comprehẽdi, super omnẽ pulchritudinẽ, super omnẽ potẽtiã, super omnẽ bonitatẽ, super omnẽ intellectum, &c. Est itaq; primũ Diuinũ à seipso, alia vero si aliquã forsitan Diuinitatis rationem, vel entitatis participant ab illo, tanquam â primo fonte suscipiunt. Cicer.

Secundo, Intellectuales creaturæ Diuinæ causæ dicuntur ab antiquis, quia super humanam conditionem eleuatæ, nullo sensu corporeo perceptæ, insolitos effectus operantur.

Tertio loco rationales spiritus collocandi, quales sunt animæ humanæ, meritò Diuinæ appellatæ, quia ea est illarũ perfectio, vt licet sint formæ corporis (quod non competit intelligentiis) omni corpore careant, spiritualesque sint, & immortales. Istum ordinem etiam Ethnici cognouerunt.

Sed dubitabis quare anima nostra nõ dicitur intellectualis creatura, sed rationalis: Propter hoc quippe constituit alterum gradum. Dub.

Dico, quod intellectualis creatura, sic dicitur, quia sine ministerio sensus in omnem spheram obiectiuam fertur, & sine illatione, & discursu: At vero anima nostra inferiorem gradum constituit, quia per discursum conclusiones ellicit, qui est imperfectus modus intelligendi: & ob id per anthonomasiam dicuntur intelligentiæ intellectuales creaturæ, & Resp.

ani-

animæ humanæ vocantur rationales.

Quarto loco, corpora cœlestia, & illorum sidera inter causas Diuinas constituit antiquitas, quia omnem elementalem corruptibilium naturam mirabiliter superant, quod Diuus Thom. docuit 1. part. q. 58. art. 3. in corpore. His verbis: *Angeli illum gradum tenent in substantijs spiritualibus, quem corpora cœlestia in substantijs corporeis, nam & celestes mentes à Dionisio dicuntur. Est autem hæc differentia inter terrena, & cœlestia corpora, quod corpora terrena per mutationem, & motum adipiscuntur suam vltimam perfectionem corpora vero cœlestia statim ex ipsa sua natura suam vltimam perfectionem habent, &c.* Ex quibus constat quantum supra corpora ista inferiora eleuentur cœli, vt merito Hippoc. in hoc lib. Solem, & Lunam Diuinitatis nomine illustrauerit, vt mirer quam facile quidam Astrologi nostri temporis, cœlum dicant quotidie corrumpi, & generari, nilque esse aliud, quam aerem alterabilem, desideroque occasionem ad destruendam istam falsitatem.

Aliqui quinto loco ponunt veneficia, & maledicas artes, tamen ego non distinctum gradum constituo, quia omnia ista Magorum inuenta, cum interuentu explicite, aut implicite Dæmoniacæ virtutis aliquam efficatiam obtineant, ad causalitatem intelligentiarum reducenda sunt; quamuis de illis aliqua inferius dicam.

Hæc sunt Diuina, Deus à se ipso propriè, & simpliciter; reliqua omnia ab illo, per aliquam participationem, aut similitudinem. Sed in quo consistat ista Diuinitas in ordine ad nostrum librum, exponamus.

Deus intelligentiæ animæ rationales, corpora cœlestia, elementa, an propter aliquam causalitatem, sibi debitam dicantur Diuina, Cap. III.

SIne dubio, diffusio, & communicatio bonitatis ostendit Diuinitatem. Explico. Esse est propter operari, operari est propter finem, siue propter bonum, quod conuertitur cum ipso fine: ergo quale fuerit bonum, talis erit operatio, & tale principium substantiale ipsius operationis. Eleuantur igitur entia ad maiorem Diuinitatem prout fuerit finis, & bonitas, quam intendunt.

Hoc supposito. Quatuor sunt bona, bonum indiuidui, bonum speciei, bonum generis, & bonum extra omne genus, idest bonum ratione similitudinis, & analogiæ principiatorum ad sua principia. Bonum indiuidui illud dicitur, ad quod indiuiduum sub particulari ratione inclinatur, quod fit per appetitum, quemdam particularem, qui non extenditur, nisi in bona propria, & omnes potentiæ, & actiones illi seruientes, tale bonum inquirunt, vt quæ feruntur in alimentum, id faciunt, vt indiuidualem nutritionem exerceant: in multam quantitatem alimenti, vt fiat auctio: in particulares voluptates, vt se delectent. Hic appetitus, & principia ista causandi non solum inueniuntur in viuentibus, sed in mixtis, & elementis; in viuentibus à causa vitali, in alijs, à naturali: omnibus tamen commune est intendere bonum proprium relicta bonitate vniuersi. Hoc autem bonum licet sit primæ bonitatis participatio, est tamen ita infimum, ita suis terminis conclusum, & tan parca manu diffunditur, ut non mereatur nomine Diuinitatis condecorari, quia suum esse, & sua operatio in aliud distinctum non extenditur.

Aliam agnoscimus operationem, cuius finis est bonum speciei, per quam serua-

seruatur sucesio, & in successione æternitas specierum. Iam certe bonum speciei excellentius est, quia magis vniuersale, & commune, siquidem aspirant entia in aliud à se, ita vt in hoc differat generatio à nutritione, & augmentatione, quod sit actio ad aliud. Vnde Arist. non appellauit generationem opus naturale, sed naturalissimum; quia (inquit) subeunt viuentia quoad possunt conditionem diuinam, quia æternitatem consequuntur. Explico ego: quia effunduntur ad bonum vniuersalius.

Tertium bonum est adhuc magis vniuersale, bonum scilicet generis, quod causis æquiuocis cœlestibus proponitur ad operandum. Sunt quidem istæ causæ ita nobiles, perpetuæ, & incorruptibiles, vt non indigeant ad bonum suæ speciei indiuiduorum successione; tales sunt intelligentiæ motrices orbium, & corpora ipsa cœlestia. Operantur quidem propter elementa, & propter omnia alia inferiora, appetuntque bonum multarum specierum, quod existimamus esse finem intelligentiarum mouentium cœlos non præcise, vt intelligentiæ, sed vt intelligentiæ mouentes cœlos. Quem dices finem tam mirabilis machinæ celestis? Equidem bonum omnium rerum sublunarium. Vide quam sint istæ creaturæ nobiliores, & diuiniores primis.

Rursus aliud est bonum, ita transcendentale, vt omnia rerum genera percurrat, & supra illa sit, dans esse, viuere, & operari, vt altissime dicebat. D. Paul. *in Deo viuimus, mouemur, & sumus*, vt istis tribus gradibus omnem naturam creatam ab illo fluere explicaret. Ergo Diuinitas Deo primò, & per se tribuenda, quia (relictis alijs supersubstantialibus attributis diuinis] in quantum totius naturæ origo, ita sui est diffusiuus, vt bonum indiuidui, bonum speciei, bonum generis, bonum extra genus tribuat, dirigat, gubernet, conseruet, & ob id dicebat Trimegistrus. *Bonū, o Asclepi in nullo est, nisi in solo Deo, potius vero bonum est ipse Deus semper.*

D. Paul.

Trimeg.

Hæc ergo ordine suo sunt Diuina dicenda, in quibus gradum, & eleuationem causalitatis consideramus.

Sed dubitas. Cum anima rationalis (licet paulo minor ab Angelis) inter spirituales creaturas recensenda sit, & Dæmones inter intelligentias, & suo ordine ad diuinas causas pertineant, quod nam est bonum illis intentum, an indiuidui, an speciei, an generis? Equidem Dæmones, licet ratione naturæ, intelligentiæ dicantur, tamen quia damnati sunt propter peccatum, nullum bonum videntur intendere, sed rerum omnium perturbationem in odium primi conditoris. Sed de his pauca, ne discedamus ab instituto.

Dub.

Anima rationalis, & est forma corporis, & separabilis, & immortalis; quod nullæ formæ conuenit. In quantum forma respicit bonum indiuiduale, & suā cō seruationem, &c. At in quantum intelligens, dependensque à corpore tanquam ab obiecto, recipiensque ab illo phantasmata; sub hac ratione, quærit bonum suum; nam fit sapiens corporis adminiculo. Aliquando dicebam, quod licet anima non sit causa æquiuoca respectu vniuersi, tamen operatur perfectissime propter ipsum bonum in se, quod est Deus, siquidem ex propria natura appetit summum bonum, & vnionem cum ipso: vnde in ista suprema vnione fit anima, quodammodo omnia; intelligibilia per intelectum, amabilia per voluntatē, & c. multo melius, & certius quā sensit Arist. quando dixit anima est, quodāmodo omnia. Operatur ergo in corpore propter suum bonum, vt melius operetur propter bonum supersubstantiale quod est Deus. Magna dignitas hominis!

Resp.

Arist.

De intelligentijs damnatis id nunc tantum dicendum, ita esse deprauatæ naturæ, vt tanquam bonum intendant malum omnium creaturarum contra finem intentum intelligentiarum beatissimarum, quæ sicut bonum generis respiciunt, ita damnati spiritus omnium per-

Resp.

pernitiem, & quidem nisi Deus Optimus Maximus conseruationi rerum prouideret, multa à Dæmone euerterentur. Sed de his inferius.

An Deus sit causa morborum, Cap. IV.

ENumeratis causis Diuinis, de vnaquaque quærendum est, an sit morbi causa? Hoc est, attingere huius libri disputationem. Hippoc. dicebat. Deus hominum purificator est, liberatque à malis; ergo non malorum, sed bonorum causa. Textum vero nostrum, sine dubio legit Plato, siquidem lib. 2. de Repub. ait: *Causam malorum Deum esse, cum bonus sit omni ratione debitandum est, & reijciendũ, neque pati conuenit quemquam in ciuitate, hæc pronuntiare, nec insuper quemquam audire, siue sit ille iunior, siue senior, siue carminibus inserantur, siue soluta oratione narrentur, tanquam quæ neque dictu sancta sint, neque alijs subtilia, neque inter se consona*, & paulo ante ita ait. *Bonorum quidem solus Deus est causa dicendus; malorum autem quamlibet aliam præter Deum quærere decet.* Non miror quod hãc sentẽtiã adduxerint, & laudauerint. Eusebius lib. 13. Præparat. Euang. cap. 1. Theodoret. 5. contra Græcos,

Plato. *Euseb.* *Theodor.*

Præterea ante Platonem, idem docuit Mercu. Trimegistrus in Pimandro cap. 14. *Ab eo* (inquit) *omnium factore nihil turpe, nihil malum prodit.* Sed audiamus magnam illius sententiam loco cit. quã refert S. Cyril. lib. 2. contra Iulianum. *Quod præcedit Deus est faciens, quod autem sequitur id quod fit, quod ita esse diffidens propter varietatem eorum, quæ fiunt timẽs ignobilitatem, & humilitatẽ Deo adscribere, ne timeat; vna enim ipsi est gloria facere omnia, & hoc est opus Dei, sicut corporis effici: facienti nil, vel mali, vel fœdi imputamus; hæc enim sunt affectiones generata sequentes sicut rubigo æs, vel macula corpus sequitur, sed neque ærarius rubiginem patitur, neq; maculã.* Pulcra sentẽtia.

Mercur. Trimegis. *Cyril.*

Sed dicet aliquis sententias sacræ Scripturæ, sanctorum Patrum, & Gentilium etiam intelligendas esse de malo morali, quia Deus summa bonitas non potest causare peccatum. Tamen morbos, & mala naturalia efficere potest.

Sed contra est, quia videtur eandem esse rationẽ de vtroque malo, nam morbi corporis, & animi, essentia, & formalitate conueniunt; nam peccatum est deuiatio à rectitudine bonitatis, & à regula rationis, & morbus corporis est deuiatio à rectitudine bonitatis naturalis quę corporali integritati, & sanitati debetur, & ita vtraque ratio nil est aliud, quam defectus, & priuatio; nemo autem dicet Deum efficere defectum. Ergo Deus non est causa morbi, quia malitia, tam in anima, quam in corpore necessario dicit aliquod diuersum principium, quod sit defectuosum; hoc autem non potest conuenire Deo; imo neque per se potest conuenire alicui causæ naturali. Adest pulchra sententia sancti Augustini lib. de Perfectione iustitiæ contra Celestium cap. 2. Quærebat Celestius an peccatum esset res aliqua, aut actus? Respondet Augustinus: *Peccatum quidem actum dici, non rem, sed etiam in corpore claudicatio eadem ratione actus est; non res, quoniam res, pes ipse, vel corpus, vel homo est, qui pede vitiato claudicat, nec tamen potest vitare claudicationem, nisi habeat sanatum pedem; quod etiam in interiori homine fieri potest, sed gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum: ipsum sane vitium quo claudicat homo, nec pes est, nec corpus, nec homo, nec ipsa claudicatio, quæ vtique non est, quando non ambulat, cum tamen insit vitium quo fit claudicatio, quando ambulat. Quærat ergo quod eidem vitio nomen imponat, vtrum rem velit dicere, an actum, an rei potius qualitatem malam, qua deformis actus existit. Sic & in homine interiori animus res est rapina actus est, auaritia vitiũ est, idest qualitas secundũ quã malus est animus, etiã quãdo nihil agit, & tamen auarus manet, sed per Fidẽ renouatur*

August.

tur, id est sanatur de die in diem, nec tamen nisi gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Hæc Augusti. Ex qua subtilitate ellicimus (quod in lib. de morbo, & sint hom. ex professo agitabimus) neque Deum, neque potentiam motiuam esse causam claudicationis, prout dicit defectum, sed solum ipse morbus qui defectus est, vnde qui dicunt peccatum comissionis consistere impositiuo, debent asserere non posse à Deo causari. Quis audeat dicere à summa iustitia in iustitiam effuere. Quod grauiter docebat S. Prosper. Aquit. in responsion. ad obiectiones Vincentianas. Resp. 2. fol. 337. his verbis: *Nimis ergo impius, & indoctus est, qui vitium naturæ non discernit ab autore naturæ: à quo prorsus alienum est, quidquid in vnoquoque damnandum est.*

S. Prosp.

Prudent. Prudentius in Hamartigenia.

Nil luteum de fonte fluit, nec turbidus humor
Nascitur aut primæ violatur origine venæ
Sed dum, liuentes licor incorruptus arenas
Perlambit, putrefacta inter contagia sordet.

Idem nunc dicendum de morbo corporis; si enim malum est, si deformitas, si corruptio naturæ (quam integram, & pulcherrimam condidit author) quorsum à fonte totius perfectionis tanta imperfectio poterat emanare, ergo Deus nō est causa morbi. Quærenda est alia, vt dicit Prudentius.

His tamen non obstantibus existimamus, quod licet Deus non sit causa morborum animi. multoties tamen de facto efficit perturbationes, affectus, & passiones in animo.

Augustin. Hæc assertio est sancti August. lib. 1. de libero arb. cap. 1. cuius verba, quia tāti momenti sunt ad præsentis negotij discutionem proponenda duxi, *Euodius. Dic mihi, quæso te, vtrū Deus non sit autor mali? Augustin. Dicam, si planum feceris de quo malo quæras. Duobus enim modis solemus appellare malum, vno cum male quenq; fecisse dicimus: alio cum mali aliquid esse perpessum. Euodius. De vtroque scire cupio. August. At si Deum bonum esse nosti, vel credis, neque aliter fas est, malum non facit; Rursus si Deū iustum fatemur, nam & hoc negare sacrilegum est, vt bonis præmia, ita supplitia malis tribuit; quæ vtique supplitia patientibus mala sunt. Quamobrem, si nemo iniuste pœnas luit, quod necesse est credamus, quandoquidem Diuina prouidentia hoc vniuersum regi credimus. Illius primi generis malorū nullo modo; huius autem secundi author est Deus, &c.* Hæc August. Quis ergo audeat dicere plures morbos à Deo non immiti, vt supplitia peccatorū, quod iterum eleganter referendum est ex eodem sancto Augustin. quem non solū vt sanctū Patrem soleo citare in meis operibus, sed vt lumen totius Philosophiæ. Cum igitur hæc nostra assertio non solū sit communis Christianis, sed Ethenicis & Hipp. quem interpretamur, auscultemus Augustin. lib. contra Adimantum c. 26. ad illa verba, Amos 3. *Non est malum in ciuitate, quod Deus non fecerit, Sic ait, Malum hoc loco non peccatum, sed pœna intelligenda est. Dupliciter enim appellatur malum, vnum quod homo facit, alterum, quod patitur pœna. De pœnis ergo loquebatur Propheta, cum hoc diceret. Diuina enim prouidentia cuncta gubernante, & moderante, ita homo malefecit quod vult, vt male patiatur, quod non vult.* Hæc Augustin. Nomine autem passionis intelligo nō solum morbos corporis, sed plures animi passiones, & affectus, quales sunt tristitiæ, merores animi, angustię, quib⁹ Deus solet hominem exercere. Ita audio Senecam lib. de Prouidētia. Locus illustris ad nostram conclusionem. Calamitas virtutis occasio est. Illos merito quis dixerit miseros, qui nimia felicitate torpescunt, quos velut in mari leto trāquilitas iners detinet. Quidquid illis inciderit nouū veniet, magis vrgent sęua inexpertos. Graue est teneræ ceruici iugū; ad suspitionē vulneris tiro pallescit: audaciter veteranus cruorem suum spectat, qui scit se sæpe vicisse post sanguinem. Hos itaque

August.

Seneca.

K Deus

" Deus quos probat, quos amat, indurat, " recognoſcit, exercet. Eos autẽ quibus in" dulgere videtur, quibus parcere, molles " venturis malis ſeruat: erratis enim, ſi quẽ " iudicatis exceptum. Veniet ad illum " diu felicem ſua portio. Quiſquis vide" tur dimiſſus eſſe, dilatus eſt. Quare Deus " optimũ quemq; aut mala valetudine, aut " malis incommodis afficit? Quare in ca" ſtris quoq; periculoſa fortiſsimis impe" rãtur? Dux lectiſsimos mittit, qui noctur" nis hoſtes agrediãtur inſidijs, aut explo" rent iter, aut præſidium loco deiiciant. " Nemo eorum, qui exeunt, dicit, male " de me Imperator meruit, ſed bene iudi" cauit. idem dicant quicunq; iuuentur pa" ti timidis ignauiſque flebilia: digni viſi " ſumus Deo in quibus experiretur, quãtũ " humana natura poſſet pati. Hęc Seneca. "

Itaque, & animum, & corpus probat, & exercet Deus laboribus, & morbis, nõ peccatis: tamen oportet noſtram concluſionem ex Hipp. oſtendere.

Ex Hippocrate oſtẽditur à Deo morbos multoties immiti, C. V.

Hippoc. HIppoc. lib. de morbis mulierum nũmen dicit eſſe cauſam. Quem locũ late agitaui contra Mercurial. in noſtra Hippocratica Philoſophia text. 74. & licet ibi interpretor de anima rationali: multi alij eruditiſsimi intelligunt Deum dici autorem morborum. Sed Hipp. dicta, licet vnico modo claudantur, pluribus adaperiuntur. Recte poteſt textus interpretari de Deo Opt. Max. numen ideſt Deum cauſam eſſe, nam paulo poſt ait; oportet autem illum, qui hæc recte tractare voluerit, primum à Dijs ordiri poſtea vero naturas tractare.

Hippoc. Et lib. de inſomnis Deum placare conſulit, vt corporis ceſſet perturbatio. Locus elegans. Inquit: *Si inſomnia diurnis actionibus aduerſentur, ita vt inter ſe non conueniant, hoc ipſum ſi contingerit turbationemcorporis ſignificat. Vtrum autem iſtæ actiones ſint aberuncandæ, necne non eſt inſtituti mei iudicare, ſed tantum corpus curari conſulo, &c.* Tandem Hipp. curationem inſtituit, vomitum concitat, plenitudinem deponit, & concludit, dicens, *& Dijs ſupplicet, & turbatio ceſſabit*. Ecce cognoſcit Deum morbi, & ſalutis autorem; vbi notare licet, quod Hipp. non aliorum profeſsionem, aut munus vſurpat, neque notat dogmata ad artem non pertinentia. Dicebant quidam ſomniorum interpretes, quod quotieſcunque aliquis ſomniat rem contrariam actioni quam per diem exercuit; tunc debet deſerere inceptum opus, quamuis laudabile ſit. Dæmonica fallatia! Ob id Hipp. dicit, *Ego non diſputo. Vtrum illæ actiones diurnæ ſint auertendæ* (videns eſſe impiũ præceptũ, ſi vniuerſale ſit) *ſed dico eſſe placãdum Deum*, vtpote, quod aliquid portẽdat ſomnium, quod ex parte corporis animum debeat perturbare. Ergo in aliquibus conſiderat Hipp. Deum tanquã ſupremam cauſam morbi, & ſanitatis. Hippoc. Hippoc. Hipp oc.

Tertio in eodem lib. de inſomnijs inquit, *Si quis à Deo aliquid purum accipere ſomniat, bonum ſignum eſt ſanitatis*, & paulo poſt. *Oportet autem in rebus ſecũdis quoſdam Deos, in aduerſis alios ſupplicare.*

Quarto in lib. de Elegantia, elegãter demonſtrat prouidentiam Dei in morbis, & eorum curatione.

Vltimo. Communis, & recepta opinio fuit apud antiquos, peſtem à Deo cauſari, vt ait Galen. 1. Epid. comment. 1. quo modo ergo noſter Præceptor in hoc lib. intendit Deos nõ eſſe cauſam morborũ? Patebit hoc inſolutione obiectionum. Galen.

Obiectiones propoſitæ diſſoluuntur. Cap. VI.

NÕ obſtat quod primo loco obijciebamus, nã cũ dicit Hip. Deũ eſſe noſtrã liberationẽ, & purificationẽ humanæ naturæ altiſsime loquitur; non negat eſſe morborũ cauſã, imo nos purificat laboribus, & morbis tanquam medicamentis. Eſt igitur liberator noſter, & purificat ſan-

sanctis legibus, & disciplinis, quod si hæc non prosunt, supplitijs vtitur tanquam summe iustus. Inter supplitia morbos, pestes, langores, mortes enumerari quis dubitat? Quando ergo arguit Hippocrates contra Magos dicens, quod Deus non sit causa morborum, loquitur secundum præsens institutum, illi dicebant Deum solum, sine alia causa autorem Epilepsiæ, neq; vllis medicamentis esse vtendum. Arguit Hipp. Deus est hominum salus, si ergo mortificat, non est, nisi vt viuificet, & morbum morbo sanat, vt facimus quando inducto igne, aut ferro alium morbum depellimus. Magi dicebant, causant Dij Epilepsiam, sed non sanant, nisi nostris incantationibus. Hanc absurdam insolentiam extirpat insinuans, quod cum Deus hominum sit Parens, & refugium, ab eo debemus spectare medelam, & hoc insinuant illa verba text. *Vtique cupit, & petit ægrotus à Deo purificari.* Si Diuinus morbus est, solus Deus curet, non vana incantatio. Curat vero Deus duplici modo. Primo sine interuentu causarum istarum naturaliũ. Secundo adhibitis medicamentis, quæ manus Dei appellabantur à Galeno, Hippoc. ergo quamuis fateatur locis supra cit. morbos à Deo, curat duplici medio, oratione ad Deum, & medicamentorũ adhibitione, vt Deus ipse per istã sua ordinata media causalitatem extendat.

Reliquę vero sententiæ Platonis, & reliquorum iuxta sententias Diui Augusti ni supra adductas intelligendæ sunt.

Sed illa replica scholastica, aut metaphisica petit solutionem. Pro qua notandum (quod supra insinuauimus. Malum posse causari dupliciter. Primò ex vi actiuitatis causæ proximæ, & perfectionis illius. Secundo ex defectu, & carẽtia quæ reperitur in causa, aut in illius actione (loquimur de malo naturali, non de morbo animi) dicimus quod Deus potest esse causa mali naturalis. Primo producendo aliquid nobis noxium, & præternaturam, concurrendo cũ causis prẹternaturam, dans illis vim, & efficatiam, vt nos afficiant. Secundo suspendẽdo influxũ quo nostram sanitatem causæ naturales conseruãt. primo modo accomodat se Deus causæ secũdę, aut vt melius dicam cum causa secunda non possit aliter causare malum, nisi consequenter, & per accidens, quia alio modo non potest fieri id quod priuatiuum est, codẽ modo concurrit Deus non directe, & per se intendẽs malũ; hoc est phisice loquẽdo; nã Deus in quantum est agens intellectuale bene potest intendere tale malũ propter aliquod bonũ, quod malũ medicinale nominamus, & non solum Deus potest causare illud medijs causis secũdis, sed se sole; quod patet, nã cũ tale malũ resultet ex vi & efficatia alicuius positiui expellentis aliud, & Deo debeat tribui omne quod est perfectio, virtus, & efficatia, participata in causis secundis, sequitur quod qui dat virtutẽ alijs causis ad agendũ, se solo poterit agere. At vero malũ præcise prout est carẽtia, dicens etiã imperfectionẽ, priuationẽ, aut malitiam in causa proxima, neutiquã potest causari à Deo, quia causam aliquã deficere à sua perfectione non potest haberi, aut participari à Deo neq; Deus præcise cũ causa vt deficiens est, concurrit: nã Deus non influit, neq; concurrit, nisi cũ causa secunda, & cum omnibus illis viribus quas causa participat à Deo; at vero defectus, priuationes, & imperfectiones neutiquã causam habent à Deo, sed à ab alia, ergo Deus non concurrit ad similes defectus, in hoc conueniũt malũ naturæ, & malum culpæ: de malo culpæ certũ est; certũ etiam est de malo naturæ, nã claudicatio vt sic, vt est malum actionis proueniens ex defectu principij motiui, etiã non est à Deo, vt docet D. Th. 1. p. q. 49. art. 2. his verbis. D. Thom.

Ad secundum dicendũ, quod effectus causæ secundæ deficientis reducitur in causam primã non deficientẽ, quantũ ad id quod habet entitatis, & perfectionis, non autẽ quãtũ ad id quod habet de defectu. Sicut quidquid est motus in claudicatione, causatur à virtute motiua; sed quod est obliquitatis in ea, non est ex virtute motiua, sed ex curuitate cruris. Similiter quidquid est entitatis, & actionis in actione mala, reducitur in Deum si-

cut in causam: sed quod est ibi defectus non causatur à Deo, sed ex causa secunda deficiente.

Alio modo potest Deus causare morbos se solo, suspendendo influxũ quo cõcurrit ad conseruandam sanitatem: deficiente autem sanitate, necessarium est, vt viuens sit morbosum per purã, & meram priuationem bonitatis, sibi debitæ. Quod facit Deus, modo dicto, aut suspendendo concursum quo causæ secundæ efficiunt sanitatem. Deus ergo morborum causa existit prædictis modis.

De secundo Diuino in morbis, idest de intelligentijs, C. VII.

SVpponendum est, intelligentias esse contra stupidos, qui solum res corporales cognoscunt; lumine enim naturæ antiqui id testatum reliquerunt, & inter eos Arist. efficaciter ostendit. Aliqui vero nostri temporis existimant probari quidem, & suaderi lumine naturæ, sed non demonstratiue. Lumine tamen fidei, & Sacræ Scripturæ constare esse substantias separatas ab omni corpore alienas; certè ab instituto lib. nostri discederem, si momenta rationum Arist. perpenderem, & quid antiquitas Gentilitia senserit, tamen propter quosdam errores Cardani, & sequatium pauca, sed necessaria dicam.

Quod existant in vniuerso intelligentiæ ostenditur ex effectibus admirandis, quos videmus in arreptitijs, nã facta inductione non possunt tribui alicui causæ naturali, ergo reducendi sunt ad causam aliquam diuinam, hæc autem non est Deus, vt per se patet, & omnes concedunt, ergo aliqua intelligentia mouet ad tam mirabiles effectus. Nam arreptitij solent loqui linguis omnino incognitis, & præterea curantur medijs diuinis à Deo Opt. Max. suscepta virtute, ergo aliqua mala intelligentia est, quæ tales effectus producat. Secundo, quia adiurationes, & comminationes ad rem viuam diriguntur, scilicet ad intelligentiam, non ad inanimatam.

Vnde doleo quod Carda. in tam stolidum errorem inciderit, putans non esse intelligentias sed morbos, & prauos humores, & intẽperies, quæ tam mirabiles effectus causant. Secutus est ignorantiã quorundam, qui dicebant non esse intelligentias, quæ in hominibus causant illos effectus, sed bonos, aut malos affect. & ex consequenti non esse substantias, sed accidẽtia. Tales fuere Gnostici apud Plotinum Enead 2. lib 9. c. 14. & aliqui Platonici, quos refert Viues. 9. de ciuit. Dei cap. 11. *Cardanus* *Plotinus.* *Viues.*

Hæc tamen opinio (si opinio potest dici) omni veritate caret, nam omnia ista accidentia, aut humores, aut affectus animi, eo se possunt extendere, vt morbos procreent in corpore, & perturbationẽ in animo, aut malos mores. Tamen impossibile est, quod faciant hominem loqui Græcè, aut Germanicè, qui nũquam tales didicit linguarũ locutiones, quia tales affectus habẽt suos terminos, quos trãscendere non valent, vt ignis non potest frigefacere; ita omnes causæ quæ referũtur, valent ad alterandum, non tamen est possibile naturaliter, vt faciãt hominem loqui linguis incognitis, vt falso putat Cardan. quod autem iste effectus mirabilis appareat in arreptitijs præter ea, quæ vidimus, refert Fernel. li. 2. de abditis rerũ causis, & Pselus lib. de Dęmonib. *Fernel.* *Pselus.*

DESTRVITVR.
Error Leuini Lemnij, C. VIII.

NEq; solum Cardan. impie opinatur, sed Leuinius lib. 2. de ocultis naturæ miraculis cap. 2. dicit locutiones linguarum non esse ab intelligentia, sed ex vi humoris melancholi, qui taliter afficit, vt anima recuperet, quæ habebat. Nam ait cum Platone scire nostrũ esse, quoddã reminisci atq; ita nouas, & inauditas nationum locutiones sciri multo ante ab anima, talemq; esse tunc corporis affectum à melancholia, vt exeant in actum omnia illa, quæ recondita erãt in intellectu. Leuinius potuit tanti erroris *Leuin.* *Lemn.*

Areteus. ris occasionẽ inuenire in Areteo lib. 1. diuturnorũ affectuũ, c.6. omnia tamen sunt falsa; nam intellectus noster, vt naturaliter intelligat, debet phantasmata cõtemplari, hæc autẽ ministrantur à sensibus, & ita non habet congenitas sciẽtias sed labore acquisitas, vt docuit Arist. 1. Post cap. 1. *Arist.*

Sed concedamus gratis Platonicis sciẽtias non acquiri de nouo, sed esse latẽtes in anima. Hoc tamen non concludit, vt idẽ intelligendum sit de linguis incognitis gentiũ, quæ vtũtur ad placitũ vocabulis, & nominibus: ergo cum nomina sint quid extrinsecum, & dependeant ab hominũ impositione, necessariũ est (naturaliter) vt nõ posit aliquis loqui Græce, nisi didicerit linguam Græcã, & recipiat de nouo speties, quas nunquam habuit in anima, atq; hoc ita verũ est, vt licet Plato congenitas dixerit esse scientias, non tamen potuimus inuenire in eius libris, quod dixerit locutiones incognitas esse natiuas: ergo quisquis dixerit ignotũ sermonem esse effectum humoris, aut alicuius causæ corporalis, falsa omnino profitetur. Et tandem ostendo, nam nõ possum naturaliter habere speties internas quas non suscepi ab externis, ergo speties, & nomina Germanica, aut Græca, mihi omnino ignota, non possum habere, nisi addiscendo. Ego quidem confingo montem aureum, quia licet non sit mons aureus, vidi tamen aliquando mõtem, & vidi aurum, fingo ergo montem aureum; sed si nunquam haberem spetiem montis, neq; auri, impossibile esset fingere montem aureũ: idem dico de locutione linguæ ignotæ, quæ non est possibilis naturaliter, nisi concurrat aliqua causa diuina.

Secundo fallitur Lebinius, quia supponit, tales homines affectos, loqui quæ intelligant. Hoc reijcio, vt falsum, nam ignorant prorsus quid loquantur, sed solũ sentiunt motum localem linguæ, tamen nec verba percipiunt, nec significatum, id elegãter docuit, vt solet S. Thom. 2. 2. q. 116. art. 2. ad 4. agens de serpente seducente primos Parentes, inquit, *Neque serpens intelligebat verborum sonos, qui ex illo fiebant ad mulierem. Neq; enim cõuersa credenda est anima eius in naturam rationalem: Quandoquidem nec ipsi homines quorum rationalis natura est, cum Dæmon in eis loquitur, sciunt quid loquantur. Sic ergo locutus est serpens homini, sicut asina in qua sedebat Balaam Propheta locuta est homini, nisi quod illud fuit opus diabolicum, hoc Angelicum, &c.* Et præter S. Thom. satis constat, quod nõ possum intelligere, quę non concipio mente, cum igitur illa motio linguæ solũ sit motio localis, & non ad exprimendum conceptum hominis, non est possibile quod dicit Lebinius. Quare cęcus à natiuitate non indicat, neq; imaginatione versatur circa colores? Quia nunquam habuit species colorũ, neq; intelligentia potest ponere colorum speties in cæco, vt etiã docet S. Th. loco citato ad 2. nam licet posit facere visiones imaginarias, non tamẽ valet imprimere speties, quæ nunquã fuerunt. Ergo non est possibile, vt ab humore melãcholico fiat talis dispositio, vt loquatur homo idiomate ignoto. Videtur argumentũ à fortiori, si intelligentia non valet imprimere species, quæ nunquã fuerunt perceptæ, ergo neq; humor melancholicus. Quomodo autem fiat visiones imaginariæ ab intelligentia non est huius loci, docet tamen S. Th. loco citato, & ibi Caietanus. *S. Thom.* *S. Thom.* *Caiet.*

S. Thom.

Ergo ex prędictis satis constat esse aliquam naturam nobis superiorẽ, quæ prodigia talia producat, quæ alteri causę naturali non possunt tribui. Sed ad præsentes dubitationes obiter notandũ est. Omnes istos effectus intelligentiarũ, de quibus loquimur esse mirabiles ex accidẽti non verò proprie & per se; magnum discrimen versatur. Effectus Dęmonis sunt mirabiles apud populũ indoctũ, qui nõ habet cognitionem causarũ, & facile seducitur; tamen docti non admirantur, nisi ab his quę sunt admirabilia per se, qualia sunt miracola, quæ à diuina potentia proficiscuntur, & ob id dicebat

Regius Propheta de Deo, *Qui facis mirabilia solus*. Vnde male aliqui loquuntur, quando dicunt est mirum, ergo miraculum. Hæc adnotatio ad hunc tractatum necessaria videtur.

Possem autem probare existentiam intelligentiarum antiquissimorum Ethnicorum autoritate, vt mirer quomodo Athæi, & Saducæi, non aperuerint oculos, sed qui voluntate deprauata viuūt, oculos habent, & non vident, aures habent, & non audiunt. Nunc in medio luminis Sacræ Scripturæ, confirmamus quæ ab antiquis Gentilibus de substantijs separatis lecta suscepimus. Nam sacra pagina multoties intelligentias proponit inferiores quidem Deo, superiores vero homine, quantum ad naturæ gradum, Matthei 18. Psal. 90. Math. 4. 2. Petr. 2. & Iob 41. & Zachariæ 1. quibus locis, & alijs multis constat intelligentias, siue Angelos esse in rerum natura: ita eleganter colligo ex S. August. tractat. 110. in Ioannem, Theodoret. lib. 3. contra Græc. Cyprian. lib. de vanitat. idol. At Gentiles Philosophos (quos nec legere volunt Athæi) refert Lactantius lib. 2. diuinar institut. c. 15.

Matth. Petrus. Iob. Zachar. August. Theodor. Cyprian. Lactant.

Quod Hipp. in hoc lib. non negauit Dæmones, vt aliqui putant. Quin & Engastrimythos primus cognouit. Locus singularis.
Cap. IX.

NOster liber de morbo Sacro (quia non recte illustratus legitur ab aliquibus) occasio fuit, vt crederent Hippocratem existimasse nullos esse Dæmones, aut intelligentias. Probant, quia totus est in euertẽdis incantatorib⁹ adducens rationes ad ostendendum morbos non fieri à Dæmone, ergo ex hoc libro potius colligitur putasse non esse tales substantias. Futilis ratio, nam Hipp. nil agit in hoc lib. de hoc pũcto: sed reiicit illos, qui dicebant morbũ Comitialẽ diuinitus inferri: At vero non dicit, an aliquo modo laborẽt arreptitij, aut à Dęmone vexentur, quia de hoc agere non pertinebat ad institutũ; nã Magi, cũ quibus disputat ad Deum referebant, vel ad Deos morbum, sed nil de arreptitijs: Quin potius fatetur distinctionẽ inter Deũ & Dæmonẽ, ait. *Proponentes lustrationes, ac purificationes, cũ verba ipsorũ magna ex parte se ad Deum, ac Dæmoniũ extendant*. Itaq; Hipp. non est de illis qui intelligentias negant, quos late refutat Lenseus li. 2. de libertat. Christiana, c. 10

Lenseus.

Est vero eruditis dignũ, quod Hipp. primus ex Gẽtilitio Engastrimythos scriptis mandauit, nã lib. 5. epidem. tex. 19. vxorẽ Polemarchi proponit quibusdam affectibus oppressã, sed vẽtriloquã fuisse. Cuius verba inferius adscribã. Sed primo sciendũ est, qui sint Engastrimythi: Hermolaus Barbar⁹ putauit Engastrimythos esse Engastromantes, qui vaticinãtur in peluibus, siue vasis aquaplenis; nõ alia ratione, nisi quia gaster, apud Græcos quoddã genus vasis est, & gaster cũ Engastrimytho, affinitatẽ aliquã habet. Sed displicet ista opinio, quia licet illa sit affinitas inter vocabula, tamen (vt infra dicã) vasa interna corporis humani, seu cauitates, ventres dicuntur à Græcis, & per antonomasiã venter inferior (quia magnũ vas est) talis dicitur. Ergo melius diceret Hermol. qui vaticinatur per ventrẽ, nõ per peluim; pręcipue cũ grauissimæ autoritates adsint, vt existimem⁹ Engastrimythos, esse Pythones, qui loquebãtur per vẽtrẽ, vbi voces articulabãtur obscuræ, cõfusę, & prætenues; licet aliquando in partib⁹ pectoris, sed omnes clauso ore, & ob id ventriloqui appellati, à Decretis Canonicis, causa 26. q. 3. Et à Septuaginta Interpret. Hebraicè verò *oboth*, id est vtres; quia per ventrem, quasi per vtrẽ vaticinabantur: ita D. August. lib. 2. de Doctrina Christiana, c. 23 Fœminã illã Pythonisã, quæ clamabat post D. Paul. in actib. Apost. 16. vẽtriloquã appellat, his verbis. *Nõ enim quoniã imago Samuelis mortui, Sauli Regi verapronũciauit, propterea talia sacrilegia quib⁹ imago illa*

Engastrimithi. Hermola. Decret. Canonic. Septuag. Interpret. D. Aug.

illa præsentata est, minus execranda sunt, quoniam in actibus Apostol. ventriloqua fœmina verum testimonium perhibuit Apostolis Domini: ideo Paulus Apost. pepercit illi spiritui, ac non potius fœminam illius Dæmonij correptione, atque excussione mundauit. Omnes igitur artes huiusmodi, vel nugatoriæ, vel noxiæ superstitionis, ex quadam pestifera sotietate hominum, & Dæmonum, quasi pacta infidelis, & dolosæ amicitiæ constituta, pœnitus sunt repudianda, & fugienda Christiano.

Euricles primus Athenis, ab hoc Dæmone possessus, vaticinatus est ex fundo ventris, vt refert Aristophanes in Vespis. *Aristoph.*

Sed antequam ad nostrum Hipp. accedam, historiam referam mirabilẽ, verbis ipsius Autoris, qui testis ocularis fuit. Inquit Cælius Rodig. *Testatum volumus tẽpestate hac, imo vero hac prodente me, fuisse in patria mea mulierculam humili loco, Iacobam nomine, ex cuius ventre immundi spiritus vocem prætenuem quidem sed tamen vbi vellet, dearticulatam, & prorsus intelligibilem, audiui ipse, verũ, & innumeri alij, nõ Rhodigij modo, sed & tota fere Italia: Quãdo futuri auida potentum mens sæpe accersitam ventriloquam, ac omni exutam amictu, nequid fraudis occultæ lateret, inspectare, ac audire concupiuit. Cincinnatulus Dæmoni nomen erat. Hac ille appellatione gestiens in clamanti subinde respondebat. Si de præteritis, aut præsentibus scitareris, quæ reconditissima forent, responsa dabat sæpe mirifica. Si de futuris semper mẽdacissimus. Sed & inscitiã suã nõnunquã murmure incerto, vel bõbo verius ignorabili reticebat. Hosce ego pro prædictos Engastrimythos puto, id est, vẽtriloquos, quamquam eo nomine apud Græcos intelligi simpliciter videntur, qui Dæmonis afflatu aliquid præsagirent.* *Cæl. Rodig.*

Nunc Leo Allatius vir eruditiss. particulare opus de Engastrimythis cõposuit & antiquum librum Eustachij de eadem re contra originẽ illustrauit. Plutarchus etiam in opusc. de oraculorum defectu huius rei mirãdæ mentionem fecit. Sed audiamus Hipp. verba ex loco supra cit. *Vxori Polemarchi per Hyemem angina laboranti guttur intumuit, cum multa febre, & sanguis missus est, faucium suffocatio desiit, febris perseuerabat. Sub quintumdiem tumor, ad leuum genu cum dolore subortus est, eique ad cordis regionem quidam coaceruari videbatur, ac respirabat velut qui in aquam demersi sunt, respirare solent, & ex pectore strepitus quidam edebatur, idemque contingebat quod fatidicis mulieribus, quæ Pythone afflatæ, quod ventre oracula fundunt, Engastrimythi, hoc est ventriloquæ dicuntur: Circiter septimum, aut nonum diem sub noctem aluus affatim prorupit, & liquida multa, quæ praua existimabantur, demisit. Ipsa verò tandem voce defecta mortua est.* In explicatione huius textus, Vallesius dicit se nescire, qui essent qui loquerẽtur per ventrẽ (certe more Magnorũ virorum, qui nihil sibi detrahunt, quando humilitatis exhibent exempla) Sed miror quod citet Cælium Rodig. & illum non legerit, pro intelligentia Hipp. qui clare dicit, quales fuerint Engastrimythi, ex mente antiquitatis. *Leo Allat.* *Plutarch.* *Hippoc.*

Sed ego etiam dico me prorsus ignorare, quid dicat Vallesius. Eius verba sunt. *Qui loquerentur ex ventre non satis scio qui essent, Celius Rhodiginius dicit ita appellatos quosdam, quibus in ventre Dæmon esset aliquis, interrogantibus responsa tribuens, qui dicebantur Pythonem habere in ventre. Fortasse citra Dæmonem, sint qui mugitu, quem clauso ore reddant, voces quasdam non sane distinctas imitentur: vtcumque hoc habeat, quod hic dicitur est strepitum quemdam in huius mulieris ventre sentiri, quod quidem fecerit aer qui intra asperas arterias ab humore coercebatur.* *Vallesius.*

Dicat nobis aliquis pro Vallesio, an mugitus (clauso ore) sint voces articulatæ? Si aduertis distinctionem inter mugitum, & loquelam, clare videbis difficultatem in dictis Vallesij, siquidem ait Hipp. (vt vertit Foesius) *idemq; contingere quod fatidicis mulieribus, quæ Pythone afflatæ, quod ventre oracula fundunt, Engastrimythi, hoc est ventriloquæ dicuntur.* Ergo Hipp. aperte dixit non mugitũ obscurũ sine dearticulatione, sed loquelã

ore clauso ex ventre illius ægrotę audiri. Hoc autem nisi à Dæmone fieri non potest. Nam si coerceatur aer ab humore, sonus aliquis causari potest; sed dearticulatus neutiquam, nisi accedat Dæmonis industria.

Et quod hæc fuerit expressa mens Hippoc. facile colligitur. Nam millies, in alijs locis, motus ventris commemorat, qui auditu percipiuntur, vt quando dicit, murmurare ventrem, hippocondria suspensa, strepitus ventris, &c.

Sed tam ex professo, voces fatidicas, & loquelas Pythonis memorari, signum est certissimum, intellexisse ventriloquas de quibus loquimur. Neque debilis confirmatio est, quæ sumitur ex Foe- *Foes.*
sio, & Leone Allatio, qui nostræ cogitationi consentiunt. *Leo. Allat*

Obiect. Quod si nobis obijcias verba istius mulieris, non ex ventre, sed ex pectore audiri. *Resp.* Respondeo vt supra; apud antiquos, & præcipue Hippoc. internas cauitates dici ventres. Nam thoracem, & ventriculum, & tenuia intestina, superiores ventres appellant, interdum intestinum Colon inferiorem ventrē dicūt Vide 4. acutor, fol. 112. & lib. de affectionibus. & 2. Prognos. text. 13. Tandem Aphoris. Vētres Hyeme, & Vere calidissimi sunt. Ego sic intelligo, vt non solum ventriculum [in quo cibi primo mutantur) intelligamus, sed etiam ventriculos cordis, cerebri, hepatis; cauitatem venarū, & arteriarū vias, pulmones, mulieris vterum, vesicam fellis, & lotij, in quibus, aut sanguis, aut spiritus, aut alimentum elaboratur, & perficitur: quin etiā, & excrementa debito tempore, ad debitam pepansim, & alios vsus detinentur. Igitur apud Hipp. illa mulier, quæ clauso ore, ex thorace loqui videbatur, merito ventriloqua dicta est. Istā explicationem videbis sup. text. 35. vbi de ventre egit Hipp.

Sed silentio nō est prætereundū, quod hoc tē pore (hæc me scribente.) visa est ventriloquā; à plurimis fidedignissimis Hispali, & audita.

Sed aliquanto operosius est, decernere de spiritualitate intelligentiarū. Ego nisi breuiter hæc attingerem, non auderem, ab instituto discedere, quia alia spectant. Tamen cum Magi, vt constat in hoc libro aliquibus instrumentis vtantur Magicis, quibus videntur agere cum aliqua corporea diuinitate, & non spirituali; ideo non abs re erit id sumatim attingere, si prius diuidam in bonas, & malas; omnes enim possunt esse causæ morborum.

Intelligentias alias esse bonas, alias malas, Cap. X.

Notādum primo hāc vocē Dęmō, vsurpari in bonam partem, apud Ethnicos; nam Plato in Cratilo, Dæmonem, idest scientem, intelligit. Quæ sig- *Plato.*
nificatio sic generaliter sumpta placuit Lactantio 2. institut. cap. 15. & D. Au- *Lactant.*
gust. lib. de Ciuitat. Dei c. 20. Macrob. *D. August.*
1. Saturn. cap. 23. Tamen iam non solū *Macrob.*
scientes creaturas vniuersaliter dicimus sed in malā partē vtimur hoc nomine, & per Dæmones intelligimus substantias intellectuales pęnis. & malis obstrictas: ita Euseb. 4 de Præparat Euang. cap. 3. *Euseb.*
Eugubin. VIII. perem Philos. cap. 19. *Eugub.*
& communiter Patres, & Sacra Scriptura. Vnde quamuis Apuleius Platoni- *Apuleius.*
cus inscripserit librū de Deo Socratis, *Platonic.*
tamen vt aduertit S. August. 8. de Ciui- *D. August.*
tat Dei cap. 14. iuxta Platonicam doctrinam, nō debuerat inscribere de Deo, sed de Dæmone Socratis. Sed cum iam sana illucesceret Philosophia, & videret Apuleius mundum exhorrere, & pertimescere nomen Dæmonis, tanquam malum, noluit dicere de Dæmone Socratis, sed de Deo, ne stultus stimaretur ab hominibus, aut liber ab optimis Philosophis desereretur. Tempore etiam Tertuliani, nō solum Catholici, sed Gētiles nomine Dæmonis intelligebant damnatam, inimicam, & prauam aliquā creaturā, ita vt impios homines, Dæmones appellarent: colligitur ex Tertul. lib.

Tertul. lib de testimon.animæ cap.3.& in Apolog.cap.22.

Plures Autores legi asserentes Aristotelem non cognouisse, nec admisisse Dæmones malos, tamen contra illos illustris locus mihi sufficit pro multis: Clemen. Alexand. Nam Clemens Alexandrin.1.Stromat. cap.12.circa finem,adducit locum Philosophi, vbi refert annulos incantatos, quibus vtebatur Execestus tyranus,idem sentit Eugubinus 8.Perem.phil.cap.26. Eugubin. Scalig. Aug. Niphas. Scaliger, exerc.355. Augustin.Niphas lib.de Dęmone. Relinquo miserum Alexandrum lib.5.Metaph. ad text.15. à sententia Peripatetica discedentem, negantemque malos Dæmones,quę stoliditas, etiam tentauit Cardanum, Alexan. Card. quem supra refutaui,qui dicit lib.19,de subtilitate, se illa dicere,non vt Christianus, sed vt Philosophus.Prohoc dolor! Quis vnquam ita cœcus,vt philosophiam dicat contrariam veritati Christianæ?imo vt ego semper prædicaui,omnes veritates philosophicas perficit, & eleuat lumen Catholicum,non est contra Philosophiam,sed supra illam.Satis sit dicere omnes qui negant Dæmones damnatos,iam ad Atheismum accedere; nam qui negant Dæmones diuini supplicij ministros,& pœnas ęternas patientes, infernum negant. Quid autem est hoc nisi de vna brutali hæresi in aliam deuenire? Alexander,Cardanus,& Pomponatius,nec nominentur in nostris scriptis.

Sed vt confundamus istum errorem, ab antiquissimo Homero deducamus lapsum Dæmonum è cœlo, vt erubescant iam Autores prædicti,& illorum sequaces. Iustin.Philosoph. Audiamus Iustinum Philosophum,& Martyrem in exhortatione ad Græcos,vbi ostendit quam plura accepisse Homerum,ex primo Propheta Mose,& accedens ad declarandum Dæmonum lapsum,ita ait (in meo Iustino fol. 31.) *Item de proiecto de cœlis hoste humani generis, quem diabolum vocant Sacræ literæ propter calumnia petitum primum hominem. Consideret diligenter,qui volet, inueniet Poëtam,quamuis nusquam nominet diabolum,fingere tamen ei nomen ab ipsius studio sceleratissimo. Atem enim nominans,ait à suo Deo præcipitatum de cœlo, videlicet memor quid Isaias Propheta de hoc scripserit. Carmen sic habet.*

Statim prehendit Atem pinguem capillos,
Indignans animo suo,iurauitque seuerum
Ius iurandum,
Nunquam se in Olympum stellatumque cælum
Rursus accepturum Atem,quæ omnes lædit.
Sic fatus deiecit eam de cœlo stellato,
Manu circumuersam: atque eo protinus adiuit.
Hominum opera.

Videant insipientes in Homero,quę noluerunt videre in sacris literis à quibus Homerus fęliciter excepit. Igitur sunt intelligentiæ malæ. Diuisionem autem in bonas,& malas exacte legimus, apud D.Thomam ex mente Platonis,opus. 15.apud Eusebium lib.4. de præparat. Euang.cap.3.apud August.8. de Ciuit. Dei cap.14.& apud sanctos Patres. D. Thom. Euseb. Augustin.

An intelligentiæ omnino sint incorporeæ? Cap. XI.

Modo diuerso causabunt morbum intelligentiæ,si omnino spirituales sint,aut si corporis participes. Fuerunt autem aliqui asserentes, substantias esse corporeas. Primo,quia vt refert Eugub. Eugubin. lib.8.c.30.de perem.Phil.multi dicebãt Dęmones esse corporeos,quia patiũtur affectiones corporales,nam delectantur locis humidis, & fumis nidorulentis. Secundò, quia vt refert Nicephorus Nicеph. Gregoras. Grægoras ad Synesium de insomnijs. Magi incantatores gestabant enses, & gladios,vt Dæmones terrefacerent. Tertiò,quia Proclus lib.de Magia,refert Proclus. visos fuisse Dęmones leonina facie,qui fugiebant viso gallo,non aliter ac leones veri:quę omnia inditia sunt affectionis

cor-

adde Cœlium Rhodiginum lib.2° Lect. antiq. cap.7

corporalis. Quarto constat ex maleficis, Dæmones fugari quibusdam suffumigijs, & alijs trahi, quod fieri non posset, nisi corporaliter afficerentur. Quinto, quia in cōcauitate annulorum scimus includi & teneri; hoc autem fieri nequit, nisi aliqua corporea substantia, licet tenui essent præditi, vt multi senserunt apud Ananiam lib. 3. de natura Dæmonū cap. 16. Et Niphus lib. 3. de Dæmonib. c. 9. videns experientias aliquas, ausus est dicere, corporeas esse substantias, sed dote subtilitatis non carere, vt corpora Beata. Miscuit iste Autor infima sumis, sed temperandus est, vt statim dicam. Sexto pro ratione possūt adduci graues Autores, quorum eadem sententia fuit. Tertulian. libro de Carne Christi, quem refert Isidorus lib. 8. cap. 5. etymolog. & aliqui Catholici Patres, Hilar. can. 5. in Matth. Nazianzen. oratione 1. Elias Casianus collat. 7. cap. 13. vbi ait nil esse omnino incorporeum, nisi solūm Deū. Idem legimus lib. de Ecclesiast. dogmatib. cap. 11. vbi etiam dicitur, nihil esse incorporeum, nisi solum Deum Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum. Augustin. 7. de Genes. ad liter. cap. 17. tribuit Dæmonibus subtilissima corpora, & lib. 3. cap. 10. vocat eos animalia aerea, & lib. 9. de Ciuitate Dei cap. 12. & 13. ad eandem sententiam inclinat, & inter modernos Caiet.

Ananias. Niphus. Tertul. Isidor. Hilar. Nazian. Casian. August. Caiet.

Tamen vt intelligamus, quid tenendum sit, separanda sunt certa ab incertis. Tribus modis potest quæri de hac re. Primo, an intelligentiæ sint omnino spirituales, quomodocunque considerētur. Secundo, an omnino sint corporales. Tertio, an medio modo se habeant, scilicet an partim sint spirituales, partim corporales, sicut homo qui quo ad animam est spiritualis, materia vero est mere corporalis. Ista distinctione præhabita, dicimus intelligentias esse incorporeas, & spirituales, itaque neque sunt compositæ ex spiritu, & corpore tenui, neque sunt absolute corporeæ, sed simpliciter spirituales. Hanc conclusionem existimo esse conformem principijs Philosophiæ, & à priori, & à posteriori. A priori, quia prima causa omnipotens cum sit, debuit efficere ea, quæ ad perfectionē suorum pertinebant operum. Cum ergo creaturæ completè spirituales, ita pertineant ad complementum perfectionis vniuersi, non est dicendum, non esse tales substantias, siquidem non repugnat ex parte effectus, neque est posibile, vt repugnet ex parte causæ. Hoc quidem non eget probatione. Præterea si de Fide est esse creatam animam rationalem spiritualem, sed incōpletam, quia est etiam forma corporis. Quare non esset creanda substantia spiritualis completa, quæ non sit corporis forma.

Secundo a posteriori, probant Philosophi perfectionem istam intelligentiarum, ex motu Cœlorum, quibus præsunt quod late ostenditur ab Arist. in Metaphis. *Arist.*

Quibus addenda est ratio alia, nam tam intelligentiæ bonæ, quam malæ, penetrant corpora densa, quod fieri non posset, nisi omnino spirituales essent creaturæ: de bonis, in Scriptura est satis commune; Angeli descendunt, & ascendunt per cœlum. Et relicta vanitate illorum qui dicunt esse cœlos corruptibiles, clarum est non posse penetrare corpora cœlestia, nisi spiritus, sine vlla corporeitate subsisterēt. Idem de malis dico, ceciderunt enim, aut de cœlo Empireo, aut de firmamento, vbi fuerunt creati: & præter hoc scimus argumentis, ex sensu petitis, Dæmones, clausum cubiculū intrare, & per densissimos parietes penetrare, corporaque hominum adire; sed corpora, quamuis aerea habeant intelligentiæ, dicas, obsecro, quomodo tot Dæmones possunt habitare corpus vnius hominis? habemus namq; in Euangel. Marci 6. & Lucæ 8. legionem Demonum in vnius hominis corpus introisse: Habet autem vna legio numerum 6666 Considera nunc penetrationem istorum corporum, & videbis, quomodo spiri-

Ratio Clitoui apud Damascenum.

spirituales omnino sint.

Vnde vt Augustinum Niphum corrigamus, non potest dici, quod intelligentiæ habent dotes corporis gloriosi: Nam cum non habeant corpus, ergo neque dotes corporis, habent tamen quæ propria sunt spiritus. Sed vt plura loca sanctorum, & Sacræ Scripturæ, propter breuitatem omittam, loquatur Concilium Lateranens. sub Innocen. III. verba sunt. *Simul ab initio temporis vtramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem, & corporalem, Angelicam videlicet, & mundanã, & deinde humanam, quasi communem ex spiritu, & corpore constitutam.* Quis poterit dubitare? Nullus sanæ mentis. Scio aliquos dicere non decernere Concilium ex professo circa quæstionem præsentem, sed obiter id dicere. Ita Sixtus Senens. 5. Bibliot. anno 8. Sed mirandum est, quod antecedentia, & sequentia sint de Fide, & quę pertinent ad hũc punctum, quæ media sunt coherentia, non sint etiam de Fide. Incipit enim caput citati Concilij sic. *Firmiter credimus & simpliciter confitemur*; post quæ verba docet quid de Dei substantia, & Trinitate tenendum sit, & statim loquens de operatione Dei, ait *vnum vniuersorum principium creator omnium spiritualium, & corporalium* (quæ etiam sunt de Fide) & reliqua sequentia, vt quod Dæmones non natura sua, sed ex se sint mali, quod homo constet ex corpore, & spiritu. Quare ergo eandem Fidei firmitatem non habebunt verba illa. condidit ex nihilo vtranque creaturam, spiritualem videlicet, & corporalem: Iam video ad superius iudicium hoc pertinere: sed quantum capio, quantum intelligo, verba Cõcilij æqua lance pensando plus quam temerarius censendus est, qui nunc dicat intelligentias esse corporeas.

Concil. Lateranens.

Sixt. Sen.

Contraria soluuntur.

Ad 1.

AD primũ non est credendum Dæmones delectari locis humidis, sed mystice, non ad literam hoc debet intelligi, quatenus amant animas cœnosas, & libidine effluentes, ita Glossa in cap. 40. Iob, & Euthymius ad illud Psal. 67. *Increpa feras arundinis*. Delectantur igitur illis tanquam signis peccatorum, nõ tanquam rebus à quibus afficiantur, & hoc modo intelligendus Tyreus quando refert exempla locorum humentium vbi Dæmones suas sedes habebant. Nã relicta ista mystica explicatione, potius scimus malas intelligentias, solitudines vastas, & siccas adire, iuxta Domini sententiam, *In locis aridis, & in aquosis requiem quærit.* Ad aliud de fumo, & nidore dico cum S. Cyill. 4. contra Iulian non delectari fumo, sed iniuria, quę fit Deo Opt. Max. per sacrificia facta Dijs falsis. Itaque gaudet fumo illo, quia signum est eleuari in honorem suum, aut falsi Dei, vt notauit D. Augustin. 20. de ciuitat. Dei, cap 22. & lib. 21. c. 6. vbi ait, *intelligentias non vt animalia cibis, sed vt spiritus signis affici.* Idem confirmat Iamblichus lib. de mysterijs contra Porphirium. Itaque intelligentiæ deprauatæ peccatum diligunt, non fumos, quem punctum fœlicius agitauit meus Antesignanus eruditissimus Vallesius, cap. 16. sacræ Philos. Illud autem de gladijs incantantium, fabulosum est, sicut etiam quod de gallo refertur.

Glos. *Euthym.* *Tyreus.* *S. Cyril.* *D. Aug.* *Iamblicus* *Vallesius.*

Maiorem difficultatem habent, verba Angeli ad Tobiam iuniorem cap. 6. *Fumus eius extricat omne genus Dæmoniorum, siue à viro, siue à muliere.* Loquebatur de iecore cuiusdam piscis. Equidem ista verba videntur, sonare aliquam vim insitam phisicam, contra Dæmones. Ad istum locum Vallesius c. 28. sacræ Philos. dicit superaditam fuisse virtutem à Deo, vt attingat fum⁹ ille spirituales substantias, sicut superaddit virtutem igni, vt vrat Dæmonem: Recte quidem, vt superbiam retundat Deus tam superbæ creaturæ, medijs facilimis: tamen Sybillanus decade 3. cap 8. quæst. 2. ait, *Indirecte id fieri, tollendo aliquas dispositiones corporis, quæ obnoxiæ sunt, vt Dæmon agat*

Tobias. *Vallesius.* *Sybillan.*

agat, non aliter, ac medicus aufert humorem melancholicum, ne Dæmon per illum, vt solet operetur.

Ad 5. Athan. Ad quintum de annulis, respondet Athanasius, quæſ. 32. ad Antiochum. *Dæmō vt teneat, teneri se fingit, & vt illaqueet simulat se à Mago pelli, & vt moneat esse corporeum, fingit annulum, in quo includendus est, debere huius, aut alterius figuræ esse.*

Ad 6. Ad sextum dico, prædictos Autores maximè differre, nam Tertulianus in hac re toto cœlo aberrauit, & misere lapsus est, & rèijciendus, quamuis ab aliquibus explicetur. Alij vero Catholici Deum purissimum & spiritualissimum actum confitentes, si aliquando Angelos, aut æthereas, & aereas substantias, aut aliquo modo compositas, dixerunt, id quidem scriptis mandarunt, vt declararent, quantum distet Angelus ab essentia diuina; nam Angelus compositus est ex actu & potentia, estque spiritus depēdens à sua causa, quæ est Deus: vt igitur inferiorem illius locum demonstrarent, sic fuerunt loquuti, eo scilicet tempore, quando nondum Angelorum substantia satis erat cognita. Diuus August. licet varie aliquando sit loquutus, tamen in retractationibus affirmat Angelum neque esse animam, neque habere animā, ergo satis aperuit suam mentem, esse scilicet spiritualem substantiam: nā cū ipse teneat, & defendat animam nostrā esse incorporeā, colligitur sensisse Angelum esse absolutè spiritum: quia si est substantia viuens (vt notum est) & non est anima rationalis, neque habens animam, ergo est spiritus, quasi dicat non est anima, neque corpus animatum, & tamen viuit, ergo est spiritus. Caietanum latè reprehendit Palacius, in 2. dis. 3. disput. 1. circa finem, & quidem acribus verbis; sed philosophice & grauiter Catharinus, lib. contra Caietanum, cap. de substantia intelligentiarum. Reliqua ex Proclo, & alijs, vana prorsus sunt. *Palacius* *Catharinus.*

Intelligētiæ bonæ, & malæ, non solum pestem, sed omnium morborum genera inferre possunt. Cap. XII.

MOrbi, aut sunt intemperies, aut solutæ vnitates, aut malæ compositiones, fierique possunt ab intelligentijs: nam dislocationes, contusiones, apostpasmata, fracturæ, & tandem omnes continui solutiones motus locales sunt. Intemperies, ad qualitatem pertinet, aut modus illius, tàm in primis, quàm secundis qualitatibus. Ex communi autem consensu constat posse intelligentias quaslibet intemperies causare applicando actiua pasiuis, reliquos morbos per solum motum localem.

Pestem, mouendo vapores putridos, aut contagiosos, aut alia qualitate inimica infectos excitare valent intelligentiæ, miscendo cum aere, & statim aerem impellendo versus hanc, aut illam ciuitatem, aut circa hanc, aut illam Regionem: tandem discurrendo per omnes morbos, & inspecta potentia, & cognitione intelligentiarum non apparet aliquod dubium circa dicta, tamen cum plures differentias pestis experientia protulerit, non desunt aliquæ difficultates inter Medicos, quas breuiter dissoluam, supposita tractatione de peste Valisoletana anno millesimo sexcentesimo à nobis in lucem edita. *Intelligentia potest mouere vapores solos, aut cum aere mixtos.*

Ex parte causæ efficientis varia potest esse pestis: nam aut ex aere infecto, aut ex alimento, & potu alicui populo, aut Regioni communi, aut quouis alio modo per contagium potest asurgere, aut siquis est alius modus nobis incognitus, sine dubio potest ab intelligentia diffundi, neque ad tantum malum necesse est intercedat cœlestis influxus, sed sola intelligentia (permitente Deo) potest aerem inficere, aut alimenta, & aquas in hac, aut illa ciuitate euertere, & acrē deprauatum ad hanc Regionem, & non

ad

ad aliam impellere, hos homines lethali tactu corrumpere, non illos. Quia sicut cœlum concursu variorum influxuum, generare potest inimicam nobis mixtionem, & qualitatē, in hac aut illa Regione [vt ostendi in lib. citat,) Ita intelligentia, non productione à se effectiua, sed selectione sibi cognitorum vaporum prauorum, & exhalationum, quæ hinc inde portat, aut per aerem transmitit, & aut fruges, aut aquas maligne perturbat, in pernitiem horum, aut illorum hominū, vt sustentacula quibus fidem damus, sint nobis subitæ mortis, aut miseri langoris exordia. Vide obsecro quanta, & qualia damna detinet, & coercet sera numinis vindicta, spectans propter sui misericordiam nostrum meliorem prouentum. Itaq; si intelligentia inuenerit idoneum (ad suum finem) influxum cœli, etiam illo vtitur. Sed si non adsit, prædictas vias habet ad causandam pestem.

Surgunt tamen quædam difficultates Primo, quia videtur non posse excitari pestem ab intelligentia, nisi medio concursu maligni influxus cęlestis, quia effectus vniuersalis causam agnoscit vniuersalem qualis cęlestis est. Secundo, an omnis pestis sit contagiosa. Tertio, an intelligentia damnata suis Magis sequacibus communicare posit virtutem ad similem pestem inducendam. Quarto, an omnis pestis fundetur in sordida putredine. Quinto, an omnis pestis pendeat ab infecto, aere. Sexto, an solo attactu veneni, aut alicuius rei detertimæ mixtionis, posit pestis oriri. Septimo, an sine interuentione Dæmonis posint homines praue morigerati, talia venena conficere, vt morbum communem, aut pestilentem inferre valeant. Et licet ex vnius difficultatis explicatione, alia clarescat; tamen maioris distinctionis gratia quālibet seorsim attingamus.

Ad primum dictum est, quod sine maligno influxu cęlesti scit intelligentia tantum damnum inducere, erit autem vniuersale, quia intelligentia pluribus corporibus applicat mortiferum venenum. Secundò, quia potest inficere aliquam causam communem, aut aquam, aut frumenta [si ei permititur] aut aerē. Nam pestis effectus quidam est ex his qui possunt à diuersis causis proficisci, vt caloris quinque causas docuit Galen. sic pestis à solo Deo, ab Angelis à communi deprauato potu, aut cibo, ab aere, aut ab alia causa, quæ ex particulari in communem transeat. Prædictæ causæ creatæ independenter se habere possunt inter se: nam à solo Deo Opt. Max. dicunt necessariam dependentiam ad quēcunque effectum; inter se, nullam. Inter Medicos solet esse iste cōmunis sermo. Obstructio aut viarum obturatio est causa caloris in nostris corporibus, nullo modo dependens à motu locali, & motus localis est causa caloris nullo modo pendens ab obstructione, &c. Ita pestis licet sit multis communis populis, poterit esse sine deprauato influxu cœli, sed ab alia diuersa causa: quod proprium est non solum malorum, quæ ex quocunque defectu emergunt, sed æquiuocarum etiam generationum. Fallitur ergo illa opinio, quia putat nullam actionem pluribus esse communem, nisi à cœlo descendat. Nam licet cœlum tam lato amplexu inferiora circundet, & per excellentiam dicatur causa corporalis vniuersalis: tamen elementa quæ non solum mixtorum, sed viuentium communia sunt principia, vt dicebat Hipp. 1. de Dięta etiam morbis communibus originē præstare valent. Rursus animalia potus, & alimenti indiga, ex communi potu, aut cibo infecto laborare poterunt. Est ergo irrita consequentia; est morbus communis, ergo à cœlo.

Et licet aliquis dubitet, qua ratione potum, & cibum inter communes posuimus causas, siquidem vnusquisque particularem sumit potum, aut alimentum, sparsique morbi possunt ex istis oriri, & non pestilentes. Resp. Nos vocare communes causas respectu alicuius ciuitatis, aut Regionis; in quibus, aut solum vnum flumen, aut vnus puteus, aut fons solet

esse

esse, ex quo necessario omnes bibunt, qui si inficiantur, morbus fit communis popularis (non sporadicus) & potest transire in pestem magis vniuersalem. Et idem dico de frumento cõmuni, quia licet secũdũ magis, & minus soleant differri morbi iuxta singularium naturam (vt falsò quis possit hos morbos vocare sparsos) tamen reuera vnam cum habeant causam communem, & similem, accedit iã ratio epidemica, & pestilẽs, & hoc dico loquendo per se, & de causis effectus cõmunis. Sed Vallesius, doctiss. loquitur in prohẹm. popul. de his, vt inuoluunt etiã causas maxime accidentales: siquidem potus communis infectus, aut cibus, sine dubio causa est morbi communis: accidit vero quod adsint diuites, qui multis expensis portent potum, & cibum ex lõginquo, vt non inquinentur; ob hoc tamen non desinit esse morbus communis reliquorum. Quo loco non possum silentio præterire magnanimum, & celebre dictum Philipp. IIII. Hispp. Regis, nam cum quidam promisisset integrum Regnum Turcarum destructurum infecta aqua, Respondit. *Armis, & Fide Catholica subijcio inimicos, non fraude: præcipue cum in ea Prouintia multi sint Catholici captiui, quibus posset obesse venenata potio.* O decretum nostri inuicti Philippi æterna hominum celebrandum memoria. O gloriosum Carol. Quinti Imp. germen, non dissimilem sententiam pronuntiantis contra Cornel. Agrip. & illius socios: promitebant isti Magi inuicto Imperatori magnam pecuniæ summam diabolica inuentione paratam. Responsio Imperatoris fuit, vt non solum ab Aula, sed ab omnibus suis Regnis perpetuo exularent.

Valle.

Philip. IV

Carol. V.

Minus dubitandum circa secundam difficultatem: nam contagium adesse, & abesse potest, integra manente natura pestis. Fidem exhibemus Celio Rhodigin. referenti Constantinopolitanam illam mirabilem pestem, quam nullo modo (affirmat) fuisse contagiosã. Et si aduertamus eruditos qui proprietatem, & veram significationem affectant, non simpliciter contagiosam appellant, sed vt plurimum: ita Passeratius. Neque inuenies contrarium in historia antiquissimarum pestium. Sed audiamus Cælium lib. 2. cap. 6. antiquit. *In hac parte non prætereundum vtique, debacchari amplius quandoque Constantinopoli cæpisse nouum inopinatumque pestilentiæ genus. Quod apud Pelusiotas Ægyptios in ortum primo, crassari mox latius ad ortum est. Eius mali hæc fere habebantur initia: Dæmonum terriculamenta specie humana miseris ingerebant sese ita, vt ab hominibus incuti, sibi plagas opinarentur, quibus occursaculi id genus obijciebatur: erantque ea orientis mali velut proœmia. Quibus aberuncandis nullis, prorsum amuletis opus erat vel (vt assolet) mysticis sacrisq; verbis: sed velut lymphati, ac arreptitij, vocantes nec audiebant, etiam si in arcto asseruarentur. Per quietem obtingebant hæc quandoq; inhorrescebat febris, sed ita, vti nec color demutaretur, neq; insitus item calor: nam neque inflammatio, vt fit, persentiebatur, verum tussis infesta erat, nulla discriminis spetie. Tubercula se se ostendebant, sed non eodem tempore omnibus, nec eodem loco. Quibusdam profundior obrepebat somnus: alijs dementia cum rerum omnium obliuione, vt in cibi neglectu conficerentur, ac furentes è lecto sese proriperent, vt se daturi in præceps, aut sitis ardore flumina petituri. Morbus tamen hic contagiosus non fuit.* Hæc Cœlius more Hipp. Sed ego non ago de argumento à posteriori, quod colligitur ab experientia, & historijs Rhodigini, & aliorum. A priori existimo certum. Nam modus quo causa secunda (quæuis illa sit.) potest producere pestem, nullus alius videtur, quam interueniente aliqua qualitate, vitali dispositioni contraria; aut alio obstaculo, aut impedimento, impediente primum motum vitalem cordis. At vero nullum istorum habet naturalem connexionem cum contagio. Ergo in rigore Phisico loquendo, non est simpliciter dicendum, omnem pestem esse necessario contagiosam; quamuis plures diffe-

Passerat.

Cœlius Rodig.

differentiæ illius sint contagiosæ. Audias obsecro nostræ sententiæ fundamentum satis apertum; nisi ingenioli mei tenebræ clariora obscurent. Pestis morbus est lethalis, communis, & similis, aut omnes, aut maiorem partem interimere potens eorum, quos apprehendit. Causa interimens hunc aut illum, nō necessario producit fomitem alium [hunc quidem requirit contagiosa affectio] præter illum, qui habuit incompossibilitatem cum forma. Ad alium vero similē generandum non habuit spheram, nec intensionis, nec extensionis, quia talis virtutis circunscriptæ fuit, vt non vlterius progrederetur, neque post mortuum infirmū remanet necessario in cadauere prædictus fomes contagiosus: Quia potuit perire, perempto subiecto, vt dicunt Medici de pugna Cadmica, in qua simul deficiunt pugnantes, habuit ergo vires ad occidendum, non ad producendum nouum fomitem. Contrarium huic cogitationi non poterit aliquis probare, quia innitimur mensura quam Deus pro suo arbitrio rebus impertitur. malum, aut bonum efficientibus, imponens modum operanti. Imponitur autē iste modus adhibitione rerum, aut miscibilium, quæ sine ligamine contagij in aliud, dicant solitariam incompossibilitatem cum forma vitali, & ita Dæmones possunt causare pestem non contagiosam prædicto modo: spargendo vapores venenatos (quos recte cognoscunt) determinatæ virtutis ad occidendum; non ad producendum nouum fomitem, seu contagium. Scit equidem Dæmon (permitēte Deo] venenum, sicut cinerem spargere; omnia hæc sub illius scientia naturali incidūt, & sub potestate mouendi. Quā uis plura ignoret, & minus potens sit, quā plerique seducti existimant, vt infra videbimus.

Ad 3. Ad tertiam dubitationem facile respōdet, qui scit fere æqualia esse corruptorum hominum, & Dæmonum desideria ad maleficia patranda: poterit ergo infelix magister suos famulos docere (vt Paracelsum instituit; & venena demonstrare efficatiora, & modum conficiendi, aut miscendi, vt attactu valeant homines destruere. Existimo tamen iam eò deuenisse humanam malitiam, vt homines, ferociores sint in homines, quam Dæmones, & venena componant ad malefaciendū; lethalia quidem, & admirandæ virtutis, sed possibilis in natura. Nam non solum potu, aut cibo mortifero [quod vulgatū, & commune peccatum est) sed tactu per vestes, aut sedilia, visū etiā & per literas aut olfactu, interimere alios, cognitum, & certum sit.

Duos modos mortis proposuimus, vel applicationem malæ qualitatis inhęrentis alicui vapori, aut substantiæ mobili à Dæmone; vel impedimentum quod detineat motum cordis: vtrunque medium est facilimum intelligentiæ, nam duobus modis moritur animal [quantum agitur in hoc puncto) aut intemperie venenosa, & veloci, quæ contrariatur directe mixtioni vitali cordis, quæ potest reduci ad morbum in intemperie, vel posito aliquo corpore circa cor, quod impediat motum illum localem, quo viuit animal, dilatationem scilicet, & compressionem. Vterque effectus cadit intra spherā actiuitatis intelligentiæ, & nullus dicit necessariam connexionem cum contagio: sicut occidere aliquem gladio non erit motus ex se contagiosus. Quis ergo obstrinxit intelligentias, vt occiderent contagio?

Quarta dubitatio, pertinet ad tractatum de peste, vbi ex professo agitatur. Sed quia cum dictis habet connexionē, accipe summam. *Ad 4.*

Qui hoc vocabulo multoties vtuntur (sordida putredine) & agentes de peste, aut de febre punticulari, aut venenosa, aut maligna, sæpe inculcant sordidam putredinem, & in illa ponunt malitiam, & tandem omnia accidentia istarum febrium. Memorari debent, duas esse putredinis sortes, vt docuit Aristotel. quamdam vocat naturalem, aliam præternaturam: Naturalem appellat, quæ

An pestis fūdetur in putredine

Arist.

quæ via est in naturalem corruptionem qualis accidit decursu ætatiuo animalibus, & plãtis, & (vt ego puto) etiam mixtis. Præternaturam eam dicimus, quæ fatalem periodum præscindit. Intellexit Arist. naturalem, cum dixit, mixta naturaliter finiri. Quando vero asseruit, fœtorem adesse in re putrida, & animalcula innasci, significauit præternaturalem. Hæc enim duo non reperiuntur in putredine naturali, imo neque in omni præternaturam. Medici cum de febribus putridis, malignis, aut pestilentibus tractant, non de naturali, sed de violẽta, & præternaturali putredine loquũtur, quando humores, spiritus, aut membra, ista putredinis differentia in corruptionem tendunt.

Et licet putredini naturali, & violentæ hoc sit commune, vt naturalis calor extraneetur, & humidum mixti euaporetur, vel educatur, maxima versatur differentia, quia in putredine naturali, paulatim, & sensim fit eductio, & sine vlla ebullitione humidi, at in violenta confertim & affatim fit humidi à sicco separatio, & ebullitione non vacat, quam frequenter fœtor comitatur. Dixi frequenter. Quia falsum est, quod communiter Medici dicũt fętorem sequi putridinẽ, in ea siquidem quæ naturalis est nũquam sentitur, neque adest, neque in omni violenta: siquidem acetum (quod Plinius vitium vini appellat) quanquã violenter, & feruore humidi fiat, nullo fętore pollet. Hinc, existimo, locutio hæc de sordida putredine scilicet, inter modernos irrepsit, quia violenta humores corrumpens, fit cum ebullitione, & exorbitante humido: exorbitans humidũ iam excrementum est, iam formæ gubernacula desseruit, iam inter excrementa & fordes numeratur. Hæc est sordida putredo sic dicta ab excremento, quod superfluit, suos quasi gradus habẽs penes magis & minus: nam aut fętida, aut fętidissima, horrida, intolerabilis, omnino naturæ legibus contraria, & hæc omnia (si attentius perpendas) quotidie reperiuntur in humanis corporibus; scilicet in excrementis, quæ extra pellit natura, & multoties in febribus, quarum humores non sunt reducibiles ad benignum ob suam excrementitiam conditionem. Itaque nulla est putredo violenta, aut præternaturam, quæ non fiat aliqua sensibili sorditie comitante. Atque adeo est coniuncta ista humidi dissolutio, cum natura putredinis, vt magni Philosophi dixerint, formam putredinis nil esse aliud, quam prædictam humidi à sicco solutionem, per quam desinit mixtum in sua elementa. Igitur omnis violenta putredo, sordida necessario dicenda.

Posset aliquis non præter rationem dicere, pestem fundari in sordida putredine, idest in putredine mali moris, & quia antypatia militat aduersus aliquã partem principem. Nam & hominum malos mores, sordidos Latini solent appellare. Sed quidquid sit de modo loquẽdi, non moror. Explicandum est, aut probandum, qualitatem pestilentem, aut venenosam non semper sequi ad violentam putredinem, quam isti Autores dicunt sordidam. Et si quæ supra diximus penitius contemplemur, non erat necessarium iterum ad illa redire. Qualitas lethalis, de qua agimus opponitur dispositioni vitali: potestq; sine putredine violenta reperiri, vbi nullum signum putrefactionis antecedentis præcedit, sed mera contrarietas, aut priuatiua, vel positiua, quæ militat aduersus dispositionem intimiorem vitę. Quem statum videmus in illis febribus pestilentibus, quarum signa refert Galen. 4. de pręsag. ex puls. *Galen.* Pulsus æqualis adest, vrina optima, & nihilominus tamen docente Gal. nulla ibi reperitur sordida putredo, sed in substantia cordis vna intemperies, & in humoribus, & spiritibus circundantibus alia diuersa, ex quibus contrarietatibus non potest colligi sordida putredo; tamen certa mors sequitur. Eadem aut similis dispositio reperitur in vrina, & humoribus aliarum venarum. Ergo pestilens aut venenata qualitas nõ

ex

ex putredine sordida, aut alia, necessario oritur, siquidē hoc modo, aut simili emergere potest. Quis vero nobis ostendet, nō posse excitari morbum communem his signis, & conditionibus insignitum?

Sed vrgeo efficatius, ne subterfugiat, aut proteruiat sciolus aliquis, decreui explicare, & defendere Nicandrum in lib. de venenis, vbi docet plura venena esse, quæ sua praua qualitate statim syncopen inducunt, aut rarefaciendo, aut minuēdo vel cogendo, & densando spiritum. Nam secunda qualitas, ita est contraria vitę, sicut alia prima, quamuis intensa: ergo dūmodo inducatur cordi, aut spiritui vitali, reuera impediens actum vitalem, erit simpliciter mortifera. Talis vero est densitas, aut raritas, quæ sine vlla præcedente putridine producitur. Nonne legisti ex sola aura respirata, in cauernis, aut locis non ventilatis, repente mortuos plures apparuisse? aut ex aere diu in arca detento? Equidem talis effectus fit, nō ob putredinem, quæ tarde serpit, sed ob subitam densitatem, aut aliam venenatam qualitatē citissime cōmunicatam. Quis ergo prohibet pestē ab Angelis hoc pacto, sine præuia putredine immitti? Cū rarefactiones, & condensationes motus locales sint. Quin & ab alia causa inferiori.

Nicand.

Subitam, idest, breuissimam.

Præterea si legas Gal. 12. Meth. c. 3. & 4. Syncopis præcipuas causas docētē, nec putredinis vllo modo recordatur, sed humores biliosos proponit, & tenues, & alios crudos, & crassos; illos quia dissipant spiritus (vt ego interpretor) hos vero ineptos, vt materiā pręstent spiritui. Interrogo. Quorsum non fieri possit iste morbus cōmunis, aut à venenis, aut à victu, aut ab Angelis, aut à cælo, sine vlla sordida putredine?

Galen.

Quædam tamen solēt obijci, satis futilia. Nā dicunt quidam, quod in omnibus febribus, aut morbis pestilentibus, plurima cōgeruntur excremēta fętidissima. 2. quia post mortem teterrimus, & exitialis vapor erumpit. Signum ergo est, naturam morbi pestilentis sordidam supponere putredinē. Sed respondetur quod ista cadauerosa excrementa, apparent post mortē non antea; quia absente anima putredo erumpit. Similiter dicendū in pręsenti difficultate. Qualitas pestilens non necessario orta fuit à putredine; sed iam fatiscēs facultas, & calor vitalis, quibus continebatur mixtio, sequitur vt soluantur vnita. Igitur subsequitur putredo fętida, & sordida; non tamen antecessit. Hoc dicimus loquentes in rigore, & ex natura rei, & ab ipsa experiētia docti. Vidimus febres venenosas, & pestilētes cōstitutiones, in quibus moriebātur, sine vllo signo putredinis; curabātur multi, qui nulla facta mētione putredinis, nec vllo cōtra putredinē adhibito auxilio, ad selecta alexipharmaca, ad spiritum restaurantia, ad velocissima cordis solatia, confugiebant: videres in quadam constitutione Syncopali mori omnes febrientes sanguinis missione, aut purgatione deuictos, quia putabant Medici sordidam putredinem, & occultam esse causam tantæ debilitatis, & pessimorū accidentiū, & tantum aberant infirmi à putredine, quantum subditi qualitati mortiferæ ab alijs causis exortæ. Tamen Medici qui in Syncopalibus affectibus sanguinem mittunt, aut alio vtuntur magno auxilio nec limina Gal. viderunt: non igitur semper sordida putredo fundamentum est pestis, licet aliquando.

De quibus in præsenti loquimur.

Quinta difficultas iam nulla est, nam ostendimus alias esse causas pestis, quamuis aer (qui magis communis causa est.) infectione careat. Poterunt vero differre istæ constitutiones, secundum magis, & minus communes.

Ad sextum dicendū videtur non quemlibet attactū veneni sufficere, ad tantum facinus, sed oportere talem pestiferam, & venenatam qualitatem esse, & tam subtilium partiū, & penetrantiū, vt sicut odorabilis qualitas cito multos afficit, ita venenum, de quo agimus, plures partes virtutis, tactu percutiat, vestes, cutem, carnes internas, & externas. De quorum venenorum actionibus plura sunt scripta, sed multo plura ab amicis Dæmonum, & suorum discipulorum.

Ad 7. Et ita ad septimũ respondeo eam esse aliquorum nequitiam, vt gaudeant de publico damno, & perniciosa venena colligentes, & præparantes latenter, in locis publicis ponant, vt in comitijs, aut hominum commertio multos interimant: si vero interuentione Dæmonis fiat detestandum opus, certius erit. Poterit vero contagiosa compositio, & non contagiosa, idest (vt supra manet probatũ) tale, poterit esse venenum, aut eiusconfectio, vt præter mortem quam inducet, relinquat nouum fomitem: sed certe hoc videtur pertinere ad scientiam Diabolicam, quãuis in rigore non transcendat humanam diligentiam, & subtilitatem.

Circa gradum vegetabilem quæritur. An sicut intelligentia potest causare morbos, ita possit causare sanitatem, C. XIII.

Origen. S. Ireneus. RAtio dubitandi desumitur ex Origine 8. contra Celsum circa finẽ, & ex S. Ireneo 2. cõtra Hæret. c. 56. vbi sic ait (loquebatur de Magis) *Eos non in beneficium hominibus facere ea, quæ faciunt, sed in perniti ẽ, & errorem, per Magicas elusiones & vniuersa fraude plus lædentes, quam vtilitatem præstantes his, qui credunt eis in eo, quod seducunt; non enim cœcis possunt donare visum, neq; surdis auditum, neq; omnes Dæmones effugare, præter eos qui ab ipsis immittuntur (si tamen, & hoc faciunt) neq; debiles, aut claudos, aut paralyticos curare, vel alia quadam corporis parte vexatos, quẽadmodũ sæpe euenit fieri secũdum corporalem infirmitatẽ, vel earum quæ à foris accidunt infirmitatum, bonas valetudines restaurare, &c.*

Arnobius. Et elegantissime Arnob. lib. 1. contra Gentes fol. 44. vocat omnes Principes Magiæ, & cultores Dæmonũ, Zoroastrẽ, Hermippũ, Bactrianũ, Ctesiam, Armeniũ, Iulianũ, Pamphilum, & alios, irridésq; illos, interrogat: *An potuerint ora coarticulare mutorũ, surdorum auriculas reserare, sine luminibus procreatis occulorũ redintegrare naturas, & in frigentia olim mẽbra sensus animosq; reducere; aut si ardua res ista est, neq; alijs permittere taliũ possunt operum potestates, ipsi faciant, & cũ suis ritibus quid quid malefici graminis nutricant terrarum sinus, quidquid virium continet fremor ille verborum, atq; adiunctæ carminum necessitates, non inuidemus, adiiciant, non interdicimus, colligãt. Experiri libet, & recognoscere an cum suis efficere Dijs possint, quod à rusticis Christianis iussionibus factitatum est nudis.* Hæc eleganter Arnobius. Ex quibus constat, quid senserint de hac re isti celebres viri. Negant enim sanitatem posse conferri à malis intelligentijs, quæ perpetuo hominem fallere, & in pernitiem trahere conantur.

Alia tamen ex parte legimus Gentiles sua celebrasse miracula à Dijs, aut Dæmone peracta. Multa solẽt adduci, sed de morbo, & sanitate (quæ ad nostrũ librum pertinent) pauca dicamus. Cornel. Tacit. lib. 4. & Sueton. in Vespasian. c. 7. referũt Adrianum, & Vespasianum, ægris restituisse sanitatẽ, nam duobus cęcis alter restituit visum, & manum mancam suis pedibus conculcatam alter sanauit. Aliqui dicunt ad hæc Vespasiani apparentia miracula, Dæmonem ita esse callidũ, & versutũ, vt aliquos habeat sine sanitate per maleficia sua, postea vero, quid cõtra talia malefitia prevalet, nullus, nisi ipse scit Dæmõ, aut amici illius ex pacto: curatio ergo talium morborum apparet mirabilis, cũ & morbus, & sanitas sint positione & applicatione suorum contrariorũ producta, & ita putabant Gentiles ad nutũ Vespasiani sanari hominem. Tamen mihi magis placet sententia Cardinalis Baronij anno Christi 71. Apollonij Tianęi industria, qui tunc cum Vespasiano aderat; tales effectus accidisse: notũ autẽ est qualis fuerit Appollonius. Tamen quid de Vespasiano, & Adriano, ego sentiam inferius declarabo, sed quid tenendum sit firmemus. Morbos potest causare intelligentia, & sanitatem, per applicationem idoneorũ actiuorũ. Hæc cõstat, quia non est maior ratio, si potest calido applicato morbum inducere, ergo potest sanare applicato frigido, & ita de alijs morbis Hanc conclusionem sic probatam, aper

Cornel. Tacitus. Suetonius. Baronius.

te confirmat Eusebius 4. depræparat. Euangel. c. 1. declarans idonea actiua, quę intelligentia solet mouere, & applicare, ad sanationes, & morbos his verbis: *Miracula, quæ simulacris attribuunt, diceret aliquis natura rerum fieri. Multa enim genera esse herbarum, multa lapidum, secreta quædam, & multis ignota natura insita morbos quosdam pellentia, quosdam inducentia; alia enim contrahere, atq; densare, alia distrahere, & rarefacere, tendere, aut omnino mutare, & saluare nata esse, quod alia breui tempore, alia longo efficiũt, & alia in longum durant, alia cito dissoluuntur. Ita nonnulla conseruantia sanitatis inueniũtur, alia nonnulla, è cõtra morbos inducũt. Multa etiã lucẽ Lunæ insequuntur, vt simul cum ea crescãt, atq; decrescãt. Animalia igitur nõnulla, plantæ, lapides, aromata, magnas virtutes insitas, sibi natura possident, ad quæ omnia positio quoque [illegible] multum conducit.* Hæc Eusebius. Ex quibus duo colligo ad maiorem claritatem & extensionem prædictę conclusionis. Primo affectus istos intelligentiarum non esse miracula, sed per causas sequi naturales, scilicet per applicationem remediorum sicut Medicus quando cognito morbo, & eius auxilio medetur, etiam applicat naturalia sibi cognita, plantas, herbas, lapides, aut alia similia ex his composita. Solum differentia stat in hoc, quod intelligentiæ cum habeant tam perfectam notitiam rerum nobis incognitarum, ea possunt efficere, quæ nos neutiquam possumus.

Eusebius.

Secundo ideo talia ab antiquis illis censeri prodigia, & falsorum Deorum opera, quia non cognoscebant potestatem intelligentiarum in ordine ad motum localem, & applicationem actiuorum, neque quanta sit illis scientia rerum naturalium sed cœco iudicio putabant Deos esse, & non creaturas excellentiori potestati subiectas, vero scilicet Deo, qui permittit hoc, aut illud fieri, ob sua secreta iudicia.

2. Concl. Secunda conclusi. Morbos omnes inducere possunt intelligentiæ, vt dictũ est, tamen non omnes curare, sed eos solum, qui non omnem habitum destruxerunt. Si explicuero istam propositionem simul probatam relinquam.

Diximus supra: Omnes morborũ species, seu differentias posse ab intelligentijs causari: nunc assero non omnes curari. Nam Deus Verus Optimus Maximus, sic potestatem aliquam suis creaturis communicauit, vt ad suam maiestatem, & diuinitatem supremam ostendendam, relinqueret sibi soli multa facienda quæ à nulla virtute naturali possint attingi; non enim per applicationem quarumcunque rerum poterit intelligentia oculos restituere, vt fecit Dominus cœco à natiuitate; neq; mortuum ab inferis reducere, neque morbos omnino habituales (vt existimo) sanare; quia à priuatione omnimoda ad habitum non est regressus naturalis, bene tamen supernaturalis. Oportet enim, vt sit aliquod principium in passo, quod conferat vim causæ extrinsecæ aduenienti, aliter non est via agenti naturali. Vnde, tribue obsecro quantum volueris scientiæ & potestatis ad motum localem intelligentijs, percaleant omnes proprietates rerum, omnes influxus cœlestes, & omnia requisita ad applicationem: certe non producet oculos in cœco à natiuitate orbato, neque morbos, qui omnem latitudinem habitus destruxerunt, persanabunt; quia vis necessaria deficit in passo, quam solus De⁹ potest supplere, aut de nouo efficere.

Magnum discrimen versatur inter ista duo, aliud est curare morbos oculorum in visu diminuto, aut deprauato, aut abolito, aliud restituere organũ visus. Actio abolita, vt in gutta serena, aut in cataracta, sequitur ad impedimentum quod motu locali aufertur ab artifice [in gutta serena obstructio opticorum, in catarata densatus humor] Hoc quidem poterit facere intelligẽtia, quia adest principium in organo, vt valeat ablato impedimẽto suscipere influxũ ab anima; At vbi destructum est organum, quod habebit connexionem naturalem, & vitalem cum ani-

ma nulla sufficit potentia rerum naturalium, quia istæ debent afficere, & producere passiones, at circa non ens nullę sunt pasiones. Accedat Salomon, & applicet herbam, aut aliud, sibi secretũ cognitum; extrahat intelligentia ex visceribus terrę mirũ aliud portẽtum; nil proficiet Quare non sanabit? Quia nil applicatur, quod non contineatur legibus naturæ: lex autem vniuersalis naturæ ea est, vt faciat determinatum ex determinato, non quodlibet ex quolibet, & quod actus actiuorum fiat in patiẽte aliquo modo disposito. Suprema vero diuinitas, sibi seruauit, vt ex indeterminato, vt ex indisposito, vt ex nihilo faciat ad nutum, quod voluerit, nulla applicatione actiuorum. Ergo intelligentiæ in hoc præstãt, in hoc excedunt nostrã facultatẽ. Primo quod sciunt omnia naturalia, & temporũ momenta, & secundo ad applicationẽ possunt illa mouere à quo cũque loco, & apponere cuicunq; parti etiam intimiori. Vnde pulchre irridebat Arnobius curationes illas inter Gentiles factas à Dæmone, & dicebat. An poterunt oculorũ à natiuitate lumine priuatorũ redintegrare naturam? An poterunt mortuos ad vitam reuocare? Quasi respondeat, solus Deus verus id faciet, aut Christianus (rusticus vt ipse dicit) in nomine Domini nostri Iesu Christi Filij Dei viui. Atque hæc est ratio ob quam inter miracula plura, quæ facit Dominus Iesus duo fuerunt maxime conclamata, quæ in stuporem generationẽ illã prauam adduxerunt, Lazari resurrectio, & cœcus à natiuitate restitutus; equidẽ ex Ioan. c. 19. tot fuerũt factæ interrogationes, & diligentiæ circa illum cœcum quia vt ipse dicebat ad Phariseos. A seculo non est auditum, quia apperuit quis oculos cœci nati, nisi esset hic à Deo nõ posset facere quidquã. Fecit quidẽ argumentũ fortissimum, & concludens, quia redere occulos cœco nato solius Dei est vt supra dixi; nõ enim est curare morbũ oculorum, sed nulla præsuposita dispositione, organum visus facere, quod neq; Medici sapientiores, neq; intelligentiæ, neq; tota natura creata attingit.

Arnobius

Habent præterea curationes diuinæ à Deo factæ, subitã salutẽ, & robur, quod solius diuini operis est; non intelligentiarum agentiũ per applicationẽ actiuorũ. Hæc propositio satis constat: nã primæ & supremæ causę effectus cũ non fiat applicatione causarũ secundarum operantiũ motu successiuo, necessario fit subito cũ omni perfectione. At reliquę sanationes tempore indigent, quia causæ applicatæ operantur expellendo contrarium successiue, & in tẽpore. Robur similiter non subito confertur ab intelligentiis, ob eandem rationem, quia robur in optimo tẽperamento cum sufficienti quantitate, & qualitate spiritus consistit; hæc autẽ tempore indigent, vt reparentur, nam omnia fiunt per debitam alterationem. Ergo intelligentię quantumuis excellant in applicatione non possunt sanare & roborare sanitatẽ in instanti. Solus Deus sibi hoc relinquit faciendum, vnde quando in Euangelio narrantur aliquæ diuinæ curationes, semper adijcitur, aliquid quo intelligamus subito fuisse acquisitam salutẽ simul, & robur (hæc enim est completa, perfecta, & omnino Diuina sanatio) & consolidatæ sunt bases eius. Et alibi tolle grabatum tuum, & ambula, & alia plura quæ arguunt sanationis firmitatem, & perfectionem.

Quibus recte ponderatis, tãquam certum affirmo, illam curationem Vespasiano Imperatori tributam, non fuisse subitam, sed qualem potuit parare Apollonius Tianæus applicatione alicuius rei, aut auferendo maleficia, vtrunq; medijs naturalibus, quod colligo ex verbis Cornelij Taciti loco citato, significat enim illos morbos humana arte fuisse curabiles; imo & visum deperditum posse restaurari medicinalibus instrumentis, putat Valesius cap. 42. sacræ Philos. & Serrarius in cap. 11. Tobiæ quæst. 2. & Plin. lib. 11. c. 37. quæ sententia temperari debet iuxta meam traditam doctrinam: potest curari visus deperditus, agu-

Cornel. Tacit.

Valesius.

Serrarius.

Plin.

ta serena, a catarata, aut alijs mille morbis oculorum, tamen restitutio oculi tabidi a natiuitate. & quamuis non sit a natiuitate; si ad integram priuationem, & habitualem earum rerum, quæ pertinent ad principia videndi, iamdeuenerint oculi, certum existimo, neque a Medico, neque ab intelligentia, sed â solo Deo posse sanari.

Quod autem pertinet, ad curationem quam Gentiles tribuunt Adriano, video Spartianum affirmantem (ex Mario historico) simulatam fuisse cæcitatem, & fallaciam excogitatam ab illis, qui suadere Adrianũ nitebantur, ne in maximis doloribus, quos patiebatur, desperaret; nec viuendi abiiceret voluntatem. *Marius.*

Quod intelligentiæ ad longum tempus vitam protrahere, & sine cibo, & potu manifesto illam possunt conseruare, C. XIII.

Etiam in parte vegetatiua, hæc duo valent intelligentiæ efficere; nam si probatum est in opusculo de senectute, & in tractatu de hecticis, quod si peritus Medicus sic potest hominem gubernare sex rerũ nõnaturalium vsu, vt senectutem retardet, quanto melius id poterit præstare intelligentia, applicatione selectissimi alimenti, aeris temperie, & alijs quæ calidi, & humidi exhalationem detineant, roborent, confirment.

Ex quo sequitur secundo, posse sine cibo vsuali, & sine potu, seruare vitã, quod maxime est notandum, & linceis oculis inspiciendum: sunt enim aliqui hypocritæ sanctitatis gloriam aucupantes, qui (& viros doctos solent fallere) magnis ieiunijs macerantur, ita vt nec cibum multis diebus degustent, atque cũ diligenter exquirant homines spirituales, an aliquid comedant, in abscondito, aut recondita habeant alimenta, cunq; inueniant (omnia exquisite perscrutantes) nullum esse cibum, neq, potum ministratum, credunt esse miraculum. Multa possem in hac re dicere, sed suo loco, sidetur occasio. Nũc sciendum quod proposui, Dæmones posse multo tempore, sine cibo continere viuentem, aggregatis multis viscidis pituitosis humoribus, qui retardent actionem caloris resoluentis (præcedit resolutio famen, & indigentiam alimenti) hic autem modus iam contingit, nulla intelligentię interueniente actione, vt ratione, & experientia constat: idem in specie humana posse contingere, quod in aliquibus animalibus, quæ ob caloris remissionem, & abũdantiam crudi humoris, diu in latibulis iacent, sine alimento, quod Simõ Portius late probat, de puella Germana, c. 6. Langius & alij. *Simon Portius.* *Langius.*

Præterea poterit intelligentia intra corpus immittere aliquam subtilissimam substantiam paruæ quantitatis, sed maximæ efficatiæ, ad alendum, & roborandum calorem, quæ substantia insensibiliter potest, aut per respirationem, aut per poros applicari; sic legimus apud Sanctum Prosperum, in dimidio temporis, cap. 6. Et vtinam non sint aliqui hoc modo seducti, quorum exempla refert Iouianus Pontanus lib. 2. de sermone c. 16. & Petrus Gregor. lib. 35. sintaxis cap. 10. *S. Prosp.* *Iouian. Pontan.* *Pet. Greg.*

Atq; homo ille pulcherrimus qui nullo affectus fuit morbo, & singulis mensibus fructu cuiusdam herbæ vescens, per siluas, & solitudines cum Nimphis, & Genijs degebat, & ad mare Rubrum quotannis apparebat, ad gentium ibi concurrentium admirationem, vt refert Cleombrotus apud Plutarchum lib. de oraculorum defectu tom. 2. fol. 421. Quando enim loquebatur, tam suauis odor ab ore exibat, vt campos repleret suauitate; ex illa vero historia, & ex vaticinijs colligi potest, hominem illum Dæmonis familiaritate vsum, cognouisse illam herbam tantæ efficatiæ ad præcauendos morbos, & sanitatem cum vitæ longitudine seruandam. Quidni poterit, simile cõparari artificiosa manu intelligentiæ Dæmoniacæ, ad seducendum hypocritam, & sine cibo alendum? Considerent Magistri animarum scientiam, simul cum malitia damnatæ *Cleombrotus apud Plutarch.*

natæ intelligentiæ, ne oẽs Domini ad tales herbas deueniant.

An intelligentiæ, sicut possunt vitam prolongare, valeant mortem eludere? Cap. XV.

DE Morbis egimus, & vitæ longitudine, nũc de morte: quam esse necessariam omni nascenti longis quæstionibus absoluimus opusculo de Senectute, quia licet mors omnes quæstiones finiat, ipsa tamen sine questionibus non est, vt acute dicebat Tertul. li. de Anima c. 50. Nũc dubitamus vtrũ immortalitatẽ (quã nulla artis peritia, nulla Medica subtilitate, potuit obtinere humanum desiderium) intelligentia superioris potestatis, cum sit, valeat consequi.

Tertul.

1 Partẽ affirmantẽ exemplis prolatam ostendũt aliqui, vt inde à minori ad maius conficiant argumentũ: nam si aliqua viuentia senescentia iuuenescunt naturaliter; ergo multo melius id poterit præstari ab intelligentia. Si autẽ à senectute ad iuuentutẽ est regressus, possibilis erit immortalitas. Adducũt ergo Serpentẽ, quę exuit senectam, & Aquilã, quę renouatur & Ceruũ, de quo eleganter Tertul. lib. de Pallio c. 3 inquit: *Ceruus ætatis suæ arbiter serpente pastus, veneno languescit in iuuẽtutẽ.* Quasi dicat viuit ceruus ad arbitriũ suũ, annos multiplicãs, nã veneno, vt medicamẽto assũpto, licet statim lãguescat, lãguescit vt iuuentutẽ amissã recuperet. Sed quomodo hoc accidat, sanctus Epiphanius Constantiæ Cypri Episcopus narrat in suo Phisiologo c. 5. postquã dixit Ceruũ comedere serpentes. Sic ait: *Accurrit autem ad aquarum fontes: quod si trium horarũ spatio aqua sese explere nõ potest, moritur: sin autem aquæ potus obtingat ad annos denuo quinquaginta vitã protrahit.* Ex dictis sumitur efficax ratio; nam si aliquod mediũ est quo Ceruus, Aquila, Serpens, mortem fugiant naturalẽ, quis dubitat de intelligentia? Habet quidem notitiam omnium alimentorum, omniũ medicamentorum, omnium herbarũ, fructuum, nobis incognitorũ: poterit ergo parare aliquid, quo iuuenescere homines faciat.

Tertul.

S. Epiph.

Et confirmatur nam plures viri docti existimant virtutem arboris vitæ esse naturalem. Si hoc ita est, poterit intelligentia fructũ illius, aut alium maxime similẽ applicare homini, qui in perpetuũ viuet. 2

Sed quę audiui à venerabili Viro, & illustribus virtutum ornamentis condecorato, dicere opus est.

Archiepiscopus Bracarensis ordinis S. Augustini, Apostolica sanctitate per celebris, de cuius Beatificatione meritò, nunc agitur, interroganti mihi, de homine quodã apud Indos, qui, vt fama erat, cognouit D. Franciscum, & adhuc vita fruebatur, respondit. Quod cum vastas illas Orientalis Indiæ Regiones peragraret, prædicans verbum Domini, inuenit multos senes dierum plenos, qui dicebãt hominẽ illum sibi fuisse familiarẽ, tamẽ ignorabãt vbi nam esset, vel an mortuus aut viuus; de numero vero annorum nil certi affirmabant. 3

Neq; obstat si dicas esse necessariam repassionem viuentis ab alimento illo excellenti, nã quamuis calor repatiatur (etiam à fructu arboris vitæ) tamen intelligentia, quę inuenit alimentum ita selectum, applicabit etiam, quæ calorem in priori statu reponerent. 4

Pręterea, quia puer tabidus restauratur, ergo senex poterit iuuenescere eadẽ ratione quia temperamentum potest mutari in melius arte Medica; ergo cum intelligentia excedat omnem artem, applicabit, quæ ad perfectius temperamẽtum reducant partes viuentis: ergo protrahet vitam in perpetuum. Si enim defendit à contrarijs, & firmat natiuum calorem, non apparet, quomodo accidat mors. Vnde hoc loco bene possumus memoriam facere illius Philosophi, qui dicebat homines esse immortales, sed mortales fieri, ob prauum victum, & inordinatum modum viuendi, apud Galen. lib. de Tabe, de quo satis diximus 5

Galen.

mus in opusc. de Senectute. In hac re dicam aliorum sententias, & quid ego sentiam declarabo. Binsfeldus, Victoria, & Valentia asserunt, tantam esse naturæ nostræ fragilitatem, & morbositatem, & tantam esse his temporibus inefficaciam in influentijs cœlorum, quibus fruimur, vt non posit Dæmon prorogare vitam ad mille annos, tantum abest, vt in perpetuum. Ita Binsfel. de Confessione maleficar. 1. p. q. conclus. 8. Victoria in relectione de Magica arte. Valent. 2. 2. dist. 6. q. 13. p. 2.

Binsfeld. *Victoria.* *Valentia.*

Hæc sententia nobis displicet, nam debilitas, & morbositas nostræ naturæ potest emẽdari (vt dictum est) ab intelligẽtia, applicatis selectissimis alimentis, & medicamentis, quæ Medica facultas si aliquando cognouit, nunc plura ignorat. At quod dicit de cœlorũ inefficatia, prorsus detestor: cum certum existimẽ sublimia illa corpora inalterabilia, eam nũc vim habere illuminãdo & influẽdo, quã primo die creationis à Cõditore susceperunt, non ergo ista causa est ob quã intelligentia mortem non valet depellere.

Alij dicunt, vitam in æternum conseruare posse, si velit intelligentia, & permittatur à Deo: tamen non vult, quia potius desiderat suis pœnis homines habere equales, & non permittitur à Deo qui legem fecit omnibus hominibus cõmunem, vt semel moriantur. *Statutum est omnibus semel mori.* Vnde Tertulianus lib. de Anima cap. 50. dicebat, nec Magiæ tantum dabit quisquam, vt eximat mortem, aut repastinet vitis modo vitam ætate renouata. Itaq; Dæmon nũquam intendit hominem seruare in æternum in hac vita, quamuis vt illum magis seducat, & fallat, solet defendere à morbis, & ab extrinsecis nocumentis, vt refert Ananias lib. 4. cap. 21. de illo Hetero qui habuit vestem, qua omnes ictus, sine nocumento recipiebat.

D. Paul. *Tertul.* *Ananias.*

Ego tamen existimo dicendum, quod intelligentia non potest mortẽ excludere, quamuis posit vitam prolongare, ad plures annos, vltra cognitionẽ Medici. Ratio est, quia non potest vnam naturã trãsmutare in aliam, quod aperte docuit S. August. 18. Ciuit. Dei, c. 18. vbi negat Dæmonem posse hominem reipsa transformare in bestias; fatetur tamẽ oculos deludere, vt credat esse transmutatum. Postquã enim in c. 17. ex Varrone prodigia aliqua memorat, rursus alia in c. 18. de Apuleio, & alijs, concludit, dicens: *Non itaq; solũ animũ sed nec corpus quidem vlla ratione crediderim, Dæmonũ arte, vel potestate in membra, aut lineamenta bestialia veraciter posse conuerti.* Ex mente Augustini solũ hanc accipio propositionem: intelligentia nõ potest vnã in aliam naturã veraciter mutare. Infero ego, ergo neq; poterit mutare cõpositionem hominis, quę facta est ex contrarijs adinuicẽ pugnantibus, ergo non poterit vitã in æternum protrahere. Existimo cõcludere satis efficaciter, contra supra dictos opinantes. Illi asserũt, si voluerit intelligentia, poterit vitã in perpetuũ prolongare, ego dico etiã si velit, aut permittatur, neutiquã potest. Explico. Nã humana mortalitas fũdatur in cõtrarietate cõponentiũ, quorũ actiones impediri omnino nõ possunt: ergo si ostendero intelligentias non posse omnino auferre actionẽ contrariam, probatũ erit, non posse vitã in æternũ extendere. Ostendo, quia effluxus agentis est entitas à Deo depẽdens, sicut & ipsũ agens, ergo à solo Deo poterit omnino impediri, & suspendi, vt fecit in igne, qui non combusit tres pueros in fornace, & alia similia, quæ ipse solus potest facere, quia entitas & actio entis, Dei participationes sunt, vt primi entis à quo omnia

S. August.

At vero intelligentia pro sphera habet motũ localẽ, & applicationẽ vnius ad aliud, & neutiquam potest attingere aliã. Poteritq; retardare actionem caloris resoluentis, applicatione frigidi, aut confortando calorem, tamen non est posibile, vt tollat actionẽ, & repassionem contrariorum, neque suspendat actionem nostri caloris, quia calor non dependet ab intelligẽtia in esse, & operari, sed à solo Deo, & ex cõsequenti nõ est posibile

perpetuam vitam causare. Et in hoc æqualis est potestas intelligentiæ, & optimi Medici: nam sicut medicina potest retardare senectutem, & mortem, neutiquam tamen excusare, quia non potest auferre, aut impedire omnino actionem partium diuersarum inter se, aut caloris resoluentis, & exsicantis. Ita similiter intelligentia non est sui iuris suspendere effluxum agentis qui est actio transiens in aliud, neque repassionem à dissimili, & contrario, & consequenter nõ est possibile mortem eliminare quamuis falso promittat suis Magis. Excedit tamen in hoc peritum Medicum, quod maiorem habet notitiam iuuantium, & nocentiũ, & ita ad plures annos extendet vitam, sed perperam mortem profligare contendet. Secundo, quia omne illud quod potest applicari ab intelligentia ad mortem vitandam, necessum est, vt se habeat aut ex parte alimenti, aut ex parte medicamenti, & reddit eadem ratio de repassione, & termino repassionis.

Quidquid autem in contrarium nostræ sententiæ adduci potest, de perpetuitate vitæ, & transformatione hominum, &c. fabulosum præstigijsq; plenum relinquimus.

Ad iuuentutem senem retrahere, & mortuum suscitare, similem habet impossibilitatem respectu potestatis intelligentiæ Cap. XVI.

NOn putabam tam absurdam fuisse opinionem, vt existimaret aliquis intelligentias posse mortuos suscitare, vsque dum vidi Mayronem in 2. dist. 7. q. 4. concedentem intelligentijs talem facultatem: ergo si potuero, hunc errorẽ destruam argumento sumpto à fortiori, quia intelligentia non valet senem ad iuuentutem retrahere, adhuc existente eadem anima in corpore, ergo multo impossibilius erit animam separatam reuniri. Supra diximus Deum, sibi propria asseruasse miracula, vt ostenderet suam infinitam potentiam, inter quæ, excitare à priuatione omnimoda, & facta, habitum, & formam ad nutum diuinũm suum. Sed nunc rationem propositam tantummodo exagito. Quia existimo, quod senex est vere mortuus respectu suæ iuuentutis, sicut mortuus in sepulchro respectu vitæ præteritæ, & vterq; à sola potentia Dei potest ad habitum reuocari. Hæc enim ratio confirmat, quæ dixi de limitata potestate intelligentiæ.

Mayro.

Cadauer dicitur, quod abiecit animã: abiecit autem, quia amisit debitum calidum, & humidum vitale, quod seruabat animam in genere causæ dispositiuę, quæ ideo dicta est dispositio vitalis. Hæc autem amittitur per partes toto vitæ decursu, vsque ad mortem naturalem, quæ à quibusdam dicitur exsicatio ætatiua, ab alijs putredo naturalis, qui modus dicendi nobis, vt Aristotelicus probatus fuit loco citato de senectute. Cum igitur hæc humidi radicalis cõsũptio ad eum terminum marcoris deuenerit, vt sit cum anima incompatibilis, mors, vltimaque priuatio accedit, & forma cadaueris (à quo autem inducatur positiuè forma cadaueris, non est huius loci determinare) Differunt ergo marcor ætatiuus, & vltimus, tanquam via & terminus, vt partialis corruptio, & totalis seu consumata, vt priuatio in fieri, & facta, vt dicebat D. Thom.

Sed non est accipiendum illud fieri, vt quid successiuum; dicitur tamen fiens largo modo, quia partialis, facta tamen est, licet non tollat omnem latitudinem habitus.

Quo supposito satis constat, quod sicut cadauer dicit omnimodã priuationẽ latitudinis vitalis dispositionis, sub qua aliquãdo fuit: ita similiter corpus viuens tẽpore senectutis dicit omnimodam, & habitualem priuationem dispositionis vitalis pueritiæ, sub qua aliquando fuit, & ob id est cadauer respectu illius ætatis. & consequenter non potest ab intelligẽ-

tia deduci ad præteritum statum.

Sed dubitas satis ad rem. Non est similis ratio in cadauere, & sene. Nam cadauer nullum habet in se principium regressus ad vitam quam amisit, præter potentiam illam obedientialem respectu Dei. At viuens in senectute habet animam à qua possunt emanare omnes perfectiones in ordine ad esse, & operari, ablatis impedimentis, ergo si intelligentia remouet omnia nocentia, & applicat omnia iuuantia, effluet ab anima perfectio iuuenilis.

Dico (vt supra insinuaui) non potest intelligentia auferre vnum impedimentũ, licet reliqua tollat, illud autem est effluxus caloris, & actio in partes; nam circa istas entitates nullum habet dominiũ solus Deus à quo omnis entitas creata, potest facere, vt calor non agat, & solus tollere potest repassionem ab alimentis. Atque adeo viuens habet, sibi connaturale hoc impedimentum, quod est resolutio, & exsiccatio sui humidi, quia calore viuit, & ab ipso exsiccatur. Et ita anima informat corpus semper impeditum nec potest illud informare, sine hoc impedimento, quod est calor naturalis qui cum sit dispositio necessaria, etiam est corruptiua. Atque ex consequenti non potest intelligentia senectam in iuuentutem transmutare. Sed hæc omnia supponunt opusculum nostrum de senectute. Eo enim perfecte intellecto, parui pendes quendam errorem cuiusdam autoris nostri temporis, qui putauit Dæmones, posse facere. vt senex reddeat ad iuuentutem; nascitur autem iste error defectu philosophiæ, vt in superiori capite etiã manet probatum.

Resp. ad obiect. Quod dicitur de Aquila, Serpẽte, & Ceruo est ridiculũ afferre ad pũctũ, de quo agim⁹. Exuit Serpẽs senectã, & Aquila pẽnas, & renouat rostrũ, nõ iuuenescit, sed adquirit vires pulsis excrementis, quod adducit Bellarminus ex mẽte Diui Augustini in Psalm. 102. Idem dicendum de Ceruo; sunt quædam manuductiones, ad nostram resurrectionẽ, & ad desideria nostra adimplenda. *Bellarm.* *August.*

Igitur vana sunt omnia, quæ de mortuis suscitatis referũt Gentiles, apparẽtia Magorũ, & Dæmonis opera, & quod de Cupresso refert Suetonius in Vespasian. vita. Scit intelligentia similia corpora mouere, & arborem erradicatam, & quasi mortuam iterum plantare, & viuidam, & florentem reddere, quia antequam deficiat vita, seu dispositio vitalis (quæ certa temperamenti constitutione, & spiritu vegetali continetur) iterum ad vbera terræ omnium plantarum matris, illam reducit: homines vero putant suscitatã. Sed non possum silentio præterire insanum errorem quorũdam ignorantium vnionem formæ cum materia: putant enim assistere solum, & vt facete dicebat Tertulian. lib. de Anima cap. 44. irridens Hermotimum. *Non est corpus animæ pro vagina, vt eximere inde eam liceat, ac denuo immitere.* Sed de hoc puncto alibi contra quendam modernum. Esset vero magnum diuerticulum agere de anima Samuelis, de quo puncto doctissimi Theologi scripserunt. *Sueton.* *Tertul.*

De potestate intelligentiarum ad morbos inducendos in parte sensitiua, C. XVII.

HÆC Consideratio magis pertinet ad nostrum lib. de morbo Sacro; nã cum Epilepsia sit affectio viuentis animalis, vt animal est, non videtur præter rem, breuiter explicare, vel adumbrare, plura quæ in parte animali, siue sensitiua, & motiua, potest efficere intelligentia.

De sensibus externis, & internis.

ALta meditatione perpendat quicunque corporum, & animarum curam

gerit

geris, quæ circa sensus externos possunt contingere: nam visum quem Regem sensuum appellat Philo. potest intelligẽtia multis modis perturbare, quia perturbata imaginatione efficaciter circa aliquod obiectum, facit vt videns credat, & affirmet videre, quæ re vera non videt, ita docet S. Thom. q. 6. de potentia art. 5. Præterea quanquam non permutet imaginationem, idest, quanquam ista illusio non incipiat ab imaginatione, potest intelligentia ipsum visum fallere circa obiecta, vt ait S. Iustinus ad q. 81. ortodox. Quod tribus modis contingere potest. Primo, mutando obiectũ velocissime, & occultando, & reponendo aliud in eius locũ, vt refert S. August. 18 de Ciuitat. Dei cap. 18. agens de socijs Diomedis. Secundo, mutando medium. Hunc autem effectum aliquando consequitur Magia naturalis, nulla intelligentia, aut maleficio interueniente, vt late videri potest apud Portan. lib. de Magia. Tertio, sẽsus immutatur, mutatione organi; cum enim intus existens prohibeat extraneum, vt docuit Arist. lib. 3. de anima, potest intelligentia ponere in organo visus, aut alio quouis sensu aliquid, quod impediat perceptionem obiecti veri, & percipiat aliud. Sed quo pacto faciat quod res visibilis non videatur, non est huius loci (esset enim magna digressio) Scio tamen esse controuersiam magnam inter antiquos, & modernos.

Philo lib. de Abrahã

S. Thom.

S. Iustinus

D. August.

Portanus.

Arist.

Quod autem intelligentia valeat actus potentiarum internarum perturbare facto tumultu, & vario motu locali in humoribus, & spiritibus, Caietanus docuit late 2. 2. q. 95. art. 3. adducens D. Thom. in disputatis, q. de malo, quæ est 16. de Dæmonibus. Hæc loca adeat lector, & discet, quomodo in contemplatiuis fieri possunt illusiones à Dæmone. Nos vero qui supra diximus omnia morborum genera posse fieri ab intelligentia per applicationẽ actiuorũ, nunc etiam affirmamus potentias seduci eadẽ industria, nã torpent à pituita, deprauantur à bile, & melancholia, & varijs insolitis motibus agitantur; ita vt homines appareant stolidi, aut phrenitici, aut extatici, & aliquando obloquantur plura deliramenta quandoque futura dicunt, vt insinuat D. Th. q. supra citat. in corpore.

Caietan.

Neque placent, qui dicunt mentis læsiones fieri ab intelligentia, quia mutat ad nutum species internas obiectorum. Ita senserunt aliqui quos merito refutat Scotus in 2. sent. dis. 11. q. vnica, quia species vniuntur cum parte vitali, seu potentia cerebri, & viuo animali non possunt partes fixæ separari. Ita Scot. Ego non hac via incedo; sed dico, quod siquidem supra ex mente D. Thom. docuimus non posse intelligentias cœco à natiuitate immittere species coloris, vt imaginetur colores quos nusquam vidit, signum certum est, quod non habet potestatem in species: quia si possent mouere species de loco ad locum, quare non mouent illas de vno capite in aliud? Quare illas non ponunt in imaginatione hominis cœci? Ergo aut sint in cerebro vnitæ iam cum potentia, aut sint in spiritibus, vt aliqui putant, non possunt moueri de vno in aliud corpus ob rationem dictam quam vt dixi; adducit S. Thom. q. 16. de malo art. 11. ad 9. atque adeo recurrendum est ad fundamentum supra adductũ quod sicut potentiæ læduntur à morbis, ita intelligentiæ producta intemperie, per applicationem actiuorum, poterũt similes errores, & læsiones producere.

Scotus.

D. Thom.

Tamen dubitare merito quis posset; cum tanta sit potestas intelligentiæ ad motum localem cuiuscumque rei, quare non poterit mouere species sensuum: nã quamuis concedamus non mouere eas, quæ vnitæ sunt potentijs vitalibus, tamen illas quæ sunt in spiritibus, & sanguine concitare poterit, & transferre de loco ad locum, quia sanguis, & spiritus trãsferri possunt. Quod autem phantasma, & sensibilium spectra, in sanguine versentur, docuit Arist. lib. de insomnijs. cuius verba sunt: *Nam cum dormientibus*

Dub.

Aristot.

illis

illis, plurima sanguinis copia ad sensum principem delabitur: vnà, & motiones illæ descedunt, quæ in ea materia continentur, aliæ potentia, aliæ actu. Sic autem sese habent, vt ex eis vna aliqua prior se moueat; qua assumpta, alia subinde comparet; &c. Explicat Arist. quomodo per insomnia appareat simulachra, quæ visa sunt, & audita, aut alijs sensibus percepta: dixerat enim, quod descendunt ad cor (quod primum sensitiuum semper putauit) ait nũc quod descendunt in sanguine: (intellige in spirituoso, & arteriali) atque species illæ cõtinuo vna post alteram ad cor descendunt, & prima specie iam recepta sensatio fit in corde, & hæc species vocatur in actu ab Arist. quia iam in actu percipitur; subsequitur vero altera, & altera (quasi vndę quædam in aqua) & istæ quę sequuntur, & sunt in via, vocãtur in potentia, quia nondum deuenerunt ad primum sensitiuum, sed deuenient. Itaque aperte Arist. fluxum istum, & refluxum specierum cum sanguine fatetur: & hoc modo explicat causam eorum, quæ in somnijs accidunt.

Caiet. *Durand.* Locus est difficilis, sed citatus à multis autoribus à Caiet. loco supra adducto, à Durando 2. sent. dist. 7. q. 3. de cuius veritate nunc non disputamus. Sed cum Peripatetici supponant, sensiles illas species defferri per sanguinem, aut spiritum vaporem sanguinis, aut si vis cum meliori parte Medicorum, in spiritu animali transportantur: ad præsentẽ occasionem sufficiens argumentum est, ad dubitandum. Quare intelligentiæ nõ mouent localiter species istas? siquidem & ipsę mouentur motis spiritibus, & sanguine? Respondeo, species nil esse aliud quam fluentes quædam similitudines ab obiectis, nec vllum esse habent permanens per se, sed sicut lux neutiquam permanet in medio absente luminoso, quia pendet ab illo in esse, & in conseruari, ea dependentia, qua dependent successiua à suis principijs; ita prorsus species pendent; & sicut intelligentia non potest mouere lucem localiter, si non moueat luminosum, ita etiam, neque mouere poterit species, neq; alias res fluẽtes vt tẽpus motus, &c. Quia istæ nõ habẽt partes simul, nec sunt entia completa, sed tendentiæ, & fluxus, & ob id nõ possunt transferri, nisi simul transferantur principia agentia, & fontes à quibus effluunt, non enim sunt, vt aqua, quæ potest portari ad potum, manente fonte, aut fluuio, sed sicut figuræ in speculo, quæ euanescunt ablato speculo, aut corpore quod præsentatur in speculo. Ergo sicut motus qui est actus mobilis tendentis, non potest portari ab intelligentia, sine mobili, ita neque species, sine potentia vitali in qua resident, aut sine obiecto à quo fluunt. Duplicem enim statum inuenimus in speciebus. Nam aut sunt iam potẽtiæ vitali vnitæ, & habẽt se quasi forma, & materia constituentia vnum, vel sunt in medio, vt visibiles, & audibiles in aere externo, aut secundũ Arist. in sanguine vaporoso. Quodcunque sit, naturalem potestatem nullam habet intelligentia, vt illas possit transferre, neque ipsæ species sunt transferibiles, quia neque possunt separari localiter à potentia, vt dicebat Scotus, & sunt omnino inseparabiles à medio, quia non sunt entia mobilia, sed similitudines obiecti, vt dictum est, dependentes omnino à præsentia obiecti, quod, vel quo, idest, aut ab obiecto externo quod, aut ab specie impressa interna, quę se habet vt quo. Confugiet igitur intelligentia ad ea quæ potest facere per falsas aparitiones, & ad applicationem actiuorum, vt sæpius diximus. *Species licet nõ sint motus, pẽdet ad modũ motus.*

Non enim repugnantia possunt fieri; repugnant vero naturæ, quod ea quæ simili modo pendent, & tam debilem, & imperfectam habent essentiam (vt non sint præter res à quibus, vel ad quas sũt) valeant ab intelligentijs transferri, sine proprijs rebus; neque hoc solum facere non possunt intelligentiæ, quia repugnat, sed neque dare valent brutis discursum; nam licet bruta ope intelligentiæ aliquando loquuta sint humanis verbis;

tamen

tamen id factum est sine proprio discursu bruti. Sermo enim siue oratio est interpres humani discursus, quod cap. 9. Pimandri dicebat Mercurius, *Oratio est soror intelligentia*. Et vt eleganter Philo lib. quod deterius, &c. & lib. quis rerum diuinarum hæres. *Sermo est riuus mentis, tanquam fontis, aut mentis frater, et etiam quasi obstetrix*: quod alijs verbis dixit Melantius lib. de homine, cap. de multiplici facultate, dicens. *Oratio est Angelus intellectus*.

Mercur. Philo. Melant.

Dub. Sed merito dubitatur. Nam secundũ Peripateticos species fluunt à sensorijs in sensum Principem, per spiritus & sanguinem. Ergo cum intelligentia valeat mouere sanguinem, & spiritum simul etiã mouebit species: Dico quod iuxta placita Arist. bene poterit intelligentia mouere prædicto modo species; non enim illas separat à præsentia obiecti, & potentiæ, siue sensorio; sed hoc intra eandem spheram animalis, & consequenter insomnia, quæ vi humorum, & apprehensionum, & sensationum externarum & internarum contingunt naturaliter; similia poterit intelligentia causare, atq; terrores, & pauores quos recẽset Hipp. in hoc lib. de morbo Sacro, vbi fieri dicit per somnum, ita possunt fieri ab intelligentia, applicatis, spiritu, & sanguine cum phantasmatibus varijs sensatis.

Resp.

Sed (vt dixi) intra corpus ipsum animalis, vbi phantasmata illa, & motiones vocatæ ab Arist. actualem habent dependentiam à suis principijs.

Ex dictis sequitur intelligentias nullã habere potestatem in animam rationalem, nisi maxime remote, & ex accidenti; cum enim animi mores corporis temperiem sequantur, vt Galen. suo lib. probat: facit intelligentia vt mutata temperie in hanc, aut illam exuperantiam, aut motis his, aut illis humoribus animam rationalem inclinet ad affectus hos, aut illos. Tamen intelligendum est, nullam vim posse inferri libero arbitrio & voluntati: vnde Ciprianus ille Magus qui arte Dæmoniaca Iustinam ad amorem concitabat, nihil profuit, & relicta falsitate ad veram Religionem cõuersus Martir extitit, quia intellexit vanam Dæmonis potestatem. Itaque nil possunt intelligentię in animam nostrã, nisi solum ea, quæ ex occasionibus externis, & corporis mutationibus possũt proficisci. Atque adeo cogitationes, & imaginationes hoc pacto excitari; nequaquam tamen possunt voluntatem nostrã coercere. Sed tempus est, vt de alio Diuino, quod morbos valet causare, agamus.

De anima rationali, quæ causa Diuina est morborum, & ordine tertia, Cap. XVIII.

QVod anima nostra multorum morborum sit causa, docuimus multis in locis nostrorum laborum, agentes de affectibus animi, pulsum immutantibus, & in Hipp. Philos. & in tractatu de febribus ephimeris, & est doctrina D. Thomæ lib. 3. contra gentes, cap. 99. quam communis probat Medicorum consensus. Ex amore vidimus maniacos, melancholicos, quos refert doctissimus venerandus Parens noster in suo lib. de Melãcholia. Alios tabidos, & varijs morbis afflictos, à timore suffocatos, à gaudio exanimes, ab ira furiosos, febrientes, a tristitia hecticos, & mulieres a quocunque istorum affectuum abortientes.

D. Thom. Parens noster.

Sed qua ratione tales causet effectus, esset alibi dicta, nunc repetere. Sufficiat dicere, talem esse potentiam obedientialem in spiritibus, & sanguine ad suscipiendam ab anima mutationem per illius affectus, vt aliqui existiment sanguinem, & spiritum viuere, aliter nõ possunt intelligere, quomodo tan cito ad apprehensiones, & magnas cogitationes moueantur: exiliunt in ira, absconduntur in metu, feruent in amore, flacescunt in tristitia, fundũtur in gaudio. Sed reuera non viuunt, vt late probatum reperies contra Scaligerum; & alios est

ergo cordis cum spiritu, & sanguine tã ordinata sequela, & sympathia, vt quam primum, ad appetitum mouetur cor, sequatur spiritus, ita vt qualis fuerit actus appetitus, tales sint motiones cordis, & spiritus. Nullam nunc facio mentionẽ imaginationis, aut cogitatiuæ; istę enim potentiæ non sunt ex se motiuæ, sed solum proponunt bonum, aut malum appetitui: Appetitus autem est qui mouet, & quamuis hoc, satis pateat in motibus localibus progressiuis; ex his manuducimur ad motum cordis, & spiritus intelligendum, licet causa sit magis obscura, & solis Philosophis luceat. Est autem ita connexa, & simultanea, motio cordis & spiritus in affectibus animæ, vt dubitent docti de prioritate: an prius moueatur cor, & statim spiritus, an è contra.

Quid vero in hac difficultate sentiã, paucis dicam. Video subordinatum appetitum apprehensioni, & iudicio in affectibus animi, nec posse mouere, nisi præcedat apprehensio. Sunt vero duo, quæ ab illo possunt moueri, cor scilicet, & arteriæ; & secundo, spiritus vitalis: ordo naturæ petit vt prior sit motio cordis, deinde cor moueat spiritum dilatatione, & compressione. Sed experientia longa didici non mutari pulsum ad simplices, & remissas appetitiones, sed ad magnas. Rursus conspicio magnos Philosophos opinari, spiritum moueri in nostris corporibus per quandam sympathiam & consensum cum potentijs animæ non solum appetitiuis, sed cognoscitiuis, ita colligo ab aliquibus autoribus, sed spetialiter. Suarecius doctiss. Iesuita. *Suaretius* ad hunc modum dicendi inclinat in Methaphis. sed non intelligo ad quid sit necessaria ista sympathia spirituum in ordine ad motum, si ponimus necessarium influxum appetitus mouentis tales spiritus dicto modo; nisi forsan ad alios fines, quos communes habemus cum mixtis, & elementis, de quo puncto non est nunc agendum. Posset tamen aliquis cõtemplari, vtrunque concurrere in motione spiritus ab anima, & appetitum, & sympatiam; quod cum non includat repugnantiam, sed potius conuenientiam in ordine ad finem, non videtur negandum.

Vnde falsum existimo, quod aliqui somniant; moueri scilicet spiritum in casu dicto à musculis virtutis animalis. Isti siquidem motus de quibus loquimur non pertinent ad facultatem liberã, quę per musculos exercet motus locales, aut excitãdo exequentẽ quæ residet in musculis. Mouetur igitur spirit⁹ immediate à corde, & arterijs, quæ instrumenta sunt appetitus cordis in eius passionibus, nõ à musculis. Quam veritatem inde cognosces, quia otiantibus omnibus musculis, & quieto animali, concitantur perturbationes animi, mutantur pulsus, & tandem spiritus concutiuntur. Contingere vero potest, quod iam motus spiritus à corde appetente, rursus spiritus attritus calescat, incendaturque, & fiat noua causa alterius mutationis in corde; hoc quidem pacto excitatur febris, & feruor qui reperitur in ira. Vide modum quo anima causat morbum, aut sanitatem in suo corpore. Similatur certe intelligentiæ in aliquo, & differt in alio. Similatur quidem in applicatione, quia sicut intelligẽntia applicat agentia, & patientia, ita & anima. Sed differunt quam maxime, quia intelligentia quam libet potest facere applicationem; anima intra proprium corpus, & determinate per suos affectus. Rursus cum sit vera forma corporis (quod intelligentiæ non conuenit.) aliquid habet eminens quod potest exire in actum in ordine ad materiam quam informat, & in ordine ad omnes gradus quos tribuit.

Est vero quædam apparens contradictio in nostris scriptis, quam nunc componere licet. Nam opusc. 3. de pulsib. c. 8. defendens contra nostrum eruditissimum Vallesium non posse mutari pulsum sine permutatione causæ continentis: dixi, quod anima non valet causare ægritudinem, nisi mediet variatio spiritus, variato vero spiritu, variatur consequen-

sequenter vsus, & mutantur differentiæ pulsus. Nunc autem primum locum tribuo appetitui mouenti. Sed nulla est cõtrarietas, quia ibi vt satisfacerem Vallesio, posui manifestam mutationẽ in vsu, ab agitatione spiritus prouenientem; vna autem ex causis continentibus vsus est. Ergo cũ in affectibus animi semper moueatur spiritus, concedendũ est mutari etiam vsum, vt in ira; quin & aliquãdo facultatem, vt in spiritus defectu. Et sic loco citato manet verum, nunquam mutari pulsum, nisi fiat aliqua mutatio, aut in vsu, aut in facultate, aut in instrumento, quamuis exemplum posuimus in solo vsu. At vero in præsenti contemplatione, idem affirmamus ad defendendam dictam conclusionem: quia anima per suos affectus, si primo mouet cor, & arterias, antequam moueatur spiritus, idẽ sequitur contra Vallesium, nempe quod nunquam mutetur pulsus, sine mutatione alicuius causæ continentis. Modo appetitus per suas passiones vna est ex causis, quæ mouet instrumenta. Sed subtiliter notandum est, quod in corde resident duæ motiuæ facultates (relinquo alias) prima est appetitiua, sed hæc non mouet, nisi per manifestos animi affectus, & quando mouet non generat pulsum, sed immutat illum. Secunda facultas est pulsifica à Medicis vocata, hæc quidem producit motum. Ordo talis est; vt pulsifica generet pulsum, sed ita obedienter, vt omni mutationi pareat, quam exposcit appetitiua. Vnde semper stabilitum permanet, quod anima mutat pulsum per suos affectus mutata prius aliqua causa proxima continente: enumerabiturque appetitus inter causas alterantes, seu permutantes, non inter generantes. *Nota.*

(.?.)

Quod hoc Diuinum in morbis maxime est considerandum ad curationem, Cap. XIX.

CVm anima sit causa sanitatis, & morbi in corpore propio, vt dictum est, maxime aduertere oportet, quando morbus ab anima procedat; omnis siquidem curatio immutari debet: quod magis difficile est quanto abditi, & occulti sunt spirituales modi causandi. D. Thom. id insinuat, in illa celebri propositione, quam explicui latius locis citatis, ait lib. 3. contra gentes. *D. Thom.* „ Anima potest causare ægritudinem, & sanitatem in corpore, sine hoc quod assumat aliquam causam, media qua operetur, ergo à fortiori Deus qui est supereminens, & omnipotens, poterit efficere aliquos effectus, sine interuentu causæ secundæ, siquidem Deo est magis subdita omnis creatura, quam corpus animæ. Hæc doctrina D. Thom. solicitum reddit Medicum curatiuum contemplantem causas morborũ, inter signa siquidem causarum non repetiet, vnde colligat curationis initium, nec modum causæ, nec varietatis incrementi, & accidentium, quæ in morbis solent, non solum superuenire, sed à principio coniungi. Quid facies, si vnam, & alteram, atque alteram mutationem vides in febribus, & plura accidentia mali moris, & omnino ignoras causam, quia signa non adsunt, quæ tibi fidem præbeant. Num ne incipies cogitare, an sit aliquid Diuinum? Cogita ergo aliquando an anima suis affectibus, agitet etiam spiritum, & sanguinem, & varijs accidentibus pulsum inæqualibus differentijs permoueat. Mederi enim primo oportet languoribus animi, quam corporis, cum isti ab illis proficiscantur. Scrutare, & si potes interroga, aut ablatis omnibus causis, quæ solent tales mutationes efficere, incipe altamente perpendere, quod sit Diuinum, & inductione deuenies ad animi secretiora.

Plures obseruationes,& historias referre possem,vt rederem Medicos magis attentos,ne audaciter,& turbulenta imaginatione decernerent circa rem grauissimam. Tales equidem,& tam variæ,& complicatæ sunt affectuum animi differentiæ,vt non solum Medicos rurales, qui in oppidulis cõmorati sunt,decipiãt sed doctiores etiam fallant. Vidi infirmam diuino morbo non solum laborantem,sed iam confectam, multoties sine pulsu,vomitibus,& subuersionibus afflictam,præ tristitia hecticam, dilectissimi viri amplexus fugientem,& in occultis amoris vinculis prorsus fastidientem, iracundam, furentem, nullo loco stabilem,obitum anxie desiderantem. Ego cũ ista accidẽtia contemplarer, & verba illa Hippoc. *Numen in mulieribus magnam vim habet*. Mihi persuasi à maximis animi passionibus,& apprehensionibus prędicta omnia mala proficisci. Quæ cum similia sint his quæ à Dæmone inferuntur,vel à maleficis,aliqui Medici existimarunt,aut ab assistente, aut obsidente malo spiritu,aut à maleficio cum aliquo pacto,detineri miseram ægrotam. Sed quid dicat Hipp.de istis Medicis,vidim⁹ in isto lib. Huius tẽporis desidia maxima est,nã cum videant auxilia Medica non prodesse,Dæmonis actiones esse dicunt, & exorcistas vocant;sic à solicitudine se eripiunt,& vulgo satisfaciunt. Sed libertate Philosophica affirmandum est cum Hipp.omnia prædicta accidentia,& plura alia ab affectibus animi prosilire consueuisse,aut ab alijs humanis causis. Anima per suas passiones impedit vtilitatẽ remediorum,voluptates toruo vultu fugit,amabilia odit,in parte animali rectrices turbat, in parte vegetali coctiones, nutritiones,expulsiones,tractiones corrumpit,generationis actum pro speciei conseruatione abhorret,sterilitatem inducit. Adeo mira ostendit,vt Dæmoniũ fingat,& Medicos vulgares decipiat;præcipue cum superficiem literę Auicen.legerint,qui aliquos cerebri morbos Dæmoniacos vocat ita lib.3.f.1. tractat.3. cap.6. *Dicitur Sibarè Dæmonium superfluum*.& tractat.4.cap.15. *Expositio Maniæ est Dæmonium lupinum*,& post paucas lineas. *Et scias quod materia faciens Dæmonium lupinum,est in substantia materia facientis melancoliam,quoniam vtræque sunt melancholicæ: verumtamen causa faciens Dæmonium est melancholia adusta,facta aut à cholera,aut à melãcholia,quæ est deterior*. Sed quod Auicen non agat de intelligentijs damnatis,dilucide colligitur ex eius subtilissi commentatore. Consueuerunt Arabes Maniacos aliquos per antonomasiam dementes appellare, quando nõ vna,sed omnes potentiæ rectrices deprauatæ cum maxima malitia apparent;inde hoc malum dicebatur Dæmonium,à mane,vt aduertit Gentilis,idest integra dementia, à melancholia adusta,aut bile torrida proficescens. Itaque definitio, nominis prodest aliquando, ad quid rei intelligendum:igitur non inducit Auic. Dæmonem vt autorem huius morbi,sed speciem Maniæ declarat.

Auicena.

Alij morbi(quos falsò Medici tribuunt Dæmoni)possunt ab anima prosilire,quæ per suas passiones,semper causat effectum phisicum. Intelligentia *non semper. Vtraq; actio,sine contagio*,Cap.XX.

Dicta non sufficiunt; eritque vlterius philosophandum, propter quosdam Neothericos. Quatuor propositiones sũt declarandæ, vt quædam nebulæ discutiantur. Primo affirmare audeo, omnes morbos adductos à quibusdam Medicis, & alia signa Dæmonis, multoties oriri ab anima,sicut & alia iam relata. Nam quod in consultationibus hæreant,& dubitent Medici de natura morbi. Quod auxilia nõ prosint. Quod morbus humanis remedijs non cedat. Non ob id asserendum est ab intelligentia malum concitari;quia ea est passionum animæ vis,& effi-

efficacia, vt omnia turbet, multa impediat, prodigia faciat: si vero non adsint affectiones prædictæ, ab alijs causis (quas Hipp. vocat humanas) proficisci possunt, quando vero morbi sunt complicati, à varijs causis orti, curationes sunt dubiæ, consilia hæsitantia, euentus difficiles, ingrauescunt morbi, ipsis auxilijs, quibus fides erat comissa. Ob quid? quia licet videatur Medicus ex arte procedere, cõtingit multoties, vt vnus morbus mitigetur, & alter cõplicatus assurgat, & increscat; increscunt vero omnes, viribus exhaustis. Sũt præterea aliqui ex propria conditione intractabiles, vt atrabiliarij, quos si delinias, non curas; si curas, interficis, quales quædam sunt species cancri, & similes alij: ergo ridicula consequentia erit; morbus non dignoscitur, non curatur, furit; ergo à dæmone procedit.

Adducunt aliud signum fallacissimũ; Morbi [dicũt] communes, remisse incipiunt, crescunt, stant, declinant. Morbi à dæmone statim magnas exerunt vires. Quis non videat, hunc eundem modum multoties seruari in affectibus animi? Nam quando passiones affatim ingruunt, culmẽ etiam accidentium attingunt; adeò vt non solum morbos veloces, sed mortem inopinatam adducant. Rursᵒ sine vllo animę affectu multi morbi sunt, qui statim extremos habent labores. Igitur autores, qui hoc nobis signum proponunt, vt ista distinguamus, omnino cœcutiunt.

In tertio signo constituunt plures morbos & symptomata, quæ indicant Dæmonis actionem, & non animæ, aut alterius causæ, sed falluntur sine dubio. Quia incõstantia, varietas in periodicatione, luctuosa suspiria, dolores vagi, quidam motus rei suffocantis ascendentis & descendentis, frigidissimus flatus in ventre, punctiones per totam cutem, ignoratio partis dolentis, neque scire passiones refferre. Omnia hęc facile reduci possunt ad causas communes morborum sine vlla interuentione Dæmonis. Si vero ad animæ statum recurras, omnia prædicta & alia mirabilia per illius passioness scaturire perspicies; & inter illas, accede ad mare illud magnũ, quod omnium passionum vinculum vocamus, amorem scilicet, in isto pelago si philosophice discurris, principia inuenies tantorum malorum.

Secunda propositio. Anima per suas passiones semper effectum physicum producit. Hæc solum indiget breui explicatione. Appetitus sensitiuus, ad quẽ pertinet motus prosecutionis & fugæ, immanenter; etiam habet in animali perfecto mouere transeunter cor, & spiritum, aut sanguinem, inde refrigerationes, & calfactiones. Itaque semper adest motus localis, & alterationis, & ita necessario sequitur effectus physicus magis aut minus intensus, sensibilis, aut insensibilis. Sed propositio sequens, petit diuersam difficultatem. *2. Prop.*

Non necessario energumenus morbo laborat. Hæc cõstat, quia hoc quod est, stare Dæmonem intra corpus, non potest dici morbus: siquidem morbus, est affectus præternaturã inhęrens viuenti, vt forma: nemo vero dicet intelligentiam damnatam esse affectum corporis vt accidens inhęrens subiecto, sed stat ibi, vt alibi poterat stare, neque est morbus, in numero vt sextus digitus, aut alia pars addita: quia talis additio debet esse eorum quæ pertinent ad numerum partium componentium. At malignus spiritus ad numerum viuentis partium minime pertinet, sicut nec cibus qui ingeritur, aut aliud simile, si discurrens per omnes morbos, in nulla specie inuenies existentiam Dæmonis. *3. Prop.*

Dices sufficere esse causam morbi. Rectè arguis. Sed cum ista causa, actu non lędat, & cũ optima sanitate iungatur, de facto ad Medicam contemplationem non pertinebit, nec poterit dici morbus.

Quod experientia firmatur; nam vidimus energumenos optima corporis valetudine frui. Et nunc Hispali, illa ventri

triloqua ex Goa Indiæ Orientalis ciuitate, cuius mentionem fecimus, cum de Engastrimithys agebamus, inter alias causas ob quas, nullo precio, vel prece potest adduci eius Dominus, vt illam vendat, ea est, quia ita valet viribus Ad munera seruilia, & perfecta sanitate gaudet, vt illius ministerio vniuersa domus innitatur. Solum illud habet, quod Dęmon per sinistrum latus ventris inferioris, responsa & oracula pandit. Itaque aliqui energumeni, & Pythonissæ vexantur, torquentur, aliquæ minime, ergo non necessario habent phisicum, nec Medicum morbum.

Quod si ad Dominum redemptorem nostrum adducebantur, & sanabantur, verum quidem est; nam ait Sacer textus, *Et qui vexabantur ab spiritibus immundis sanabantur omnes*. Clare insinuans, torqueri à morbis. Quod si alij adducebantur non vexati, sed soluti à Dæmone obtenti, sanabantur etiam, quia meritò illi sanari, & liberari dicũtur, qui licet læsiones sensibiles actionũ non habẽt in corpore, causam tamen pessimorũ morborũ animi, & corporis intus continent. Misericordia Domini ad omnes se extendebat, vt simul omnipotentiam manifestaret, & hæresim Saducæorum prorsus aboleret, qui eo tempore maxime florebat, asserentium nullas esse intelligentias. Monstrabat pijssimus Iesus esse tales spiritus, sed subditos suæ diuinæ Maiestatis imperio.

His intellectis, satis constat, energumenum (præcise loquendo, vt talis est) non posse phisico contagio alios afficere ad similem miseram obsęssionem: sicut anima per suas apprehensiones, aut appetitus aliena corpora non attingit. De morali autem contagio, cum nõ pertineat ad præsens institutum; nil dicendum, sed ista digressiuncula relicta filum priorem sumamus.

Quid Raptus, & Extasis, Et in quibus Regionibus reperiatur. De morbis consecutis. De Restituti raptibus. De sudante adlibitũ Ludouic. Viues reycitur. Mirabilis Deus in Scoto. Cap. XXI.

RAptus est motio extra propriã naturã, cum aliqua violentia, per quam res alienatur à seipsa. Proiicio lapidem sursum, motus iste raptus dicitur, quia lapis rapitur extra propriam conditionẽ; est enim inclinatus ad centrum deorsũ, & rapitur sursum. Tamen notandum, quod quamuis lapis tendat ad centrum terræ, si tamen iste motus fiat cũ aliqua violentia ab extrinseco illata, etiam dicetur raptus. Proiicio lapidem deorsum sed cum magna vehementia, quæ excedat grauitatem illius, certe possumus dicere lapidem pati raptum, quia quoadmodum patitur violentiam siquidem celerius rapitur, quam eius exposcat conditio.

Extasis non dicit præcise, istam violentiam, & præternaturalitatem, quia solum est secuta ad egressum naturæ ad bonũ cui vnitur, & in hac præcisione, potius includitur delectatio quędam quieta, & perfectiua, quæ licet trahat extra se naturam, & alienet, tamen cũ fiat totum hoc opus à bonitate finis dilecti, & fruibilis, non includit violentiam, siquidem duo illa quæ Arist. optat ad violentiam non reperiuntur. *De extasi animæ rationalis à Deo eleuata.*

Sed descriptionem huius status animæ, Hermes Trismegist. sic proposuit (lib. 4. qui dicitur clauis, interprete Francisco Patric) *Cognitio namq; ipsius, & contemplatio, est silentium, & omnium sensuum requies. Neque enim quicquam aliud potest intelligere, qui ipsam intellexit*, (loquebatur de diuina bonitate] *neque aliud quidquam speculari, qui hanc vidit, neque de alio quoquam audire, neque omnino corpus mouere* *Hermes Trismegist.*

uere; omnis namque corporeorum sensuum, & motionum correptio quiescit.

At in lib. 3. Ethicor. cap. 1. causa extrinseca violenter mouet: & passum nil confert ad talem motum, imo repugnat. Nil horum video reperiri in Extasi de qua loquor cum Dyonisio de diuinis nominibus, quando dicebat; Amor Extasim facit, nam Dei amor extrahit animũ dulcissimis vinculis, vsque dum, desinat esse in se, & sit in Deo, ita vt possimus dicere cum Paulo, iam non ego, viuit in me Christus. Talis est amoris potẽtia, vt faciat homines Deiformes, mortuos sibi viuentes Deo. Ista est vera Extasis, in qua nulla violentia inueniri potest; nam illud quod perficitur per vnionẽ ad proprium finem, nullo modo recipit violentiã, sed superadditã perfectionẽ. Igitur Extasis, est naturalis ex parte termini. Rursus ex parte modi, & tendentiæ non habet violentiam, quia dummodo voluntas sequatur illustrationẽ intellectus suadẽtis amare summũ bonum, sine dubio absq; violẽtia fertur in Deum, & ipsa neutiquã repugnat, sed confert, & elicit actum amandi, quia ille est modus naturalis homini, vt per visibilia ascendat, ad inuisibilia Dei conspicienda, & toto corde diligenda, vsq; ad transformationẽ, & vnitatem cũ ipso Deo, fine proprio. Si vero non ascendit per istum modum discurrendi, sibi cõmunem, & naturalem, sed altiori via, suscipiens à Deo misericorditer supereminentem claritatem Diuinæ gratiæ; qua intellectus eleuatus, & voluntas incensa ferantur, vsq; ad transformationem. Existimo tantum abesse, vt reperiatur violẽtia, quin potius adsit verus accessus ad naturalẽ statum hominis in quantum rationalis est, & creatus ad beatitudinem.

D. Dioni.

Dub. Sed dubitas, quia corpus, patitur violentiã, & omnes virtutes, seu potẽtiæ affixæ organo corporali, siquidẽ destituuntur, debita sibi animatione, & spiritibus, animalibus, & vitalibus.

Resp. Respõdeo, quod quãdo seruatur ordo naturalis, nõ possumus dicere adesse verã violentiã, atq; cũ potentiæ inferiores subordinẽtur naturaliter superioribus: terminus, & finis omnibus debet esse naturalis, quãuis sit differentia, quantum attinet ad proximitatem, vel distantia à fine. Voluntas, & intellectus ordinãtur ad summum bonum; sicut sensitiua; non proxime, sed vt ancilla intellectus; ita pulsifica, nutritiua, &c. famulæ sunt eiusdem sentientis. Sed tandem sequuntur superiorum perfectiones, & ita perfectio animæ redundat, in corporis perfectionem, & in hac consideratione nullam violentiam possum assignare in facultatibus corporalibus, quia sequuntur supereminens imperium spiritus, in ordine ad summum bonum.

Et hoc dico de Extasi vere spirituali excitata à cognitione, & amore Dei, sub quibus duobus membris comprehendo nõ solũ cognitionẽ per meditationẽ, aut cõtemplationem, sed etiã illustrationes, quæ ex affectibus animi erga Deũ solent proficisci. In qua re aliqua sũt animaduertenda, ad Medicum pertinentia. Primo, quod ita pacifica est, & suauis ista Extasis vt nullam causet alterationẽ morbosam in corpore, imo vt est pax, & tranquillitas in anima ita in humoribus. Neq; eos qui hac via ducũtur à Domino, vidi morbis obnoxios, aut alijs accidẽtibus, & perturbationib⁹ corporis implicatos. Hoc dico quatenus attinet ad istos affectus dicto modo extaticos, nam cum in illis nõ ferbeat amor inquieto modo, sed superferbuerit, & quasi in termino, & portu nauigationis, & laboris, discursus, & meditationũ remisso feruore, apparet quædam tranquillitas, & æqualitas spiritus resultans ex vnione ad Deũ, vt in hoc statu, nõ comunicetur sanguini motus aliquis, ducẽs ad morbũ sensibilem, quia quod reperitur in spiritu quies est, & ad istam quietem, quiescunt reliqua.

Secundo aduerto quod in ista regione animæ, & in isto statu quieto non contingit necessario inferiorum potentiarum, & illarũ actuum suspensio, imo (quod põderandũ est) omnes potentiæ quasi actuatæ sunt à præsentia Dei occupatæ; præsentia autẽ Dei, & vnio illius, non priuat viatorẽ suis actibus, sed perficit, & eleuat ita vt bene operentur potentiæ, cũ tamẽ

aduertentia quæ actionibus solet conso ciari, sit prorsus imbibita, & absorta in Deo: itaq; solũ aufertur ab actionibus aduertentia quædam particularis; & ex consequenti, nil quod sit morbosum in ipsis reperitur, quia ea est eminentia Diuina, vt licet sibi associet aduertentiam, relinquat potentias in tali statu, vt non errent in necessarijs. O amor omnipotens, cuius Extatica perfectione existimo, purissimam, & omnino immaculatã Virginem Mariam Dominam nostram, & Matrem Iesu, vitã transegisse Beatam non raptu, sed Extasi supereminenti, integris omnibus potentijs [stabat sic iuxta crucem] non amissis sensibus, nullo defectu animi, nullo defectu corporis.

Sed ad aliam regionẽ animæ accedo, quæ raptibus subiecta est, in hac habitat potentiæ rectrices cogitatiua, imaginatiua, fantasia, & memoria, atq; appetitus sensitiuus, quam sensualem regionẽ possumus nominare, quia omnes facultates sensitiuæ, aut internæ, aut externæ ad eã reducuntur, atq; cum omnes istæ potentiæ vtantur organo corporeo, & obiecto corporali, aut à corporibus fluente. Clarũ est intelligentias scire, & cognoscere quid in illis agatur, & quomodo illas possit mouere, allicere, aut abstrahere. Atq; cũ in ista regione contingat raptus proprie dicti, qui possint fieri à Deo Opt. Max aut ab alia causa satis diuersa; maxime difficilimum, & arduum opus est tales mutationes cognoscere, an fiat à Deo an à propria voluntate, an à Dæmone.

Dixi raptus in hac regione reperiri, quia præcisione phisica loquendo raptus inuoluit aliquã violentiã, vt supra tetigi ex D. Thom. At raptus sensitiuus (sic liceat nunc loqui] seu qui versatur circa sensus, reuera violentiam includit, aut antecedenter, aut consequenter. Vidimus siquidem tantam esse sanguinis commotionem & cordis mutationes, respirationisq; vt contingant cruentæ spuitiones, capitis grauitates, faciei inflãmationes, dolores multiplices, fluxiones variæ, vẽtriculi, & viscerũ debilitates, & alia plura, quæ consequuntur ad influentis cali. di raptum, factum ab appetitu, & imaginatione: Atq; quamuis dispositio ista soleat fieri ad apprehensionem aliquã imaginariam rei Diuinæ tendentis ad Deum, tamen cum fiat in parte imaginante, poterit aliquando contingere, vt fiat à malo Dæmone falsam visionem imaginariã inducente, aut à proprio appetitu vehementer moto, ob aliquem vanitatis finẽ, quod vt est difficile distinguere, ita maximè dolendum.

Vnde dubito circa raros illos casus, quos refert D. August. lib. 14. de Ciuitat. Dei c. 24. cuius verba circa rem ita grauem libuit adscribere, postquã alias res mirabiles recensuit, sic ait: *Ipse sum expertus, sudare hominem cum vellet. Notum est quosdam flere cum volunt, atque vbertim lacrimas fundere. Iam illud multo est incredibilius, quod plerique fratres memoria recentissima experti sunt. Præsbyter fuit quidam nomine Restitutus in parochia Calamensis Ecclesiæ: quando ei placebat, rogabatur autem, vt hoc faceret ab eis, qui rem mirabilem coram scire cupiebant: ad imitandas quasi lamentantis cuiuslibet hominis voces; ita se auferebat à sensibus, & iacebat simillimus mortuo, vt non solum vellicantes, atque pungentes minime sentiret, sed aliquando etiam si igne vreretur admoto, sine vllo doloris sensu; nisi postmodum ex vulnere, non autem obnitendo, sed non sentiendo, non mouere corpus: eo probabatur, quod tanquam in defuncto nullus inueniebatur anhelitus: hominum tamen voces si clarius loquerentur, tanquam de longinquo se audisse, postea referebat.* Hæc Augustin. D. August.

De vnoquoque casu dicam, quod sentio. Hęc omnia, vt & reliqua scripta mea subijciens correctioni, sapientiæ Diuinæ quæ residet in Ecclesia.

Sudare pro arbitrio, admirationis habet multum. Displicet tamen in hoc loco Ludouicus Viues, quia dicit idem, sibi contigisse Brugis, cum febribus tertianis teneretur sudabat, si detinebat paulisper spiritum, & bene opertus. Sed non intellexit locum Augustini; nam miratur Sanctus, quod aliquis sudet cum voluerit,

supponens per solum imperium voluntatis id fieri, tempore sanitatis, quando nulla est causa sudandi, præsertim cum dixerit Diocles omnem sudorem esse vacuationem præternaturã; tamen in febribus & præcipue tertianis, quæ sudore terminari solent, Quid mirũ, si Ludouicus Viues sudasset, humoribus tenuissimis peccantibus, aucto calore per detentionẽ spiritus, & multis stragulis coopert⁹? quotidie videmus, in similibus morbis, & corporibus raræ contexturæ paruula diligẽtia, & ad libitum sudorem excitari, & prçterea sunt quædam febres ex propria cõditione sudorificæ. Ergo miratur Augustinus, vt magnus Philosophus, & loquitur Viues, vt Grammaticus.

Attingo mentem Augustini. Sudatio præcise loquẽdo, est opus naturale; nam est euaporatio à calore tenuante, & leuitante humidum aliquod exhalans; aut resudans, quod videmus in plantis, in lapidibus, non solum in animalibus; quia licet in his reperiãtur virtutes vitales concurrentes ad istum effectum, tamen non sunt animales, sed vegetales. Rursus voluntas, aut arbitrium non habet aliquod dominium in actionibus huiusmodi. Nõ enim ad libitum potest aliquis coquere alimentum in ventriculo, vt quod debet coquere in septem horis coquat in duabus, quia instrumẽta coctionis neutiquã subdita sũt virtutibus animalibus quoad entitatẽ actionis, cũ sint ita diuersi generis. Ergo sudare ad libitum prodigiosum certe est, sicut coquere, aut trahere alimoniam. Notãda sunt verba S. Augustini (cũ volebat, sudabat) nõ aliam actionem dicit, nisi volũtariam, quia conscius erat diuinus Philosophus, quod interpositis alijs actionibus, & potẽtijs, posset homo sudare, vt si curreret, & fatigaretur, &c. At solum per simplicem electionem sudare, videtur profecto mirum; & causam quærit Augustinus.

Similiter de lachrimis; frigide satis sensit Ludouicus Viues, nam Augustinus loquitur de viris, qui validiores, & maxime distantes à natura fœminea, non facile plorant. Ludouicus adducit mulieres. Quid magis alienum à mente Augustini? Miratur quod vir ad libitũ ploret, non quod mulier, cui ob mollitiem, humiditatem, & conditionis fluxibilitatem in promptu sunt lachrimæ. Verba Augustini. *Notum est quosdam flere, &c.*

De Restituto quid dicam? Inter omnia in illo capite relata, hoc August. iudicat incredibilius, multa paucis complexus. Incredibile certe est. Restitutum se ita abstrahere prout illi placebat, credibilius hoc fieri ad nutũ alterius potentioris causæ. Sed quæ causa? Alij doctiores iudicẽt. Ergo Restitutũ crediderim à Dæmone agitari. Ostendo, quia abstractio illa à sensibus, ad libitũ, & adstantiũ imperiũ, quomodo credi potest à Deo directe proficisci, cũ Deus omnia ad humilitatẽ, & verã charitatem, & ostẽsionem sui amoris dirigat? Et thesauros suę misericordiæ absconditos esse voluerit, iuxta suam voluntatem manifestandos, non secũdum arrogantem, & superbam hominum voluntatem. Neque à sola imaginatione, & appetitu poterat proficisci, quia licet potentiæ per animi affectus moueant localiter sanguinem, & aduertentiam sensuum; tamen ita intense, vt sine anhelitu iaceat corpus, non sentiens extrema sensibilia, & hoc tantum ad libitum adstantium; certe non video quo pacto, possit hic effectus reduci ad causam mere naturalem; atque ita videtur Restitutus cum Clacomenio Hermotimo, pari currere ratione (de quo Plinius lib. 7.) cuius anima relicto corpore (vt credebant illi) vagari solita erat, & narrare, quę in longissimis Regionibus viderat. Omnes isti raptus sunt à Dæmone inuenti, in odium veræ, & diuinæ extasis. Congregat Dæmon copiã humoris pituitosi, & vitrei, aut alterius, impellit ad originem neruorum, & causat syderationem, & apoplexiam, vel detinet spiritus, ne transeant, & ponit obstaculum, vt lux, siue illustratio, non perlustret corpus; necessario manet homo vt truncus, quantum ad sensum, & motum. Circunstantes putãt mortuum, quia nec respirat, sicut in forti apoplexia, nam vt viuat, sufficit non perceptibilis respiratio,

Plin.

tio, aut transpiratio per aliquod tempus, vt in plantis Hoc modo facit falsam Extasim; & ablato humore in alias partes, redibat ad se miser Hermotim⁹; & percotabatur quidquid in bucam veniebat, aut mendatia, aut à Dæmone sugesta.

Itaque à raptibus sensitiuæ partis prædicti morbi oriri possunt, ab Extasi illa tranquilla supereminenti fere nullus, nam licet aliquando vocet in consensu omnes inferiores potentias, tamen arripit calidum influens, non eo modo quo alter raptus, vt satis declaratum est.

De Scoto venerando. Sed quando huc deuentum est, offert se venerabilis ille Scotus Philosophorum, & Theologorum prodigium, non minus sanctitate clarus, quam subtilitate scribendi, cuius memoria in benedictione est. Nam post tot annorum curricula, sepultum eius corpus, sine vlla conseruationis diligentia, sed (vt alia communia corpora terræ mandata) terrenis visceribus, vbi omnia cadauera solent putrefieri inclusum; tandem reperta sunt omnia ossa colore roseo, & rubicundo perfusa, & redolentia, atque succus quidam lacteus intra aliquas cauitates contentus, & hoc insolitum post 300. annos sic visum, & plurimis, & grauissimis testibus comprobatum ad nostram censuram, post iudicia Vniuersitatum Hispaniæ, non sine nostra admiratione appullit. Atq; omnibus rite perspectis affirmauimus, & nostro sigillo dicta munita dedimus. Signa in ossibus venerabilis Scoti reperta esse omnino à causa Diuina, & supernaturali, a Deo scilicet qui sic voluit illustrare, non solum tanti viri vultũ, animũ scilicet, sed ossa sancti tabernaculi sustentacula, & existimauimus, quod & nunc etiam pro certo habemus in aliqua supereminenti extasi expirasse, tantumque fuisse Diuini amoris supereminens incendium, vt ossa etiam exultarent in Deum viuum, roseumque colorem induerent, pignus æterni splendoris.

(.?.)

De quarto Diuino.

An corpora cœlestia locum obtineant inter causas Diuinas morborum, C.XXII..

LAtus se offerebat campus ad prolixas disputationes; sed si orationem comprimam ad institutum, de quo agimus, promittere possumus breuitatem, & claritatem.

Probatur primo, corpora celestia nullo modo morbos efficere, ex celebri loco Origenis quem citat Abulensis in 4. p. S. Mathei cap. 17. q. 147. fol. 444. verba Origenes. *Medici loquuntur quæ nesciunt, qui neque spiritum immundum arbitrantur, sed corporalem aliquam passionem: & dicũt humida moueri in capite, secundum aliquam comparationem ad lumen Lunare, quod humidam habet naturam. Nos autem qui Euangelio credimus dicemus, hanc passionem immundum spiritum in omnibus operari. Obseruat enim quædam schemata Lunæ, & sic operatur, vt propter obseruationem Lunæ pati homines nuncientur: & culpabilem Dei creaturam ostendant. Et a'ÿ Dæmones secundum aliqua stellarum schemata insidiantur hominibus, vt iniquitatem in excelso loquantur, quasdam stellas dicentes maleficas, quasdam beneficas: cum nulla stella à Deo sit facta, vt malefaciat, &c.* *Origenis senten.*

1 Ex hac sententia, neque Epilepsia, neque alius morbus a cœlo causatur, Nam cum suprema illa corpora ad conseruationem, & gubernationem inferiorum condita sint, quis audeat dicere Deum Optimum, & Maximum mundo huic inferiori Præsidem fallacem præposuisse, nomine tantum gubernatorem; opere vero destructorem.

2 Hinc secundo Picus Mirand. in suis disputationibus contra Astrologos omnes qualitates cœlo defluxas nobis opitulari defendit. Omnes vero morbos, & monstruosos fœtus ex inordinatione istarum causarum inferiorum primordia sumere. Semper cœlum perficere, diri-

gere, nullo modo contrarium intendere asseuerat. Et ita stricte loquitur, vt quamuis concedat Astra calida, & alia frigida quæ præsunt humoribus biliosis, & pituitosis; tamen hoc intelligit tali censura, vt nunquam istæ qualitates excedant, sed potius nostros coerceant excesus, & immoderationes.

Si cœllum solo lumine, & motu terrena moderatur (vt existimat Arist.) quid habet cum morbis illa omniũ purgatrix lux, pulchra, & amabilis, quę merito lustralis potest appellari, omnia nobis bona occulte portans, & tandem manifestans?

Contraria sent. Astrolog. Omnes Astrologi è contra, nihil esse aiunt in hac corruptibiliũ regione, quod à causa cœllesti non oriatur, vita, mors, mores hominum, morborum differentiæ, mutationes temporum, bella, cõcordiæ, discordiæ, diuitiæ, paupertas, fęlicitas, infortunium, Regnorum gubernacula; tandem futura omnia entia à determinatis cœllorum influxibus emanant, secundũ illorum opinionem varijs casibus, vt putant confirmatam.

Litem hanc antiquissimam, multi cõponere conati sunt, partim vni opinioni addentes, & ab altera detrahentes. Ego ad singula descẽdens rem absoluã. Astrologis concedam, quæ possunt ratione philosophica cõcedi, aliena vero, & alterius iuris eadem libertate demonstrabo.

Theorema.

PRæter lucem, & motum localem cęli, necessarium existimamus constituere in illo tanquam in causa prima corporea eas qualitates, & virtutes, quæ adesse accidentale. & substantiale corporum inferiorum pertinere possunt. Atque licet per modum vnius æquiuoci in Astris lateant; tamen media luce communicari [aptissima quidem qualitate] vsque ad certam distantiam statuimus. Postea vero diffundi, vsque ad intimiora loca elementorum.

Habet istud Theorema aliquas partes explicandas, alias probandas.

Dico primo. Corpus luminosum (vt tale) æstimatur vt obiectum visus, tenebras quas potest, depellit, rerum colores ostendit, neq; calefacit, aut infrigidat medium, sed spargit lumen. Quod apparet in lapidibus preciosis Carbũco, Adamante, & alijs similibus lucidis. Si autem lux vt talis est, haberet perse producere calorem, aut aliam qualitatem ex primis, aut secundis; vbicunq; esset, aliquem ex istis produceret effectum in aliquo gradu. Ergo præter lumen aliquid aliud conceden dum est cęlo; quandoquidem constat, nõ solum illustrare, sed etiam calefacere, & infrigidare, &c. Sed cum productio caloris notissima, & cõmunissima sit, alij opinantes, aliarum qualitatum mentionem non faciunt. Qui vero dicunt, in luce omnes contineri, & necessario illi coniungi, falluntur; nam ista assertio, non potest ex aliquo principio constare, vt iam insinuaui.

Prætetea, quia putamus reliquas partes cœli [præter Astra] influere suas virtutes in hæc inferiora, quamuis nullo modo dignoscamus lucem sensibilem in talibus partibus cœli. Quam doctrinam existimamus veram in cœlo Impyreo, quod influit in reliquos, & in hæc inferiora etiam; non tamen lucem ab illo participamus. *Probabiliter dictum sit.*

Sed dico secundo; frigiditatem, & humiditatem, & reliquas qualitates cõtineri in cœlo eminenter, & hoc sufficere, vt possint in nobis varios effectus causare. Hæc doctrina est contra multos, qui dicunt calorem produci à cœlo positiuè, sed alias qualitates neutiquam nisi priuatiue, quia ad absentiam Solis frigescunt, humectantur, aut sicantur elementa, non aliter ac semoto prohibente.

Tamen hoc placitum etiam nobis displicet, quia res ita necessaria ad mundi conseruationem, & rerum vicissitudines quibus generatio, & corruptio, & aliæ immutationes innituntur, non debuit Diuinus opifex vni modo committere; si quidem plura poterant esse impedientia, vt tales qualitates non emergerent, in ea por-

portione,& mensura conuenienti secundum exigentiam finis,supposito ordine pulchritudinis vniuersi. Oportuit ergo vt esset aliquod eminens corporale principium,quod posset producere non solum calorem,sed frigiditatem,humiditatem,&c. Sic certe rerum generationes & corruptiones non deficient.

Vnde negandum non est receptum principium in Astrologia;quædam Astra esse frigida,alia calida, &c. sed in sensu dicto,scilicet quod habeant eminenter tales qualitates magis quam alias; quod etiam intelligimus de alijs secundis qualitatibus,& varijs virtutibus,quibus Astra pollent. Quod ita verum est,vt dicat S. Thomas 2. sentent.distin.15.& in multis locis librorum de Cęlo, vnam stellam differre specie ab alia, sicut equs differt ab homine,quod dixit propter diuersas specie virtutes.

Tamen quantum attinet ad mutationes insignes caloris,semper agnoscimus corpus Solare, vt præcipuum agens, licet reliquæ constellationes aliquid agant. Qua in re opportet temperare sententiam Astrologorum, qui contendunt omnem æstuationem dierum canicularium deberi constellationi cœlesti, nos autem non ita asserimus,sed partim; nam grandis, & manifestissima causa corpus solare existit per accessum,& recessum in circulo obliquo. Licet constellationes aliquid influāt. Sola igitur Leonis,& Sirij influentia,& Caniculæ,neutiquam redderet æstuantem aerem, nisi Sol præcipue coexisteret. Quod manifeste colligitur,nam cum omnibus diebus canicularibus Sol hunc, & alterum Orbem perlustret, æstuamur in Europa,& algent in India. Et cum est in Aquario ardent illi,& nos gelu comprimimur:ergo remotus, aut appropinquans Sol cum directione,aut indirectione suorum radiorum præcipua,& manifestissima causa istius diuersitatis dignoscitur. Tamen cum hoc ita sit, vt iam diximus, productio primarum qualitatum, & secundarum ad alia Astra etiam pertinet; vt multitudine,& ordine causarum corporalium,non solum mundus conseruetur,sed in laudem opificis omnis exultet creatura. Suscepimus hanc doctrinam ex Hipp. qui nunquam fallit. Nam constitutiones aeris,& diuisionem anni per varios ortus,& occasus Astrorum adnotauit. Quod si solam lucem,& eius applicationem consideraret, Solstitia,& Equinoctia tantum animaduerteret;quæ nihil aliud videntur quam æquationes dierum,& noctium,& deductiones Solis ad summum,& minimum, vt dicebat primo de Dieta. At sic est quod & Pleiadum,& Arcturij, & aliorum Astrorum occasum, & ortum notauit,vt inde acciperet corporis humani mutationes secundum varias qualitates Astrorum:ergo dicendum est præter lucem illas communicari. Sed in hoc puncto quod ipse sensus demonstrat Astrologis concedendum,vt si velint,nobis concedant, quod ratio probat.

Tertio dixi cœlum esse primam causam corporalem, quia hac ratione tenetur influere in corpora inferiora, nam primum in vnoquoque genere hunc ordinem dicit ad sibi subditas substantias, si concentus seruandus est: atque adeo corpora simplicia,& mixta subordinantur corpori cœlesti, vt perfectissimo, & primo alteranti, nam & propter hoc dicitur primum alterans. Quam doctrinam suscepimus à D. Thoma lib. 3. contra Gent. cap. 54 vbi ait: *Sicut autem in substantijs intellectualibus est superius,& inferius;ita etiam in substantijs corporalibus : substantiæ autem intellectuales reguntur à superioribus, vt dispositio Diuinæ prouidentiæ proportionaliter descendat vsque ad infima,sicut iam dictum est. Ergo pari ratione inferiora corpora, per superiora disponuntur,&c.* Sed certe si totum illud aureum caput legeres, videres efficatiam cœli respectu horum inferiorum,& quam recte dixerim causam primam corporalem. Ex qua sententia D. Thomæ,patet additus ad sequentem cogitationem. *D. Thom.*

Quar-

Quarto explico quid intelligam quando dico, corpus cœleste tribuere ijs inferioribus qualitates necessarias ad esse substantiale, & accidentale. Nam causa vniuersalis hoc habet proprium, vt valeat supplere deffectus inferiorum, atq; ne materia sine forma maneat, etiam illam educere si opus est. Sensus demonstrat hunc ordinem, quia corpora cœlestia imperfectas qualitates ad augent, & non solũ formas mixtorũ, sed aliquorũ animaliũ inducũt. Sed qua ratione hæc antiqua doctrina sic intelligenda, alibi explicui contra Fernelium. A cęlo dicit Fernelius produci speciem, & formam non dispositiones. Nos vtrumque probamus, & dispositiones. & formam à cœlo proficisci deficiente, aut absente vniuoca causa . præsente vero iuuari ; roborari.

Rursus consequenter dicimus, multiplices esse occultas proprietates mixtorum, quæ ex vario modo mixtionis, & proportionis elementorum à forma mixti prosiliunt, quæ, si quando congrediebantur sufficientia erant ad talem formã, ipsis, tanquam immediatis, talis tribui debet generatio. Si vero deficiunt, à cœlo eleuantur, ad debitumque finem deducuntur. De elementis id docuit Hippoc. lib. 1. de Diæta dicens: *Sufficientia sunt sibi, & alijs ad varia temperamenta omnigenas formas, & varias species nullo modo sibi similes, neque facultate, neque visu.* Idem cõfirmat libro de natura humana, quem sequutus fuit Aristot. nam quærẽs causam educentem formam metallorum, frigiditatem proponit, quæ antecedentem mixtionem firmat, & quam calor iunxit, stabiliat in longa sęcula duraturam. Addimus nunc, quod si istæ qualitates nõ sufficiunt, à virtutibus cęlestib⁹ roborãtur, si omnino absint in ipso cęlo sufficientia effectiua principia collocamus, vt mineralia formet in materia debita.

Hippoc.

Si quæ dixi ponderentur, à priori, & posteriori colligitur propositum. Nunc ad difficultatem respondemus, & Originis sententiam cohibemus.

Astra morbos valent producere diuersos; inter quos morbum Sacrum Neque ob hoc mala dicenda. Hanc conclusionem ostendo eisdem rationibus quibus in meo libro de Peste Vallisoletana probaui ; cœlum posse causare pestem, quæ ex dictis colliguntur. Primo, nam si cœlum potest producere in aere diuersas mixtiones [vt de facto potest) consequenter poterit efficere aliquam qualitatem vitali calori contrariam, non quidem in quantum calor, sed in quantum vitalis, & cordificus: huic enim opponitur qualitas secunda pestilens, de qua loquebamur in illo lib. Si pestem inferre, ergo morbos alterius generis.

Igitur cum ex varijs influentijs qualitas ista secunda generari possit, sequitur vt & pestis: quamuis nullo modo Dæmõ intercedat, vt supra dictum est.

Præterea, morbi particulares secundũ prædominium alicuius influentiæ possunt emergere, frigidi, & humidi à similibus Astris, vt à Luna; inter quos Epylepsia. A siccis, morbi melancholici, a calidis biliosi, &c.

Nunc ad Originem, nostra transeat oratio, & illius, & aliorum obiectiones diluamus. Primo reprehendit Medicos quia non cognoscũt spiritum immundum, & maleficum. Audeo dicere, Originem non perlegisse plures ex Gentilitio, qui Dęmoniacos effectus cognouerunt, quos aperte Hippocrates in hoc libro pernoscit, quamuis reprehendat modum curationis. Priscianus, Plutarcus, Plini⁹, Serenus, & alij, similes morbos adnotarunt, & sua remedia proposuerunt. Liber ille de incantatione, & adiuratione (qui inter libros Galeno adscriptos circunfertur, sed alicuius viri docti æstimatur] clare insinuat, quod intẽdimus, esse morbos aliquos à superioribus. Sed inter alia verba vltima illius libri sunt. *Aliquando ergo quædam substantiæ habent proprietatem ratione incomprehensibilem, propter sui, subtilitatem sensibus, non subministratam propter magnam sui altitudinem.* Et licet posset aliquis dicere hoc intelligi, de proprietatibus occultis ; tamen sinedubio (cum etiam de incantatione agat quam

Græ-

Græci parui pendebant, vt insinuatur in principio libri) fatendum est hunc autorem aliquid subodorasse circa actionem Dæmonum, quando dicit ob altitudinē causæ fugere nostram cognitionem.

Secundo fallitur Orig. existimans, omnes Epylepticos (sanatos à Christo Redemptore nostro) fuisse à Dæmone oppresos. Vnde hoc constat? Nam vt supra dixi, sacri Euangelistæ manifestā faciunt distinctionem inter infirmos, & Dæmoniacos, omnes tamen sanabantur à Domino. Quis ergo audeat affirmare inter tot languentes a causis morbificis, non esse aliquos Epylepticos? Quomodo potuit dicere iste author omnes fuisse a Demone? Certe illa verba Orig. *In omnibus operari immundū spiritum*, falsa sunt. Asserendum ergo illos solum fuisse a damnata intelligentia oppresos, a quibus declarat sacer textus (ad imperium Domini) exijsse Dæmonem. Et ita possum vti verbis Origenis ad contrariam conclusionē. Nos qui Euangelio credimus, dicimus hanc pasionem Epylepticam nō in omnibus immundum spiritum operari, sed in aliquibus.

Venio ad aliud. Dicit Dæmones efficere istum morbum ad Lunæ mutationes, vt homines culpabilem creaturam Dei prædicent, & esse iniquitatem in excelso cum nulla sit stella, quæ male faciat.

Duo considero ponderanda in hac sententia. Primo, an intendat Dæmon culpabiles reddere stellas? Secundò, an stellæ aliquæ posint dici maleficæ?

Circa primum iam constat quanta sit Dæmonis solicitudo ad bonos mores euertendos, & auferendum cultum Dei veri: tamen existimo (in hoc puncto, de quo agimus) solicitari amorem hominū erga stellas, vt obliuiscātur creatoris sui, & ad idolatriam perueniant. Addendum ergo sententiæ Origenis morbum istum excitari à Dæmone, secundum Lunæ mutationes, vt putent homines esse placandam Lunam, tanquam causam bonorum & suppliciū malorum, atque vt Deam & Reginam cęli esse colendam, oblito Dei Optimi, & Maximi cultu.

Nostrum conceptum manifestat locus apud Hyeremiam prophet. cap. 44. his verbis. *Sermonem quem locutus es ad nos in nomine Domini, non audiemus ex te, sed facientes faciemus omne verbum, quod egredietur de ore nostro, vt sacrificemus Reginæ cœli, & libemus ei libamina, sicut fecimus nos & patres nostri, Reges nostri, & Principes nostri in vrbibus Iuda, & in plateis Hyerusalem, & saturati sumus panibus, & bene nobis erat, malumq; non vidimus. Ex eo autem tempore quod cessauimus sacrificare Reginæ cœli, & libare ei libamina, indigemus omnibus, & gladio, & fame consumpti sumus. Quod si nos sacrificamus Reginæ cœli, & libamus ei libamina: nunquid sine viris nostris fecimus ei placentas ad colendam eam, & libandum ei libamina?* Hieremi.

Hæc sententia pro multis sufficiat, vt prophanas relinquam. Ergo intēdit damnata intelligentia malorum, & bonorum causam ad Lunam referre, vt homines seducti derelinquant primum fontem aquarum viuentium, & in creaturis defesi & lassati quęrant cysternas aquę putrescentis.

Ad illud quod dicit Origen. quod nulla stella facta est, vt malefaciat, facilis est responsio. Non enim instituta est ad malum, sed vt benefaciat; si autem influxus aliquando ex accidenti est lethalis, tamē medicinalis est; sic vocatur suppliciū quo peccata puniuntur. An maleficus Medicus dicendus abscindens, aut vrens brachium, ne homo pereat? Ergo stellę factæ sunt ad benefaciendum, aut medicatione malorum inflictis morbis, aut conseruatione sanitatis, influxu salutari.

Præterea ignoro cur timeant aliqui authores, cœlum facere causam morborū, si necessario concedere debent esse causam corruptionis. Quid enim aliud morbi sunt, quam corruptiones naturæ mortalis?

Ex dictis clarescit quid ad Picum Miran. & ad alios Astrologos dicendum sit. Nam dummodo hominis libertatem excipiāt, & mores, quos prudentia à vinculis cœlestis corporis liberat; libenter cōcedimus alias mutationes corporales.

De

De quinto apud Antiquos Diuino.

An elementa aliquā participēt Diuinitatem, vt ab Antiquis potuerint inter causas Diuinas enumerari, Cap XXIII

IN Hoc cap. agimus de elemētis: propter sentētiam Gal. qui in Prognost. procemio non aliud Diuinum in morbis videtur agnoscere, præter Aerem, & in hunc sensum cōtendit Hipp. interpretari. Huius occasione pauca adijcienda.

Inter alias Diuini acceptiones quas supra adduximus. Illam antiquis familiarē proposuimus, Diuinum appellari, quod à nostris sensibus maxime distat, aut quod pluribus bonum cōmunicat, quibus conditionibus videmus ignem exornari. Audiamus D. Dionysium Areopagitam lib. de cœlesti Hierarch. c. 15. *Per ignem itaq; signari arbitror cœlestium spirituū faciem, Dei maxime specie insignem.* Nam *profectò sanctissimi qui de Deo loquuti sunt viri, summam illam, & nullis obnoxiam figuris formisque substantiam, varie in igne describunt: quippe qui diuinæ proprietatis (si dici liceat) in rebus visibilibus plurimas seruat imagines. Nempe enim ignis sensibilis in omnibus vt ita dixerim est, & per omnia sine vlla sui admixtione proficiscitur, & ab omnibꝰ prorsus excipitur. Cumq; lucidissimus sit, ipse tamen non admota materia, in qua suam vim suumq; ostendat officium, in seipso occultus, atque incognitus manet, neq; admittit habitū neq; patet aspectui: ipse omnia superat, & ea quibus insederit, in suum traducit officium, omnibusque quomodolibet, sibi appropinquātibus, sui consortium tradit: renouat omnia calore vitali, ac fulgoribꝰ apertis illuminat, teneri, miscerique non potest: discernendi vim habet, atque immutabilis est: superiora semper petit, & in acumen tendit, agilis, celer, sublimis, nullaq; vi, vt inferiora petessat adigi potest semper mobilis, eodemque motu vigens: alia mouet, complectitur omnia, cum tamen astringi ipse non possit: cumq; alio ipse non egeat, sibi ipsi tamen clam incrementa suppeditat, atque in qualibet suscipiente materia sua Maiestatis potentiam indicat, efficax, potens, omnibus inuisibiliter præsens; si negligatur, non esse videtur: attritus autem veluti irritatione quadam naturaliter ac proprie continuo lucentem excitatur in flāmam. Rursusq; incomprehensibili aduolat modo: cumq; affatim omnibus participationem sui locupletissimam præbeat, nunquam tamen ipse minuitur.* Hæc Dionysius. Non igitur sine aliquo fundamento antiquitas ignē Diuinum, & Sacrum appellabat. Procopius Historicus lib. 2. Belli Persici, ignē coli summa Religione à Persis testatur; Strabo lib. 15. de Capadocia, scribit multos fuisse Magos Pyretos dictos, idest ignitos, quia ignem vt Deum venerabantur, neque mirum est, si corpora cœlestia Diuina dicebant, supremum ignem sub concauo Lunæ locatum inferiora fouentem, etiam Diuinum existimarent, atque si Aerem Gal. Diuinum dixit efficatioribus rationibꝰ, S. Dionysius ignē extollit.

De Igne. *Dionys.* *Procop.* *Strabo.*

Aquam venerabantur Antiqui, vt omnium rerum principium, quia ex aqua omnia fieri dixerunt. Thales Philos. & alij sui temporis. Postea Aristot. plus alimenti aquis esse dixit quam cæteris elementis; Pyndarus suis libris initium dedit dicens. Optima res est aqua. Nos ad illa verba: *Et spiritus Domini ferebatur super aquas*, multa diximus in Hipp. Philosoph. Sed insignem sententiam S. Clementis Romani adscribam in suis recognitionibus, vbi ostendit per aquā, generationem, & accretionem rerum, à Diuina dispensari prouidentia. Sic habet (per Rufinum Toranum) in nostro fol. 86. lib. 8. *Ministerio igitur humidi elementi cui vitalis ille spiritus insitus semper, & ingenitus est, efficitur vt non solum reparetur, sed vt per omnia similis species, & forma, his quæ iacta fuerint seminibus redeat. Quæ ratio cui vel breuem sensum habenti, per irrationabile naturā, & non per Diuinā sapientiā constare videbitur: Deniq; etiam hæc ad similitudinē humanæ natiuitatis formata sunt: videtur enim terra vuluæ locum tenere, cui semen in iectum per aquæ, & spiritus vim, sicut supra diximus, & formatur, & alitur. Sed & in hoc admiranda est Diuina prouidentia, quod*

De Aqua. *Thales.* *Arist.* *Pyndarus* *S. Clemens.*

videre

videri nos quidem, & agnoscere facit, quæ fiunt: quomodo autem, & qualiter fiant, in secreto posuit, & in occulto, vt non indignis ad agnitionem subiaceant, sed dignis fidelibus, cũ meruerint pat fiant. Vt autem rebus ipsis & exemplis probemus, nihil omnino ex terrena substãtia feminibus dari, sed totum ex elemento aquæ, & spiritus, qui inest ei virtute constare: pone mihi verbi gratia in cratere aliquo amplissimæ magnitudinis, iniici terræ talenta centum, & seminentur in eo diuersæ species seminum, vel olerum, vel etiam virgultorum, his præbeatur ad rigandum aqua sufficiens, & per annos plures habeatur ista diligentia: congregentur autem semina, quæ collecta fuerint, verbi gratia, frumenti, vel ordei, aliarumq; specierum per singulos annos seorsim, donec vniuscuiusq; semini acerbus ad centum talentorum pondus ascendat, tum etiam arbores auulsæ radicitus appendantur, & his omnibus ex cratere sumptis si adpendatur terra, centum sua nihilominus talenta salua restituet. Vnde ergo dicemus, omne illud pondus omnemq; quantitatem seminum diuersorum, atq; arborum surrexisse? Non ne euidenter apparet, quia ex aquis? Terra enim quod suum est integrum tenet, aqua vero quæ per singula iniecta est, nusquã prorsus est, ob potentem diuinæ cõditionis virtutem, quæ per vnam aquæ speciem tantorũ seminum virgultorumque, & substantias reparat, & species format, & genus fœnore multiplicato custodit, &c. Sanctus Ambrosius excellenti etiam encomio, aquam laudauit, in Lucam c. 22. dicens: *De aqua quid loquar? super aquã ante ipsos mundi natales sanctus (vt legis) spiritus ferebatur, o aqua quæ Sacramentum Christi esse meruisti, quæ lauas omnia, nec lauaris, tu incipis prima, tu comples perfecta mysteria: per te fætor tabidæ carnis aboletur.* Hęc Ambrosius. Quæ grauissimæ sententiæ clare exprimunt aquæ bonitatem, & mũdo maiori, & speciebus sublunaribus cõmunẽ. Diuina igitur appellata fuit. *S. Ambros.*

De Aere. Aeris excellentias supra vidimus circa varios text. Hipp. vbi antiquorũ proposuimus sententias; nam respiratione animali, & vitali non solũ vitam, sed sapientiam, & omnium membrorum gubernationem præstat. Tandem vehiculum bonorum, cęlestium appellatur, & a Gal. Diuini nomine insignitur.

De Terra Terrã Gẽtiles, vt Deã coluerũt, & Vestã aliqui dixerũt, aut quia vi sua & pondere stat, aut quia florib⁹, arborib⁹, & herbis sit vestita, omniũ corporũ viuentiũ habitaculũ existẽs, germinans omnibus alimenta. Si dicta cõsideres, merito ab antiquis elementa (in suo ordine) diuinitatis participato quodam honore illustrata inuenies.

Dub. Sed dubitãs, quomodo elementa (sine miscella alicuius extranei) poterant esse morborũ causæ? Nã ipsa secundam propriam naturam ad bonũ vniuersi aspirãt.

Resp. Responsio ex supra dictis cõstare potest, quia vt ad bonum diriguntur cõmune, ita si aliquo modo male afficiãtur, malũ erit cõmune, vt corde febre laborante, reliquæ omnes partes febricitant, ita elemẽta quibus constamus, quibus mundana hæc machina stabilitur, si recte se habeãt, si nullis contrariorũ incursibus perturbentur, nunquã à fine proposito deflectunt. Sed quis est finis? Nullus alius, quã mundũ integris suis substantijs seruare, & mixta partim corruptis gignere. Ergo si pestem, si morbos procreant, aliena id operãtur malitia, perquã à bono fine deficiunt. Quãobrẽ aliquando: terra quæ vt mater, animata sustinet, & alit emissis corruptis vaporib⁹, & exhalationibus, vt nouerca, destruit. Aqua ad omniũ fertilitatem creata, si infecta sit, per vastissima Maria pisces interficit, terrenaq; animalia tabefacit. Aer qui omnia viuificat, si à prauis causis alteretur diram stragẽ inducit. Ignis qui vt dicebat Hipp. omnia mouet, & latenter insilit; si occulto modo deficiat, aut alienam conditionem suscipiat. Quis poterit inopinatos eius explicare motus, aut dignoscere euentus? Nam insidias aeris ob sui subtilitatẽ multoties prætermittimus. Ignis tamen elementaris, qui subtilior, & magis incognitus penetrat, maiores, & immedicabiles, & celeriores parabit ægritudines: quia qualitatem animantibus, contrariã vel à cœlo, aut alia causa inductam abscondita velocitate communicabit.

Hæc

Hæc omnia, & ea quæ in his prælectionibus diximus alta mente recogitans Hipp. in Prognosticis, dicebat. *Prouidentiam esse habendam. An aliquid Diuinum in morbis sit.* Quæ verba non ita frigide intelligo, vt Galen. qui ad solum aerem extendit considerationem. Altiores miſsit radices Mag. Hipp. nam præcipit, profundam rationem esse habendam, an Deus, aut Numen, aut ntelligentiæ, an anima, an orbes cœlestes, & astra. Vltimo, an Elementa aut qualitas occulta humana corpora extorqueant.

Quod vero non de solo aere loqueretur, multa monent. Primo, quia prædictas diuinas causas cognouit Mirus Hippoc. Secundo, quia si aeris causalitas Diuina solum censetur, dicat nobis Galen. Quare in omnibus constitutionibus aeris nullam Diuini mentionem fecit? Multis in locis hæc fuit occasio, & nec verbum de diuinitate protulit. 1. Epid. text. 1. & 4. *In Taso, Autumno æquinoctium, & sub vergilias pluuiæ erant multæ, lenes, vt cum spirat Auster,* & infra: *Spirante multū, & repente Aquilone durabant, hæc sub Vergilijs, & ad Vergiliarum occasum,* & rursus *Imbres erant multi,* & lib. 3. text. 1. *Morbos dignoscimus ex vniuerso & singulari cœli statu,* & in 3. Prognos. circa finem, ait, *Considerandos esse morbos epidemicos, & anni temperamenta.* Omnia ista de aeris mutatione intellexit: Quis dubitat? Quare ergo nunquam nomen diuini induxit, igitur licet Gal. explicatio, aliquo modo stare potest: tamen Hipp. [vt dictū est] sententia eo dirigitur, vt omnes Diuinas causas doceat esse contemplandas, illas inquam, quæ ex eius celebri doctrina, in superioribus demonstrauimus, ad laudem Veræ, Trinæ, & Indiuiduæ Sacrosanctæ Diuinitatis, cui soli gloria, & honor sit per infinita sęcula.

FINIS.